239.02
Sch58

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/cursustheologiae00schn

R. P.
ANSELMI SCHNELL,
O. S. B.

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS *ABBREVIATUS.*

ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
Sch58
Los Gatos, Calif.



S.S. SANGUIS e Latere et Corde IESU profluus, in Imperial Monaſterio Weingartenſi ad ſeptimum jam Sæculum religioſiſsime aſservatus.

Jacob. Andreas Fridrich Sc. A. V.

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS ABBREVIATUS,

Id eſt,

Tractatuum Theologico - Moralium omnium Summa

Seu

COMPENDIUM,

Quod

In uſum SS. Theologiæ Studioſorum, pro Gradu, Ordinibus, Cura &c. examinandorum, imo & in ipſorum Examinantium aliorumque Theologorum commodum è ſuis Prælectionibus nuper fuſius traditis

Collegit

R. P. ANSELMUS SCHNELL,
O. S. B. in Imper. Monaſt. Weingartenſi Profeſſus, ac Profeſſor emeritus; nunc Prior ibidem.

PARS I.

Complectens Tractatus de actibus humanis, conſcientia, legibus, peccatis, & virtutibus Theologicis.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſtatis ſpeciali ac Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus Joan. Jacobi Mauracher, Bibliopolæ, 1744.

GEORGETOWN COLLEGE
62638

THESAURO
THESAURORUM,
*SACROSANCTO THEAN-
DRICO*
SANGUINI,
*E LATERE ET CORDE
D. N. J. C. IN CRUCE PEN-
DENTIS OLIM PRO-
FLUO,*

à

LONGINO MILITE
TUNC EXCEPTO, ATQUE
AD SOLATIUM FIDELIUM
IN TERRIS RELICTO;

DEHINC

POST VARIOS DEFOSSIONUM,
INVENTIONUM, TRANSLATIONUM-
QUE CASUS,*

---

* *Hiſtoria hæc tota reperitur in fine Partis VI. Theologiæ noſtræ Scholaſtico - Thomiſticæ.*

SOLEMNI DONATIONE

IMPERIALI

MONASTERIO

WEINGARTENSI

OBLATO;

IBIQUE PER SEXCENTOS AMPLIUS ANNOS RELIGIOSISSIME ASSERVATO,

AUTHORITATE

APOSTOLICA

PUBLICÆ VENERATIONI FIDELIUM JAM DUDUM EXPOSITO;

INSUPER NOVISSIME

à *MODERNO S. PONTIFICE MAXIMO*

BENEDICTO XIV.

PER INSTITUTUM ORDINEM EQUESTREM SOLEMNISSIMA PIETATE HONORATO,

IſtIs Iteratò ſVa ſeqVe eX Integro ConſeCrat IVgIter

DeVotIſsIMa VInea.

PRI-

PRIVILEGIUM.

CAROLUS Septimus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ac Germaniæ & Bohemiæ Rex, utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, Archi-Dux Auſtriæ, Landgravius Leuchtenbergæ &c. &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod, cum Nobis noſter & Imperii fidelis dilectus Joannes Jacobus Mauracher, Bibliopola Auguſtanus humillimè exponi curarit, quem in modum *Patris Anſelmi Schnell*, Ord. S. Benedicti, Opuſcula Philoſophica, Theologica, & Jus Canonicum in folio & octavo prelo committere reſolverit, vereatur autem, ne æmulorum invidiâ hanc editionem imitantium, impendii & laboris ſui fructu fruſtretur; ideoque Nobis de-

demiſſe ſupplicarit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Noſtrô Cæſareô ſuccurrere clementiſſime dignaremur, Nos ſubmiſſæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum cenſuerimus; ac proinde Authoritate Noſtra Cæſareâ omnibus & ſingulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscunque rem Librariam ſeu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, ne quis ſupra nominata *P. Anſelmi Schnell* Opuſcula Philoſophica, Theologica & Jus Canonicum ſub hoc aliove titulo, aut hac aliave forma, ſeu ut ajunt, formato, ex toto vel in parte per decem Annorum ſpatium, ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii, Ditionumque Noſtrarum hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendum dare, aliorumve impreſſum apportare, vendere aut diſtrahere citra præfati impetrantis, ejusdemque hæredum ac Succeſſorum voluntatem & aſſenſum in ſcriptis obtentum auſit vel præſumat. Si quis vero ſecus faciendo Privilegium hoc Noſtrum ſeu interdictum violare contemnereque præſumpſerit, eum non ſolum ejusmodi Exemplaribus, ubicunque Locorum repertis, perperam quippe recuſis

ſeu

ſeu apportatis (quæ dictus Joannes Jacobus Mauracher ſive propria Authoritate ſive Magiſtratûs illius loci auxilio ſibi vindicare poterit) de facto privandum, ſed & quinque Marcarum auri puri pœna Ærario ſeu Fiſco Noſtro Cæſareo & parti læſæ ex æquo pendenda, omni ſpe veniæ ſublatâ, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Noſtri Privilegii in fronte Libri impreſſus reperiatur, & conſueta quinque Exemplaria Conſilio Noſtro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & ſingulis Noſtris & Sacri Romani Imperii Dominiórumque Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus cujuscunque ſtatus, gradûs, dignitatis aut ordinis fuerint, præſertim verô iis, qui in Magiſtratu exiſtentes vel ſuo vel Superiorum ſuorum loco jus juſtitiámque adminiſtrant, nè quemquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum violare, ſpernere, aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à Nobis mulctâ eos puniri & quibuscúnque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram indignationem prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum teſti-

monio Literarum, manu Noſtra ſubſcripta-
rum, & Sigilli noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur Francofurti ad Mœnum die decima nona Auguſti Anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio Regnorum noſtrorum Romani & Bohemici ſecundo.

Carolus mpp.

(L.S.)

Joannes Georgius,
Comes à Königsfelden.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

J. J. Hayeck de Waldſtetten,
mpp.

PRO-

PROLOQUIUM
AD
LECTOREM
THEOLOGUM.

LEctor Theologe! en quoque Theologiam meam Moralem, Scholaſticæ adinſtar compendiatam. Editionem hujus hactenus urſêre, quiqui luſtraverunt Theologiam dictam, cum Philoſophia mea. Efficaciam illis noviſſime addidit Voluntas illa Gratioſa, quam pro imperio venerari decuit. Huic dum ſubmiſſiſſime obſequor, methodum alias ſervatam ſequor. Sum proin etiam hic, velut alibi,

breviſſimus. Rationes hujus ibi videndæ ſunt. Principalis eſt, ut levamen quoddam facerem Theologiæ Moralis Amatoribus. His opuſculum tantillum ſuppeditabit ingens, ſi non doctrinæ ſaltem pretii & oneris compendium. Ne vel hoc adhuc moleſtus forem, materiam omnem inſuper digeſſi in ordinem Scholaſticum; qui & ad docendum & ad diſcendum uti aptiſſimus, ita & gratiſſimus eſt. Ad initium Partis cujuslibet prænoto numerum Tractatuum, in his numerum Diſputationum & Quæſtionum &c. ut vel ad primum intuitum tota ſeries reluceat. In margine addo numeros; quos in qualibet Parte continuo, ne in citatione confuſio eveniat. Quoad ordinem materiarum plerumque me conformo famigeratiſſimo Moraliſtæ R. P. Anacleto Reiffenſtuel; qui proinde hic quoque propemodum integre compendiatus reperitur. In ſeligendis Sententiis tamen in nullius verba juro. Profero fere ibique opiniones benigniores; practice tamen probabiles. Nolui aggravare de ſe ſuave jugum Domini; nec agere contra doctrinam S. D. Angelici Quodlib. 9. a. 15. *dicentis:* Omnis quæſtio, in qua de peccato mor-

mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur. *Caſibus factis aut fictis me diu non detineo. Do potius principia univerſalia, per quæ caſus particulares quicunque facile ſolvi poterunt. Concluſionibus ſingulis ſubjungo, ad faciliorem repetitionem aut conferentiam, objectiones ſuas. His ob præſtitutam brevitatem, ſtatim interpono ſolutionem per parentheſin; additis huic ad diſtinctionem duobus punctis. Ob eamdem rationem vocabula ſæpius recurrentia per unicam tantum aut alteram litteram exprimo; prout in fine Indicis pro qualibet Parte annotatur. Accentus fere omnes omiſi ſtudioſiſſime. Pungunt continuo oculum legentis, typoſque exaſperant. Inſuper uti ad locutionem non ſunt neceſſarii, ita ad lectionem videntur plerumque ſuperflui. Dum è Theologia mea Scholaſtica (intra triennium jam tertio recuſa) huc transpono, quæ videntur neceſſaria, nemini injuriam facio; quia de meo accipio, ſimulque illâ deſtitutis ſubvenio. Cæterum etiam hic in nullius favorem, aut odium ſcribo, ſed ſolius veritatis, commoditatiſque tuæ amore, Lector Theologe. Ideo (ut loquar*

cum Virgineo noſtro Doctore S. Anſelmo; in fin. lib. cur Deus homo) ſi quid diximus, quod corrigendum ſit, non renuo correctionem: *ſed omnia tuo, præprimis autem infallibili ſanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio quam humillime ſubjicio. Vale! fave! laboreque meo compendioſo quam diutiſſime fruere.*

LICEN-

LICENTIA SUPERIORIS.

NOs Placidus, D. G. Abbas Imperialis Monaſterii Weingartenſis, hiſce licentiam facimus, ut Curſus Theologiæ Moralis à R. P. Anſelmo Schnell, Monaſterii noſtri Profeſſo, in Compendium redactus, & à Theologis ad id deputatis reviſus, approbatusque, per prelum typographicum evulgari queat. In quorum fidem Præſentes, manu noſtra, ſigilloque Abbatiali munitas dedimus in Imp. Monaſt. Weingart. Anno Domini Milleſimo, ſeptingenteſimo, trigeſimo nono, die decimo tertio Menſis Octobris.

Placidus Abbas.

(L.S.)

CENSURA ORDINARII.

CUrſus Theologiæ Moralis, antehac fuſius traditus, modo à Clariſſimo Auctore abbreviatus, & ad aptiorem & faciliorem uſum & captum inſigni cum induſtria accomodatus, in omnibus cum principiis orthodoxæ fidei concordans, omnino publicis typis in lucem prodire meretur. Conſtantiæ die ſecundo Jan. An. Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo.

Imprimatur H. S. Ex Vicariatu Auguſtæ 8. *Febr. An. Milleſ. ſepting. quadrag.*

JOANNES ADAMUS NIEBERLEIN, SS. Theol. Doct. Epiſc. Diocl. Suffrag. Eyſtett. Canon. Cathedr. Eccl. Auguſt. & Vicarius Generalis mpp.

FRANC. IGNAT. INSELIN, SS. Theol. Lic. & SS. Can. Cand. Conſil. Eccleſ. & inſignis Collegiatæ Eccleſ. S. Joan. Canon. & Par. Libror. Cenſor. Ordin. mppr.

FRANC. JOS. de HANDL, SS. Theol. Licent. Revmi. ac Celſiſſ. Princ. & Epiſc. Aug. Conſil. Eccleſ. Major Pœnit. & Libr. Cenſor, ac inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Mauritium Canon. & Paroch. mppr.

AP-

APPROBATIO
THEOLOGICA
AB UNIVERSITATE SALISBURGENSI.

TEmpore, quo geſſi in ſacra Facultate Theologica Decanatum, pro approbatione accepi Curſum Theologiæ Moralis abbreviatum, ſeu tractatuum Theologico-Moralium omnium ſummam, & Compendium, ab Eximio Viro Patre Anſelmo Schnell Ord. S. Benedicti, in Imperiali Monaſterio ad Vineas Profeſſo, ac ibidem SS. Theologiæ Profeſſore collectum: legi Compendium hoc & nihil in eo, quod vel contra orthodoxæ fidei principia, vel

contra bonos mores pugnaret, vel ex alio capite reprehendendum eſſet, inveni, ſed potius omnia primâ commendatione digna. Miſit Eximius, & ab aliis libris, quibus integram Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam jam ante complexus eſt, in orbe hoc noſtro litterario Clariſſimus Author, in præſenti Curſu Theologiæ Moralis pene omnem materiam, quæ ad regendas animas, & dirigendas conſcientias &c. pertinet, in compendium, magna ſane arte, nec minori labore: dicit in eo paucis multa; dum alias quandoque fieri aſſolet, ut multis dicantur pauca: in quo hoc inſuper ſingulare habet, ut, dum brevitati ſtudet, nihilominus omnia clariſſime tradat, contra morem brevitatis, cui quaſi congenita eſt, maximè in rebus arduis, obſcuritas. Verùm non ſolùm laudatiſſima claritate, & facilitate, ſed & ſingulari profunditate, & cautiſſima circumſpectione, ut nec nimis laxe, nec nimis ſtricte ſentiret, ſed ubique incederet viâ mediâ, id eſt, regiâ, ſummam hanc, dignam ſuo nomine, utpote in qua omnia ſumma ſunt, conſcripſit idem Clariſſimus Vir, dignus, cui omnes boni ob præſtantiam doctrinæ, & mentis ſapientiam longævam vitam

tam

tam, libris ejus etiam immortalitatem precentur. Ita ſentio pro veritate, non in gratiam aut favorem Authoris, quem ex nullo alio capite noſco, quam ex notiſſima ſua doctrina, qua hactenus Rempublicam Litterariam illuſtravit. Salisburgi Die 4. Febr. An. Milleſimo, ſeptingenteſimo, quadrageſimo.

P. LEONARDUS KLOZ, Ord. S. Ben. in Exempto Monaſterio Weſſobrunnenſi Profeſſus SS. Theologiæ Doctor, ejusdemque in Speculativis in Univerſitate Salisburgenſi Profeſſor Ord. Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & S. R. I. Excelſi Principis Salisburgenſis &c. &c. nec non Sereniſſimi, & Reverendiſſimi Epiſcopi Friſingenſis, & Ratisbonenſis, & S. R. I. Principis, utriusque Bavariæ Ducis &c. &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus, Scholarum Præfectus, Majoris, & Academicæ Congregationis Præſes, Notarius A. P. in Curia Romana Immatriculatus.

(O)

IN-

INDEX TITULORUM

PRO PARTE I. THEOLOGIÆ MORALIS.

TRACT. I. DISPUTATIO I.

De actibus humanis, & conſcientia.

QUÆSTIO I.

De voluntario, & involuntario.

Numerus eſt Marginalis.

Art. 1. An, ut omiſſio ejusque effectus ſit voluntarius, requiratur obligatio ponendi actum omiſſum? *n.* 1.

2. An & quomodo involuntarium cauſent violentia, metus, concupiſcentia, & ignorantia? *n.* 20.

QUÆSTIO II.

De actibus humanis.

Art. 1. Unde actus humani deſumant ſpeciem bonitatis aut malitiæ moralis? *n.* 43.

2. Utrum

2. Utrum actus externus interno ſupperaddat bonitatem vel malitiam diſtinctam? *n.* 61.
3. An detur actus humanus indifferens in individuo? *n.* 73.

DISPUTATIO II.
De conſcientia.
QUÆSTIO I.
De conſcientia recta, erronea, dubia, & ſcrupuloſa.

Art. 1. An & quando licitum ſit operari cum conſcientia dubia? *n.* 84.
2. Utrum licitum ſit agere contra conſcientiam ſcrupuloſam? *n.* 105.

QUÆSTIO II.
De conſcientia probabili.

Art. 1. An licitum ſit in praxi ſequi ſententiam probabilem? *n.* 117.
2. Utrum licitum ſit ſequi ſententiam probabilem minus tutam, relicta tutiore? *n.* 133.

DISPUTATIO III.
De Legibus.
QUÆSTIO I.
De eſſentia Legis.

Art. 1. An promulgatio ſit de eſſentia legis? *n.* 144.
2. An actus mere interni ſint materia legis? *n.* 174.

3. Qua-

3. Qualis promulgatio & acceptatio ſit de ratione legis? n. 190.

QUÆSTIO II.

De obligatione legis.

Art. 1. Utrum lex humana obliget in conſcientia? ſpeciatim pœnalis? fundata in præſumptione? & irritans? n. 216.

2. Quinam obligentur lege humana? n. 249.

TRACT. II. DISPUTATIO I.

De peccatis & virtutibus Theologicis.

QUÆSTIO I.

De peccatis in genere.

Art. 1. Unde deſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum? n. 281.

2. Unde deſumatur diſtinctio peccatorum numerica? n. 297.

3. An negative ſe habens circa inordinatos motus concupiſcentiæ peccet mortaliter? n. 328.

4. Quid requiratur ex parte objecti, ut talis motus aut delectatio ſit mortale? n. 349.

QUÆSTIO II.

De peccatis in ſpecie.

Art. 1. Quænam ſit peccati mortalis à veniali differentia? n. 386.

2. An,

2. An, & quando ex peccato veniali poſſit fieri mortale? *n.* 404.
3. Quid, & quot ſint peccata capitalia? *n.* 430.

DISPUTATIO II.

De virtutibus Theologicis.

QUÆSTIO I.

De Fide Theologica.

Art. 1. An & qualis actus fidei ſit adulto neceſſarius ad ſalutem? *n.* 445.
2. Quodnam ſit ſubjectum habitus fidei? *n.* 482.
3. Quid, & quot ſint vitia fidei oppoſita? ubi præcipue de hæreſi. *n.* 510.

QUÆSTIO II.

De Spe Theologica.

Art. 1. Quodnam ſit objectum ſpei theologicæ? *n.* 532.
2. An ſubjectum ſpei ſit quilibet homo? aut angelus? *n.* 547.

QUÆSTIO III.

De Charitate Theologica.

Art. 1. Utrum habitus charitatis augeatur etiam per actus remiſſos? *n.* 564.
2. Quænam ſint vitia charitati theologicæ oppoſita? *n.* 589.

EXPLI-

EXPLICATIO

Abbreviationum per decurſum identidem recurrentium.

℞.	id eſt	Reſpondeo.
n.	-	Nego.
c.	-	Concedo.
d.	-	Diſtinguo.
ſubd.	-	Subdiſtinguo.
M.	-	Major.
m.	-	Minor.
s.	-	Sequela.
t.	-	Tranſeat.
p.	-	Probatur.
a.	-	Antecedens.
c̲.	-	Conſequentia.
ç.	-	Conſequens.
ſup.	-	Suppoſitum.
illat.	-	Illatum.
TT.	-	Thomiſtæ.
RR.	-	Recentiores.
Scot.	-	Scotiſtæ.
aa.	-	Adverſarii.
ſc.	-	Scilicet.
Vid.	-	Videlicet, *vel* vide, videatur.

(: intra parentheſin cum duobus punctis continetur ſemper reſponſio ad *objectionem : qua* proinde *prima* vice legi debet omiſſa omni parentheſi :)

(o)

CURSUS

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS ABBREVIATI

PARS I.

COMPLECTENS

Tractatus de Actibus humanis, Conſcientia, Legibus, Peccatis, & Virtutibus Theologicis.

E Quinque ſpeciebus Theologiæ (quas enarravi ad initium Theologiæ meæ Scholaſtico-Thomiſticæ) in praxi

verè utiliſſima eſt Theologia *Moralis*: ſic dicta, quod in formandis hominum *moribus* occupetur, caſusque ad conſcientiam pertinentes reſolvat; propter quod quoque *Caſuiſtica* dicitur. Materiam hujus omnem concludam in quatuor Partes. In harum *prima* tractabo de Actibus humanis, Conſcientia, Legibus, Peccatis, & Virtutibus Theologicis. In *ſecunda* de Religione, Horis canonicis, Juramento, Voto, Juſtitia, cæterisque Virtutibus cardinalibus; uti & de Contractibus. In *tertia* de præceptis Decalogi (ubi etiam de reſtitutione & præceptis Eccleſiæ: Item de Beneficiis Eccleſiaſticis, Jure patronatus, Decimis, Immunitate Eccleſiaſtica, Indulgentiis, Cenſuris, ac Irregularitate, aliisque pœnis Canonicis. In *quarta* demum de Sacramentis tam in genere, quam in ſpecie. Porro, ut methodice procedam, Partes has ſingulas in certos Tractatus, & hos iterum in plures Diſputationes, iſtasque in Quæſtiones & Articulos ſubdivido: prout ſtatim patefiet in præſenti Parte prima, quam in duos Tractatus diſpertior.

Ex his ſit

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA, ET LEGIBUS.

DISPUTATIO I.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET CONSCIENTIA.

CUm finis Theologiæ Moralis præcipuus ſit hominem dirigere ad finem *ultimum* ſupernaturalem (hic autem non niſi noſtris actibus acquiratur) ideo ſtatim in hac Diſputatione prima de actibus *humanis* agemus. Et quia prima & *generalis* conditio illorum eſt, ut à *voluntate* procedant (unde *voluntarii* nominantur) hinc in prima hujus quæſtione quid de *voluntario*, & *involuntario* præmittemus: in altera deinde ipſos actus humanos inſpiciemus. Diſputatio ſecunda poſtmodum diſcutiet *Conſcientiam*, tanquam *regulam* illorum *proximam* & intrinſecam: & tertia *Lrgem*, tanquam regulam eorumdem *remotam* & extrinſecam: Tractatus ſubſequens autē materias hujus Partis reſiduas.

QUÆSTIO I.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

ARTICULUS I.

An, ut omiſſio, ejusque effectus ſit voluntarius, requiratur obligatio ponendi actum omiſſum.

1 PRænotandum 1. Voluntarium, prout hic ſumitur, definiri: eſt id, *quod procedit à principio intrinſeco cum cognitione finis.* Dividitur 1. In voluntarium *perfectum* (quod eſt cum perfecta) & *imperfectum*, quod eſt cum imperfecta cognitione finis. 2. In *neceſſarium* (quod procedit à voluntate *determinata* ad unum; quale reperitur in Beatis) & *liberum*, quod procedit à voluntate indifferente. 3. In formale ſeu *actuale* (quod pendet à voluntate *ut actu* influente) in *virtuale* (quod pendet ab actu præterito, permanente in aliquo ſuo *effectu*, vel determinatione) & *habituale*; quod ſe-
2 mel actu volitum *non* eſt retractatum. 4. In voluntarium *in ſe* (quod ſe ipſo terminat voluntatem) & in *cauſa*, quod ſequitur *ex alio* formaliter

liter volito, qualiter infanticidium eſt formaliter volitum occidenti matrem prægnantem. 5. Demum in *directum* (quod procedit ex *poſitivo* voluntatis influxu) & *indirectum*, quod procedit à voluntate in quantum *non agit*, cum tamen *poſſet*, ac *deberet*: ſic ſubmerſio navis cenſetur indirecte voluntaria gubernatori, relinquenti gubernaculum. Huc quoque ſpectat voluntarium *interpretativum*; eſtque illud, quod adeſſe præſumitur ſeu *interpretatur* ex aliquo ſigno *externo* poſitivo vel negativo: ſic in foro externo, qui *tacet conſentire* videtur. P. Reiffenſtuel Theol. Mor. *tr. 1. diſt. 1. q. 2. n. 8.*

3 Prænot. 2. Dubium præſens potiſſimum verſari circa voluntarium *indirectum*; prout inſinuat Rubrica hujus Articuli. Eſtque duplex quæſtio; & ad deciſionem prioris bene diſtinguendum eſt inter voluntarium *præciſe*, & inter voluntarium *imputabile*. Non dari voluntarium indirectum ſine omni actu, ſeu omiſſionem puram & liberam, ſuppono ex dictis in Theologia noſtra Scholaſtico-Thomiſtica *Part. 2. n. 432.* Ratio una ex ibi datis eſt: quia ſine *omni* actu nequit haberi *exercitium* formale libertatis; cum ſit exercitium *vitale*, eo quod procedat à principio vitali: ſicque neceſſario eſt quid *poſitivum*; quandoquidem ſit *vita actualis*: & *nulla* potentia pro ſuo formali *exercitio* quid *negativum* habeat. Maxime: quia voluntas exercendo ſuam libertatem, ſe *movet*; quia ſe mutat, cum intrinſece ſe aliter habeat. Nec

poteſt *non velle* libere ſine omni actu; quia *libertas* fundatur in *vitalitate*: ergo. Nunc loco reſponſionis ſit

4 CONCLUSIO I. Ut *omiſſio* ſit *voluntaria* præciſe & inculpabiliter, nulla requiritur obligatio: bene vero, ut ſit voluntaria *imputabiliter* ſeu culpabiliter. *Eſt communior TT. con. Gon. Salm. &c.*

5 Probatur 1. pars: Omiſſio, etiam *abſente* obligatione, egreditur à *voluntate* cum cognitione finis: adeoque eſt libera, & voluntaria: quia *liberum* eſt ſpecies voluntarii: ſic omnis *homo* eſt animal. Imo: ſecus Deus non omitteret *libere* creationem alterius mundi; utpote nullam habens obligationem: ergo.

6 Confirmatur: Etiam *ſine* obligatione *omiſſio* Sacri tempore, quo ſtudeo, eſt in mea *poteſtate*, ſumque dominus iſtius omiſſionis; ergo eſt voluntaria: & quidem actu; quia neceſſario cum *actu* ſtudendi *connectitur*, & ex illo ſecutura *cognoſcitur*.

7 Prob. 2. pars: Ubi nulla eſt obligatio legis, ibi nulla poteſt eſſe *prævaricatio* ipſius, & conſequenter nec imputabilitas ad culpam; ergo. *Vid. cit.* P. Reiffenſt. *n. 9.*

8 CONCLUSIO II. Ut effectus, ex omiſſione ſecutus, indirecte ſit voluntarius (tam phyſice quam moraliter) requiritur obligatio. *Ita communior ex S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3.*

9 Probatur: Effectus, v. g. ſubmerſio navis, ſecluſa obligatione, non eſt à voluntate *phyſice*

(ut

(ut conſtat, ſed ſic provenit à vehementia fluctuum) nec *moraliter*; eo quod ſublata obligatione effectus non ſequatur ex *vi* omiſſionis: ſitque *præter-* imo ſæpe *contra* intentionem omittentis; ergo. Sic, etſi *permiſſio* peccatorum, & denegatio gratiæ ſit Deo *voluntaria*, attamen ipſa *peccata* illi voluntaria *haud* ſunt: quia peccatum non ſequitur *ex vi* negatæ gratiæ, ſed ex vi *liberi* arbitrii *defectuoſe* operantis: ſecus omne prævifum eſſet *voluntarium*, adeoque peccatum: quod eſt contra communem; ergo. *Vid.* P. Babenſtuber *tr. 2. d. 1. a. 1. n. 12.*

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Omiſſio ſine obligatione non eſt *privativa*: ergo non eſt voluntaria. a. p. Sine obligatione non eſt *debita ineſſe* voluntati (: R. d. a. per modum *præcepti* c. per modum proximæ poſſibilitatis n. 10
Nam dum voluntas per præviam *advertentiam* diſponitur, jam fit *apta* habere actum: privatio autem nihil eſt, quam abſentia formæ in ſubjecto *apto* :) ergo. 11

Urg. Juxta *S. D. l. c.* ad omiſſionem *voluntariam* (: *imputabiliter* c. ſecus n. :) requiritur, quod quis debeat agere: atqui *hoc* ſine obligatione non eſt; ergo.

Ob. 2. cont. 2. part. Omiſſio ſine præcepto eſt *voluntaria*: ergo & *imputabilis*. c. p. Eſſe *voluntarium* (: directe c. eſſe voluntarium *indirecte* n. :) & eſſe *imputabile* ſunt *unum*; ergo. 12

Ob. 3. cont. 2. concl. *Omiſſio* eſt *voluntaria* ſine præcepto: ergo & *effectus* (: n. c. Quia 13

omiſſio *phyſice* cauſatur à voluntate, non item effectus:) c.p. Æque prævidetur, ac eſt in poteſtate voluntatis (: *quomodocunque* c. *moraliter* n. nam *ſine* obligatione non datur influxus *moralis*:) ergo.

14 Ob. 4. Omiſſio eſt ſuo modo *cauſa* effectus ſecuti: ergo qui vult illam, vult etiam *effectum* (: ſi *hic* ſequeretur ex vi *omiſſionis* c. ſi aliunde n.:) a.p. Sine omiſſione *effectus* non *ſequeretur*; ergo eſt *hujus* cauſa (: Retorqueo: ſine denegatione gratiæ *peccatum* non ſequeretur; ergo negatio illa eſt *hujus* cauſa:)

15 Replicas: *Omiſſio* Sacri prævifa in *actione*, v. g. luſu, eſt mihi voluntaria ſine obligatione; ergo & *effectus* prævifus in omiſſione (: n. c. Quia *hic* ſine obligatione *nullam* habet *connexionem* cum voluntate:) Plura de his videri poterunt in Theol. noſt. Schol. *Part. 2. à n. 469.*

16 Deduces 1. Ut effectus ex omiſſione ſecutus ſit *imputabilis* ad culpam, requiri 1. Ut aliquis *potuerit* agere: quia nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt; ſiquidem ad impoſſibile nulla ſit obligatio. 2. Quod *debuerit* agere: quia ſi hoc non requireretur, Deo imputarentur omnia peccata totius mundi. 3. Quod effectus fuerit *prævifus*: quia nihil volitum, quin præcognitum, juxta axioma philoſophicum. *Vid.* P. Reiffenſt. *n. 10. 15. &c. contra quem ſub n. 21.*

17 Deduces 2. Peccatum omiſſionis *externum* incurri *incboative*, quando eidem voluntarie

datur

datur cauſa: *completive* autem & formaliter, quando ſupervenit tempus *exequendi* opus præſcriptum, non obſtante impotentia implendi. Ita communiter TT. contra RR. & Scot. Ratio primi eſt: quia dum quis *voluntarie* dat *cauſam* omiſſioni culpabili, vult peccatum omiſſionis ſaltem *indirecte*: ergo peccat, *non* completive (cum peccatum omiſſionis pro tunc non ſit conſummatum; quandoquidem pro tunc tempus exequendi nondum adſit) ergo *inchoative*.

Ratio ſecundi eſt: peccatum omiſſionis *completive* conſiſtit in ipſa *actuali* omiſſione actus præcepti; hinc ſi in non-audientes Sacrum lata foret *excommunicatio*, hæc non incurreretur propter ſolam *volitionem* non audiendi, nec propter ſolam *poſitionem cauſæ*, ſed præciſe propter *actualem* omiſſionem Sacri; atqui actualis omiſſio *completive* tunc tantum ſit, quando actus præceptus ponendus eſt; ergo &c. Adeoque actualis omiſſio eſt peccatum non tantùm *in cauſa*, quatenus nempe eſt effectus peccati (prout opinantur Scot. & RR.) ſed etiam *in ſe* formaliter. Secus non deberet explicari in confeſſione, ſed tantum ejus *cauſa*. Quin, nec voluntas omittendi (utpote non habens objectum *malum*) explicari deberet: quod eſt contra communem ſenſum, & uſum. Plura circa hæc ſubminiſtrabit Theol. noſt. Schol. *Part. 3. à n. 291.* Porro circa *voluntarium liberum*, ceu ſpeciem *voluntarii*, 18

19 Deduces 3. *Libertatem* eſſe potentiam, *vi cujus voluntas, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, vel non agere.* Eſtque voluntas etiam tunc libera, dum *actu* agit: alias nullus daretur *uſus* libertatis. Utque actus humanus ſit capax moralitatis, requiritur libertas *indifferentiæ*: non tamen contrarietatis, ſed ſufficit *contradictionis*: quia alioquin Chriſtus, viator, non exercuiſſet actus meritorios; eoquod libertatem contrarietatis non habuerit, ex *tr. de Incarn. à n. 589.*

ARTICULUS II.

An & quomodo involuntarium cauſent violentia, metus, concupiſcentia & ignorantia?

20 PRænot. 1. Violentum eſſe id, *quod provenit à principio extrinſeco, nullam vim conferente paſſo*: eſtque vel *ſimpliciter tale*, vel tantum *ſecundum quid*: uti & involuntarium. Metus eſt paſſio animæ, qua *refugimus malum, cui reſiſti non poteſt vel ſaltem difficulter.* Differt à *violentia*, quod *hæc* non exſpectet voluntatis *conſenſum*, quem metus exprimit. De metu *gravi* & injuſte incuſſo loquetur ſecunda concluſio.

20 Prænot. 2. *Concupiſcentiam* eſſe paſſionem appetitus ſenſitivi circa bonum. Eſtque vel *antecedens* (quæ ſecum *rapit* appetitum) vel *conſequens* (quæ *rapitur*, & excitatur à volun-

tate) & *hæc* nunquam cauſat involuntarium. Dubium itaque eſt de antecedente.

Prænot. 3. Ignorantiam eſſe *carentiam ſcientiæ debitæ ineſſe ſuo ſubjecto apto*: eſtque triplex, *antecedens* (quæ antecedit omnem voluntatem) *concomitans* (quæ concomitanter ſe habet) & *conſequens*; quæ ſequitur. Hæc ſubdividitur in *affectatam* (quando *directe* eſt voluntaria) craſſam & *ſupinam* (quando indirecte eſt volita, nullam vel modicam diligentiam adhibendo) & *non craſſam*: quando aliqua, ſed non ſufficiens diligentia eſt adhibita. 21

CONCLUSIO I. Violentia *ſimpliciter* talis cauſat involuntarium ſimpliciter. *Ita communis ex S. D. 1. 2. q. 6. a. 5.* 22

Probatur: *Violentia* eſt à principio pure extrinſeco, *voluntate* de ſuo nihil conferente, ſed totis viribus *reſiſtente*: ergo *cauſat* involuntarium ſimpliciter; ſicque tollit omne meritum & demeritum. *Vid.* P. Babenſt. *tr. 2. d. 1. a. 3. n. 22.* P. Elbel *p. 1. conſ. 2. n. 29.*

CONCLUSIO II. Metus non cauſat involuntarium *ſimpliciter*: ſed tantum ſecundum quid. *Ita iterum communis ex S. D. q. cit. a. 6.* 23

Prob. 1. pars: Metus non impedit, ne actio procedat ex efficaci *voluntate*, & intentione operantis; ergo *non* cauſat involuntarium *ſimpliciter*. Hinc qui metu mortis perpetrat aliquod malum, coram Deo reus eſt peccati: quia habet ſufficiens voluntarium. 24

Prob. 2. pars: Quia dum aliqua ex metu 25

fiunt,

fiunt, voluntas inefficaciter *renititur*; ergo metus cauſat involuntarium *ſecundum quid.*

26 CONCLUSIO III. Concupiſcentia voluntarium in ratione *liberi* minuit, aut omnino tollit: in ratione *voluntarii* autem auget voluntarium: & per ſe nunquam cauſat involuntarium. *Ita S. D. hic a. 7.*

27 Prob. 1. pars: Concupiſcentia *vehemens* poteſt impedire vel ex parte, vel ex toto *cognitionem* indifferentem: ergo & libertatem.

28 Prob. 2. pars: Concupiſcentia facit, ut voluntas *majori* inclinatione feratur in objectum concupitum: ergo *auget* voluntarium.

29 Prob. 3. pars: Quod fit ex concupiſcentia, non tantum non eſt *contra* inclinationem voluntatis, ſed inſuper ex majori inclinatione procedit: ergo *per ſe* non cauſat involuntarium; etſi ſubinde per accidens.

30 CONCLUSIO IV. Ignorantia *antecedens* cauſat involuntarium ſimpliciter: *conſequens* voluntarium ſimpliciter, & involuntarium ſecundum quid: *concomitans*, non-voluntarium. *Iterum S. D. hic a. 8.*

31 Prob. 1. pars: Ignorantia *antecedens*, cauſat effectum omnino *repugnantem* voluntati, ſaltem interpretative; ergo involuntarium ſimpliciter.

32 Prob. 2. pars: Ignorantia *conſequens* ſeu vincibilis eſt directe vel indirectè *voluntaria*: ergo & effectus ſecutus ex illa; conſequenter eſt *ſimpliciter* voluntarius. Etſi ſubinde ſit involun-

voluntarius *ſecundum quid*; quia ſæpe eſt *contra* inclinationem *aliquam* voluntatis; ut ſi quis ex vincibili ignorantia occidat *amicum*.

Prob. 3. pars: Quod fit ex ignorantia *concomitante*, illud invincibiliter *non* eſt *cognitum*: ergo non eſt voluntarium: nec *contra* inclinationem voluntatis; ergo non eſt involuntarium *contrarie*: ergo eſt *non-voluntarium*. 33

Objicies 1. cont. 1. concl. Tormenta SS. Martyribus fuerunt *violenta* (:℞. d. a. quatenus ſunt *actio* tyrannica c. quatenus ſunt *paſſio* pro Chriſto tolerata n.:) & tamen ipſis fuerunt *voluntaria*; quia meritoria; ergo violentia non cauſat involuntarium. *Vid. cit. Part. 2. à n. 479.* 34

Ob. 2. cont. 2. concl. part. 1. *Metus* excuſat à peccato; ergo tollit voluntarium *ſimpliciter*. a. p. Qui ex metu gravis mali non audit Sacrum, non peccat (: defectu *voluntarii* n. defectu *præcepti* tunc non obligantis c.:) ergo. 35

Replicas: Matrimonium, Profeſſio religioſa &c. ex metu gravi facta ſunt *nulla* (: jure *poſitivo*, & defectu voluntarii *puri* c. jure *naturali*, & defectu voluntarii *ſimpliciter* n. Alias etiam contractus *alii* forent nulli:) ergo tollit voluntarium ſimpliciter. Reiffenſt. *n. 30.* 36

Ob. 3. cont. 3. concl. part. 2. Concupiſcentia minuit *peccatum*: ergo & voluntarium (: n. c. Quia facit *majorem* inclinationem, & minorem malitiæ apprehenſionem:) 37

Ob. 4.

38 Ob. 4. cont. 4. concl. part. 2. Matrimonium Jacob cum Lia fuit validum (: ab initio n. *novo* conſenſu accedente c. :) & tamen habuit ignorantiam *antecedentem*: ergo *hæc* non cauſat involuntarium *ſimpliciter.*

39 Inſiſtes: Habens ignorantiam *antecedentem* operatur *advertenter* (: quantum ad *ſubſtantiam* actus c. quantum ad *circumſtantiam*, vel *effectum* ſecutum n. :) ergo ei non eſt involuntarium ſimpliciter.

40 Ob. 5. cont. 2. part. Ignorantia *conſequens* tollit *ſcientiam* effectus (: ita tamen ut *illa* ignorantia ſit *indirectè* volita c. ſecus n. :) ergo cauſat involuntarium (: *ſimpliciter* n. *ſecundum quid* c. :) *Vid.* P. Sporer *tr. 1. c. 2. ſ. 4. n. 36.*

41 Ob. ult. cont. 3. part. Juxta S. D. *1. 2. q. 76. a. 3. in c. operans* cum ignorantia *concomitante* peccat (: ratione actus *externi* n. ratione *affectus* interni c. :) ergo cauſat involuntarium. *Vid.* Theol. Schol. *Part. 2. à n. 497.* Item P. Reiffenſt. *tr. 1. diſt. 1. q. 4. & 5.*

42 Deduces: Ut aliquis habeat ignorantiam ad *culpam* imputabilem, requiri, ut ipſi incidat & advertat, quod ſuam ignorantiam deponere debeat: nam multa ſæpe potuiſſent & debuiſſent ſciri & fieri, de quibus tamen non *occurrebat* pro tunc *obligatio* faciendi aut periculum errandi. *Vid.* P. la Croix *l. 1. n. 748.*

QUÆSTIO II.
DE ACTIBUS HUMANIS.
ARTICULUS I.
Unde actus humani deſumant ſpeciem bonitatis, aut malitiæ moralis?

PRænotandum 1. Actum *humanum* dici illum, *qui procedit ex voluntate deliberata*; nam actus alii *indeliberati* potius ſunt actus *hominis*, ut loquuntur Theologi. Conſideratur autem actus humanus hoc loco non phyſice ſed *moraliter*, quatenus nempe libere elicitur cum advertentia ad *regulas* morum, vid. ad *legem* extrinſecam (quæ eſt regula morum *remota*) & ad dictamen *conſcientiæ*, quod eſt regula *proxima* & intrinſeca. De quibus infra *à n. 83. &c.* 43

Prænot. 2. Actus voluntatis alios eſſe *elicitos* (qui *immediatè* ab ipſa voluntate eliciuntur, & ſunt duplicis generis: nam nonnulli verſantur circa *finem* ut ſimplex *amor* finis, *intentio*, & *fruitio*: alii circa *media*, ut *conſenſus*, *electio*, & *uſus*) alios *imperatos*, qui tantum mediante *alia* potentia producuntur. De utrisque quæritur, unde bonitatem ſuam aut malitiam accipiant? Circa quod 44

Prænot. 3. *Bonitatem* moralem conſiſtere in *omnimoda* conformitate cum regulis morum: 45

rum: *malitiam* vero in *qualibet* difformitate: quia bonum eſt ex *integra* cauſa, malum autem ex *quolibet* defectu, ut loquitur D. Dionyſius *l. de Div. Nom. c. 4.* Adeoque bonitas moralis non conſiſtit in bono *delectabili*, nec in bono *utili* (cum ſæpius id, quod nobis delectabile aut utile eſt, ſit lege Divina *prohibitum*; velut conſtat in impudicitia, furto &c.) ſed in bono *honeſto*, quod eſt ſecundum rectam rationem. His præſuppoſitis ponitur

46 CONCLUSIO I. Actus humani *primariam* & eſſentialem moralitatem bonitatis vel malitiæ accipiunt ex *objecto. Ita S. D. 1. 2. q. 18. a. 2.*

47 Probatur: Ita ſe habet *objectum* ad actum in ſpecificando *extrinſece*, ſicut ſe habet *forma* naturalis ad compoſitum in ſpecificando *intrinſece*: atqui forma naturalis dat compoſito *primam* & eſſentialem ſpeciem intrinſece; ergo etiam objectum dat actui primariam & eſſentialem ſpeciem *extrinſece*: *naturalem* quidem, ſi ſpectetur in eſſe naturæ; *moralem* vero, ſi in *eſſe moris*.

48 CONCLUSIO II. Actus humani ſuam *bonitatem* vel malitiam *moralem* ſumunt etiam à *fine extrinſeco* operantis: & quidem ſubinde *eſſentialem*; ſubinde accidentalem: *Ita iterum S. D. l. c.*

49 Prob. 1. pars: Omnis actus humanus dependet à fine, ejusque influxu, juxta illud *Matth. 6. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi ocu-*

ſi oculus tuus fuerit ſimplex , totum corpus tuum lucidum erit &c. ergo ſi *finis* ſit bonus, non poteſt non influere *bonitatem* : & econtra.

Prob. 2. pars : *Finis* ſubinde induit rationem *objecti* ; ſubinde non : ergo modo dat moralitatem *eſſentialem*, qualem dat objectum; modo *accidentalem.* 50

CONCLUSIO III. Actus humani ſuam moralitatem quoque deſumunt ex *circumſtantiis* ; & quidem accidentalem ſemper ; ſed aliquando *aggravantem* tantum ; aliquando vero etiam *ſpeciem* mutantem. Eſt *communis ex S. D. hic a. 3. &c.* 51

Probatur : Circumſtantiæ afferunt actui *novam* conformitatem , vel *difformitatem* ultra eam, quam habent ab *objecto*, vel *fine* ; ergo etiam afferunt novam bonitatem, vel *malitiam.* Et quidem *accidentalem* ſemper, ut patet ; ſed aliquando *aggravantem* duntaxat, ſi nempe ipſæ circumſtantiæ ſint aggravantes tantum : aliquando autem mutantem etiam *ſpeciem* , ſi adſint circumſtantiæ ſpeciem mutantes; & quidem ſubinde etiam primariam , *ex n. 55. &c.* ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Id quod actus humanus primo reſpicit , eſt *finis* (: ℟. d. a. *operis*, qui coincidit cum objecto, c. eſt finis *operantis* n. :) ergo ab *hoc* ſumit primam ſpeciem moralitatis. a. p. Objectum eſt volitum *propter* finem ; ergo. 52

Inſiſtes : Dum quis orat ex *vana* gloria, actus eſt malus : atqui hic non habet malitiam ab 53

ab *objecto*; ergo. m. p. Objectum eſt bonum (: *abſolute* c. ſi ſumatur, quatenus cum *tali* circumſtantia eſt *difforme* regulis morum n.:) ergo.

54 Ob. 2. cont. 2. concl. *Idem* actus non poteſt habere *duas* ſpecies (: *phyſicas* c. *morales* n. quia poteſt habere duas difformitates:) ergo habens bonitatem ab objecto, non poteſt *aliam* habere ex fine.

55 Ob. 3. cont. 3. concl. *Circumſtantiæ* non pertinent ad objectum (: quatenus comparantur ad primam & *eſſentialem* ſpeciem, quam actus recipit ab objecto, c. quatenus comparantur ad actum, quem trahunt ad *novam* ſpeciem moralitatis n. :) ergo actus humani *non* accipiunt ſpeciem à circumſtantiis.

56 Urgebis: Circumſtantiæ ſunt ut plurimum *extrinſecæ* actui humano, prout patet in *loco* & *tempore*: ergo non poſſunt tribuere bonitatem vel malitiam *intrinſecam* (: n. c. Alioquin nec *illam* dare poſſet *objectum*, quod quoque *extrinſecum* eſt:)

57 Quæres 1. Quot ſint circumſtantiæ, tribuentes actui bonitatem vel malitiam moralem? ℟. Septem, hoc verſiculo comprehenſæ: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando?* E quibus aliquæ ſunt *aggravantes* tantum, dum non involvunt malitiam ſpecie *diſtinctam* à malitia ipſius actus: aliæ etiam *ſpeciem* mutantes, quæ actui *novam* ſpecie malitiam afferunt.

58 Quæres 2. Quale *voluntarium* requiratur, ut

ut bonitas vel malitia objecti, finis, & circumſtantiarum refundatur in actum moralem? ℞. Ad *malitiam* ſufficit, quod hæc ſit volita *indirecte*; quia bonum eſt ex *integra* cauſa, malum vero ex *quolibet* defectu: ad *bonitatem* autem requiritur, ut ſit *directe* ac *formaliter* volita; quia eſt objectum formale ac *ſpecificativum* actus honeſti, *quod* directe movet.

Quæres 3. An idem numero actus poſſit eſſe *ſimul* bonus & malus? ℞. Negative: quia *bonitas*, non minus ac veritas, conſiſtit in *indiviſibili*: hinc ſi vel una ex circumſtantiis deſit, quas dictat regula rectæ rationis, actus jam eſt *difformis* regulis rationis; & ſic tota bonitas evaneſcit, *Vid.* Reverendiſſ. DD. Franciſc. Abb. Aug. Major. *tr. 1. ſ. 1. a. 1.* §. *2. à num. 4.* 59

Quæres ult. An ſaltem *idem* numero actus poſſit de bono tranſire in malum? ℞. Negative quoad actum *internum elicitum* voluntatis: quia quoties *hic* tranſit de bono in malum, mutat ſuum objectum formale ſpecificativum; ergo & ipſe mutatur; ſicque non amplius eſt *idem* actus. Interim tamen actus *externus* & imperatus poteſt de bono tranſire in malum: quia bonitas vel malitia accedit *naturæ* actus tantummodo per denominationem *extrinſecam*: ergo ejus *entitas* non variatur, etſi varietur bonitas: Sic cœna, *ante* mediam noctem *bona*, tranſit in malam, ſi continuetur *ultra* mediam noctem, à qua incipit obligatio jejunandi. *Vid.* P. Babenſt. *tr. 2. d. 2. a. 5. n. 5.* 60

ARTICULUS II.

Utrum actus externus interno ſuperaddat bonitatem vel malitiam diſtinctam?

61 PRænot. 1. Hic quæri, an actus *externus* habeat moralitatem *intrinſecam* (nam, quod ſuppoſito *interno* malus vel bonus ſit, conſtat ex eo, quia prohibetur vel præcipitur) & quidem an habeat bonitatem vel malitiam formalem? nam objectivam ei non denegamus. Sumitur autem *moralitas* præcipue à *voluntate*; quia in hac reſidet *libertas* formalis.

62 CONCLUSIO: Actus externus non ſuperaddit interno moralitatem intrinſecam *ſimpliciter* in ordine ad præmium vel pœnam *eſſentialem*: ſed duntaxat *ſecundum quid*, & in ordine ad accidentale præmium vel pœnam. *Eſt communis TT. ex S. D. 1. 2. q. 20. a. 3. contra Scotiſtas.*

63 Prob. 1. pars: *Libertas* actibus *externis* non convenit, niſi per denominationem *extrinſecam* (cum deſpotice ſubjaceant imperio voluntatis absque ulla *indifferentia* ſibi propria: nec *vitales* ſint; ſiquidem non recipiantur in agente ſed in paſſo) ergo cum *moralitas* in *libertate* fundetur, etiam non habent moralitatem *intrinſecam* in ordine ad præmium *eſſentiale*; alias poſſet quis ſpoliari præmio *eſſentiali* toties, quoties *impediretur* ab actu *externo.*

Prob.

Prob. 2. pars : In actu *externo* eſt aliqua 64
ſpecialis difficultas, v.g. in *Martyrio* toleran-
tia mortis; ergo ei correſpondet aliquod præ-
mium, non eſſentiale, ex *n. 63.* ergo *acci-
dentale*, nempe laureola.

Objicies 1. Juxta S. Aug. *l. 3. de Trin.* pec- 65
cator per actum *externum* fit *miſerior* (: ℞. d. a.
propter novam malitiam *eſſentialem* n. *acciden-
talem*, quatenus ſc. per executionem *multi-
plicantur* actus *interni*, majorem durationem
habent, magisque intenduntur, c. :) ergo
habet diſtinctam malitiam. c. p. Alioquin
non darentur peccata operis, ſeu externa
(: per malitiam *intrinſecam* c. *extrinſecam* n. :)

Ob. 2. Actui externo correſpondet *pro-* 66
prium præmium *accidentale* (: independenter
ab interno n. *dependenter* c. :) ergo habet *in-
trinſecam* bonitatem. c. p. Secus martyrium
actu ſubiens, non plus mereretur (: *eſſentiali-
ter* c. *accidentaliter* n. :) quam *volens* ſubire.
Imo opera externa bona incaſſum exerceren-
tur (: ſi non haberent bonitatem, ſibi ſaltem
ab *extrinſeco* advenientem, c. ſecus n. Quin
charitas *externa* nequit adimpleri *ſola* volun-
tate :) ergo.

Ob. 3. Actus *externus* prohibetur *diſtincto* 67
præcepto (: ratione *ſui* n. ſimul ratione *inter-
ni* c. :) & *ſolus* punitur in foro externo (: ra-
tione *ſui* n. quia *conſummat* malitiam *internam*
c. :) ergo habet propriam malitiam. c. p. Se-
cus non deberet explicari in *confeſsione*; cum
ſit mera *circumſtantia* (: pertinens tamen ad ip-

ſam *ſubſtantiam* actus, & participans *rationem* peccati ab actu interno, illumque *complens* c. ſecus n. Imo *externus* ſæpe debet explicari ratione irregularitatis, excommunicationis &c. :)

68 Ob. 4. urg. Actus externus in Sacramentis habet *conducentiam* ad acquirendam gratiam ex opere operato : ergo & *moralitatem* (: n. c. Quia illa conducentia præciſe fundatur in *inſtitutione*, & *meritis* Chriſti, *quæ* communicari poſſunt actui *externo* pure ſecundum ſe ſumpto : econtra *moralitas* fundatur in *libertate*, qua caret actus externus. *Vid. Theol. noſt. Schol. Part. 2. à n. 589.* :)

69 Quæres 1. Quid requiratur, ut actus humani boni ſint *meritorii* vitæ æternæ? Ubi ſuppono meritum definiri : eſt *actus moraliter bonus, liber, ab homine juſto & viatore procedens, ac in obſequium præmiantis exhibitus* : & dividi in meritum de *condigno* (quod in ſe habet *valorem* condignum cum præmio) & in meritum de *congruo* ; quod exceditur à *præmio*, utut quamdam proportionem & congruentiam cum illo habeat. Jam

70 ℞. Ad meritum de *condigno* vitæ æternæ, præter bonitatem moralem ipſius, requiritur inſuper ex parte operantis 1. Status *gratiæ* : quia ad meritum *condignum vitæ æternæ* non ſolum opus, ſed etiam *perſona* debet eſſe iſti fini proportionata, ſubindeque ad ordinem Divinum & ſtatum amicitiæ per gratiam elevata. 2. Status *viæ* : quia meritum ſe habet

bet per modum *motus*, & *tendentiæ* ad præmium tanquam finem & terminum; motus autem & tendentia ſupponunt ſtatum *viæ*; nam dum quis movetur & tendit in terminum, nondum cenſetur eſſe in termino, ſed tantum in via ad terminum; ergo. Defectu hujus conditionis nec Sancti in cælo merentur, nec damnati in inferno demerentur.

Quæres 2. An igitur opera bona in ſtatu 71
peccati *mortalis* facta ſint penitus inutilia? ideoque intermittenda? ℟. Minime: nam inprimis ſunt ſaltem de *congruo* meritoria gratiarum *actualium* ad citiorem pœnitentiam: deinde impediunt graviores, & frequentiores lapſus: demum aſſuefaciunt exercitio bonorum operum &c. prout oſtendit P. Reiffenſtuel in Theol. Moral. *tr. 1. diſt. 2. q. 1. n. 47.* Qui plura de Merito deſiderat, conſulere poterit citatam Partem quartam Theologiæ meæ Scholaſticæ *à n. 330.*

ARTICULUS III.

An detur actus humanus indifferens.

PRænot. 1. Sermonem hic eſſe de actu 72
humano (qui nempe *ſit deliberate* cum judicio intellectus &c.) in quo conſiderari poteſt indifferentia *ſpecifica* ſeu eſſentialis (quæ deſumitur ab objecto) & *individualis* ſeu accidentalis, quæ deſumitur à *fine* & circumſtantiis.

73 Prænot. 2. *Indifferentiam* tam ex parte objecti quam finis & circumſtantiarum tunc dari, quando intellectus proponit aliquid voluntati ſic, ut nec appareat *conforme*, nec *difforme* rectæ rationi & regulis morum, ſed tantum ut *permiſſum.*

74 Prænot. 3. Quæſtionem eſſe de indifferentia ad bonitatem vel malitiam ordinis *naturalis* tantum, non ſupernaturalis (quia dantur actus, qui *nec* meritorii ſunt, nec *demeritorii*, qualis eſt de eleemoſyna à *peccatore* facta) Item de indifferentia tam *ſpecifica*, quam *individuali*, prout ſc. actus humanus hic & nunc *exercetur.*

75 CONCLUSIO I. Datur actus humanus quoad *ſpeciem* indifferens ad bonum vel malum. *Eſt communis ex S. D. 1. 2. q. 18. a. 4.*

Probatur: Dantur actus humani, qui ex parte *objecti* non dicunt ordinē convenientiæ vel *diſconvenientiæ* cum regulis morum & dictamine rectæ rationis; ut ſunt decerpere florem, mulcere barbam &c. cum nulla *lex* tales actus præcipiat, aut prohibeat: ergo ſunt indifferentes quoad ſpeciem.

76 CONCLUSIO II. Non datur actus *humanus* in *individuo* indifferens. *Eſt communis TT. ex S. D. l. c. a. 9. contra Scotiſtas.*

Probatur: Omnis actus *humanus* eſt propter aliquem *finem*: *qui* vel eſt bonum honeſtum? & ſic actus jam eſt moraliter *bonus*: vel *delectabile* pure? & ſic jam eſt malus: quia agens *rationale* debet agere ſecundum regulas ratio-

rationis (quemadmodum *artifex* ſi operatur *ut talis*, debet agere ſecundum regulas *artis*) atqui regulæ rationis dictant bonum *delectabile* referri debere ab agente *rationali* ad *honeſtum* (alias non amplius diſtingueretur ab agente irrationali) ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Actus voluntatis non poteſt tendere in objectum *indifferens*; ergo. a. p. Ejus objectum eſt *bonum* (: ℞. d. a. *naturale* c. ſemper *morale* n. nam moralitatem deſumit à fine :) ergo. 77

Ob. 2. cont. 2. concl. Dantur non tantum objecta ſed etiam *finis*, & circumſtantiæ *indifferentes* (: ſpectatæ *ſecundum ſe* præciſe c. prout hic & nunc in *exercitio* intenduntur n. quia ad *hoc* non movet niſi bonum :) ergo & actus indifferens in individuo. 78

Ob. 2. Poſſum aliquid appetere propter *commoditatem* naturæ (: cum *ordine* ad rationem c. *ſine* tali ordine n. quia alias non eſſet actus *humanus* :) atqui talis actus eſſet indifferens in individuo, ergo. M. p. Alioquin omiſſio *precum liberarum* eſſet mala vel bona (: ſecundum ſe n. prout hic & nunc *modo humano* exercetur c. :) ergo. 79

Ob. 4. Nulla lex obligat, ut homo in *omni* operatione quærat finem *honeſtum*; ergo. a. p. Non *poſitiva*; cum ex S. Scriptura nil conſtet (: n. hoc; nam præcipit: *omnia in gloriam Dei facite* :) nec *naturalis* (: n. iterum; natura enim dictat, quod agens *rationale* debeat agere ſecundum *rationem* :) cum 80

 ad

ad nullum præceptum Decalogi pertineat (: *immediate* c. *mediate* n. Etenim pertinet ad primum:) Imo actus indifferens à lege *permittitur* (: ex parte objecti c. ex parte *exercitii* n. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem: *non eſt peccatum comedere ad ſacietatem ſolius delectationis cauſa &c.*:) ergo non prohibetur à lege.

81 Ob. 5. Ex his ſequitur, quod obligaremur ad aliquid impoſſibile: ergo. a. p. Omnibus actionibus (: *abſolute* elicitis c. modo *humano* n.:) præfigere finem *honeſtum* eſt impoſſibile: ergo. Quin: ſingulis diebus committeremus innumera peccata (: ſi teneremur præfigere finem honeſtum actionibus *indeliberate* elicitis c. ſecus n.:) cum tamen de his nemo ſe *accuſet*. Imo, eſſemus obligati ad omnes actus noſtros *advertere* (: n. quia *hoc* non eſt in manu hominis uti *dirigere* in finem honeſtum, *poſito*, quod operetur modo humano:) ergo.

82 Ob. 6. Sequens ſententiam contrariam faceret actum indifferentem; ergo. a. p. Talis non *intenderet* finem honeſtum (: judicio *remoto* c. *proximo* n. quia judicat ſe amplecti objectum *licitum*, ergo & honeſtum:) ergo. Deinde: actus ei proponitur ut *indifferens* (: in actu *ſignato* c. in actu *exercito* n. Nam eo ipſo, quod *probabiliter*, etiam *honeſte* operatur:) ergo non eſt honeſtus. c. p. *Indifferens* (: in actu *ſignato* c. *exercito* n.:) & *honeſtum* non ſunt idem; ergo.

Infers.

Infers. Ergo teneremur etiam ad finem 83
ſupernaturalem actus noſtros dirigere; quia homo non unice ad finem honeſtum naturalem, ſed etiam *ſupernaturalem* ordinatus eſt (: *intrinſece* n. *extrinſece* c. :) ergo. *Vid.* P. Wenzl *Part. 4. contr. 6. q. 5. n. 173.* P. la Cr. *l. 5. n. 312.* Babenſt. *tr. 2. a. 3. n. 5.* In praxi tamen ſervire quoque poterit ſententia contraria, quæ videri poterit apud P. Reiffenſt. *tr. 1. diſt. 2. n. 38.*

DISPUTATIO II.

DE CONSCIENTIA.

ACtuum humanorum regulam proximam & intrinſecam eſſe *conſcientiam*, jam ſupra diximus. Definitur: eſt *dictamen ſeu judicium practicum intellectus, dictans, quid hic & nunc, conſideratis omnibus circumſtantiis, ſit agendum vel omittendum.* Dividitur communiter in quinque membra, prout ſtatim dicemus *n. 84.* De ultimo aget Quæſtio poſterior: de quatuor prioribus autem hæc

QUÆSTIO I.

DE CONSCIENTIA RECTA, ERRONEA, DUBIA, ET SCRUPULOSA.

ARTI-

ARTICULUS I.

An & quando licitum ſit operari cum conſcientia dubia?

84 PRænotandum 1. Conſcientiam in communi ac generatim dividi in quinque membra, videlicet in *rectam*, *erroneam*, *dubiam*, *ſcrupuloſam*, & *probabilem*. *Recta* eſt, quæ eſt *conformis* objecto, & judicat eſſe licitum, quod *eſt* licitum: *Erronea*, quæ eſt *difformis* objecto, & judicat licitum, quod *non* eſt licitum. *Dubia*, quæ circa utramque partem contradictionis *ſuſpendit* aſſenſum: *Probabilis*, quæ *uni* parti adhæret, cum formidine tamen oppoſiti: *Scrupuloſa* demum, quæ ex nullis vel *leviſſimis* fundamentis concipit formidinem peccati. Ex quo habes, conſcientiam *dubiam* formaliter & *proprie* non eſſe conſcientiam; quia non eſt *dictamen*: nec ſcrupuloſam; quia *hæc* vel ad dubiam vel ad erroneam reducitur. In rigore itaque conſcientia ex parte *objecti* formalis adæquate dividitur in *bonam* & *malam*: ex modo aſſentiendi in *certam* & *opinativam*: intrinſece autem in *veram*, & *falſam*. Jam quoad primum membrum

85 Prænot. 2. Dictamen conſcientiæ *rectæ* debere eſſe verum & *certum* certitudine tam *objectiva* (ſeu ex parte objecti, ut nempe illud ſit licitum, quod dictatur licitum) quam *formali*, excludente omnem *formidinem* oppoſiti ex parte *aſſenſus*: ſiquidem prudentia (ceu vir-

virtus intellectualis, qua anima verum dicit affirmando aut negando) juxta Ariſt. *in 6. Eth.* requirit *actum* & *objectum* certum; ne confundantur cum opinione. Hæc certitudo tamen non debet eſſe logica vel phyſica, ſed ſufficit *moralis*; quæ deſumitur ab objecto non materialiter ſed in eſſe *objecti regulabilis* conſiderato; uti ſcientia veritatem accipit ab objecto, ſpectato in *eſſe ſcibilis.* Amodo

Prænot. 3. Agere contra conſcientiam *rectam* eſſe quidem *peccatum* (quia voluntas agendo contra *hanc* non ſequitur ſuam *regulam* monentem, quid præcipiat regula remota, ſc. lex æterna, cui obedire tenemur) non tamen *diſtinctum* à peccato violati tunc præcepti. Ratio hujus eſt: quia agere *contra* dictamen conſcientiæ eſt quædam *conditio generalis*, & *promulgatio* legis; *quæ* non conſtituit diſtinctum peccatum ab ipſa lege. Hinc agens contra conſcientiam dictantem eſſe *mortale*, peccat mortaliter; dictantem eſſe *veniale*, venialiter &c. Agens autem contra dictantem, eſſe malum ſeu peccatum in *genere* tantum, non peccat niſi venialiter: quia *gravitas* malitiæ non eſt *voluntaria*; cum nec ſit cognita, nec poſſit cognoſci; ut ſupponitur: nec ageret, ſi *ſciret*, eſſe mortale; adeoque habet voluntatem interpretative excludentem *omne* mortale. Deinde: apprehenſio *malitiæ* in *genere* eſt apprehenſio malitiæ adhuc *imperfectæ* in genere mali; ergo. *Vid.* la Cr. *l. 1. n. 3.* P. Mezger *t. 5. d. 11. a. 3.* §. *3. n. 9.* Nunc quoque quoad alterum membrum, 86

Præ-

87 Prænot. 4. Conſcientiam *erroneam* hic eſſe illam, quæ *ex principiis falſis* vel falſo applicatis *creditis tamen pro veris*, judicat aliquid agendum ut bonum, vel fugiendum ut malum, *cum tamen tale non ſit*. Eſtque duplex, una *invincibilis* & inculpabilis, cujus error *morali* ſtudio deponi *non* potuit: altera *vincibilis* & culpabilis, cujus error *deponi* potuiſſet. Utraque obligat ſaltem *negative*, ne contra illam agamus (quia qui operatur *contra* dictamen conſcientiæ, ſive vincibiliter ſive invincibiliter erroneæ, *eligit* objectum, quod ſibi hic & nunc videtur *contrarium legi* Dei; ergo peccat: conſequenter obligat *negative*, ne *contra* illam agamus) *poſitive* tamen obligat ſola conſcientia invincibiliter erronea: quia *hæc* agenti hic & nunc proponit, & repræſentat aliquid agendum tanquam conforme *præcepto* Divino; cum ſit *hujus* intimatio: ergo obligat *poſitive*. Maxime: quia non poteſt deponi; eo ipſo, quod invincibilis ſit. Taliter tamen non obligat, ſi ſit *vincibiliter* erronea; quia ſequens *hujus* dictamen peccat; ſiquidem *malitia* actus ſit ei *voluntaria*, cum error, ſeu ignorantia *vincibilis* non tollat voluntarium, ex *n. 30*. Cæterum ſi conſcientia *erronea* concepta ſit *absque* fundamento, poteſt quoque deponi absque *alio* fundamento, ſi advertatur ipſius falſitas: quia per quas cauſas res naſcitur, per easdem quoque diſſolvitur. Si tamen concepta foret *cum* fundamento & ratione *probabili*, requireretur quoque *talis* ad illam

lam deponendam; ſecus enim non deponeretur prudenter. Nunc etiam circa tertium membrum.

Prænot. 5. Conſcientiam dubiam definiri: 88
quæ in neutram contradictionis partem aſſenſu determinato inclinat. Hinc ſi intellectus aliquo modo determinetur ad *unam* partem, erit opinio, vel ſuſpicio. Dividitur juxta varias diviſiones *dubii*, à quo deinde denominationem accipit. Itaque ſciendum, quod dubium aliud ſit *poſitivum* (quod eſt ſuſpenſio judicii proveniens ex *æqualitate* motivorum) aliud *negativum*; quod eſt ſuſpenſio judicii ex *defectu* ſufficientis motivi pro hac vel illa parte.

Inſuper ulterius dividitur in dubium *juris* (quando dubitatur de *lege* aliqua, obligatione, conſuetudine, aut valore actus) & in dubium *facti*; ſi dubitatur de *exiſtentia* actus, alicujus circumſtantiæ, an v.g. emiſeris votum &c. Utrumque hoc dubium aliud eſt *ſpeculativum*, quod verſatur circa rem *ſecundum ſe* ſpectatam, præſcindendo à circumſtantiis, & ab *operatione* exercenda: aliud *practicum*, quod verſatur circa rem *affectam* circumſtantiis & operationem *hic* & *nunc* exercendam. Quodlibet ex his ſubdividitur in *vincibile* (quod adhibita *diligenti* inquiſitione deponi poteſt) & in *invincibile* quod taliter deponi, & veritas obtineri non poteſt. Propoſitum in titulo dubium jam ſolvet ſequens

CONCLUSIO: Licitum eſt agere cum 89
conſcientia *ſpeculative* dubia, quando eſt invin-

vincibilis, & accedit judicium practice certum de honeſtate operationis; non tamen licitum eſt operari cum conſcientia *practice* dubia. *Eſt communis omnium Theologorum.*

90 Prob. 1. pars: *Stante* dubio ſpeculativo, poteſt quis formare *prudens* dictamen practicum de honeſtate ſuæ operationis (quia poteſt illi occurrere motivum *moraliter* certum) ergo licite operatur.

91 Confirmatur: Quamvis aliquis habeat dubium *ſpeculativum*, ſi tamen præterea habeat dictamen *practice* certum de honeſtate ſuæ operationis, talis adhuc operatur *conformiter* regulæ *proximæ* actuum humanorum; ergo & licite.

92 Prob. 2. pars: Operans cum dubio *practico* non operatur ex *dictamine* rectæ rationis; quia *non* judicat, hunc actum eſſe *licitum* (eo ipſo quod taliter agens *ſuſpendat* omne ſuum judicium & neutri contradictionis parti aſſenſum præbeat) ergo non operatur licite.

93 Confirmatur: Taliter practice dubitans ſe exponit *proximo* periculo peccandi, quia nullo modo *ſecurus* eſt, an non hic & nunc per operationem ſuam *offendat* Deum; ergo: conſequenter committit tale peccatum, quale *eſſe* vel non eſſe dubitat. Si quis tamen non vere dubitet, ſed ſolum *patiatur* quoſdam *timores*, anxietates, aut ſcrupulos, qui ſæpe nolentem affligunt, non peccabit operando contra illos. P. Reiffenſt. *tr. 1. diſt. 3. q. 3. n. 32.*

Obji-

Objicies 1, cont. 1. part. Ex dubio *ſpeculativo* ſemper reſultat dubium *practicum*: ergo ſi non eſt licitum operari cum conſcientia *practice* dubia, etiam non erit licitum operari cum conſcientia *ſpeculative* dubia (: ℞. d. c. niſi dubium practicum, ex ſpeculativo oriri ſolitũ, per accidens & ex acceſſu *novæ* rationis ac circumſtantiæ impediatur, aut ortum, deponatur c. ſecus n. c. & c. :) a. p. Dubitans, an die *feſto* licitum ſit pingere, etiam dubitabit, an *hodierno* feſto id licitum ſit? ergo. 94

Inſtabis: Omnis notitia *practica* deducitur ex aliqua *ſpeculativa*: ergo nequit dari judicium certum circa aliquam rem (: ex *eo* principio c. ex *alio* n. :) de qua conſcientia eſt ſpeculative dubia. 95

Ob. 2. cont. 2. part. Conſcientia practice dubia objectum non proponit *ut malum* (: certo c. ut malum *dubie* n. :) hoc ipſo, quod quis *dubitet*, an malum ſit: ergo non facit, ut quis male operetur. 96

Ob. 3. Non peccat, qui eligit operationem *minus probabiliter* licitam ex *n. 122.* ergo nec, qui *dubie* licitam. c. p. *Minus* probabilis apparet *magis* illicita (: materialiter & *ſpeculative* t. formaliter & *practice* n. :) econtra *dubie* licita tantum apparet *æqualiter* illicita; ergo. 97

Ob. 4. Se exponere *periculo* peccandi non ſemper eſt peccatum: ergo nec cum dubio practico operari. a. p. Cõnfeſſarius licite audit confeſſiones, etiamſi habeat periculum incidendi in graves tentationes aut etiam pa- 98

tiendi pollutioné (: n. ſupp. quod ſit periculum *peccandi formaliter*: quia dans operam rei *licita* non dubitat ſed *certus* eſt, quod nec tentatio nec pollutio, etiam prævila, at non intenta, ſibi imputetur ad culpam :) ergo.

99 Quæres 1. Quid ergo agendum ſit *practice* dubitanti? ℞. Debet vel *abſtinere* ab operatione; vel antequam operetur conſcientiam practice dubiam *deponere* per indagationem *veritatis*. Quodſi *hæc* poſt debitam diligentiam deprehendi non poſſit, confugiendum eſt ad aliquod *rationabile* motivum, quo intellectus ad unam potius quam alteram partem amplectendam determinetur. Ejusmodi autem motiva ex Jure tria nobis ſuppeditantur. 1. *In dubiis tutior pars eligenda eſt.* 2. *In dubio è duobus malis minus eſt eligendum.* 3. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Circa primum

100 Quæres 2. An & quomodo in dubio *tutior* pars eligenda ſit? ℞. Eligenda eſt pars tutior non *comparative* ſed *adverſative*: id eſt, debemus ſequi partem tutam, relicta non tuta. Ratio eſt; quia eligendo tutiorem *adverſative* adhuc *prudenter* operamur; nec poteſt oſtendi *lex*, quæ obliget ad tutiora comparative: aut ſaltem lex illa *non* eſt *ſufficienter promulgata*, nec nobis applicata; ergo talis lex non obligat: maxime, quia eſſet onus irra-

101 tionabile & intolerabile. Imo, non eſſet licitum ſequi in dubio opinionem etiam *probabiliſſimam* (quod tamen damnatum eſt ab Alex. VIII. in hac propoſitione 3. proſcripta: *Non licet ſequi*

ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam) cum *hæc* non ſemper ſit tutior. Hanc regulam tamen ſequi non poteſt miniſter Sacramentorum quoad materiam & formam, ab Eccleſia non ſupplebilem; Judex, Medicus &c. De quibus infra à *n. 134.* Interim circa ſecundam regulam

Quæres 3. Utrum, & quomodo è duobus malis ſit minus eligendum? ℞. Hanc regulam tunc eſſe tenendam, quando *utraque* pars videtur eſſe *mala*; & tamen operandi neceſſitas inſtat, ita ut neceſſario eligendum ſit alterutrum; tunc enim id eligendum eſt, quod apparet eſſe *minus* malum. *Vid.* la Cr. *l. 1. n. 81.* Reiffenſt. *tr. 1. diſt. 3. à n. 38.* Reverendiſſ. DD. Franciſ. Abb. M. Aug. *tr. 1. §. 3. ſect. 1. per tot.* Denique quoad regulam tertiam, 102

Quæres 4. An *poſſeſſio* ſit ſufficiens titulus deponendi conſcientiam dubiam etiam *extra* materiam juſtitiæ? ℞. Affirmative: quia poſſidens *ultra* jus dubium *proprietatis* inſuper habet jus *poſſeſſionis*: *quæ* parit *præſumptionem* juris & *titulum*, ſi diuturna ſit. Et hoc verum eſt etiam in foro *interno*: quia *hoc* confirmatur foro *externo*, quando externum non innititur falſæ præſumptioni: ergo ſicut hoc eſt in poſſeſſione *rei*, ita internum in poſſeſſione ſuæ *libertatis* & innocentiæ: Sic melior eſt conditio poſſidentis in materia obedientiæ; Religionis, fidelitatis &c. ergo & in reliquis materiis. *Vid.* la Cr. *l. 1. à n. 502.* Babenſt. *tr. 1. d. 3. a. 2. n. 13.* Mezger *tr. 5. d. 12.* 103

a. 3. à n. 1. Elbel *p. 1. confer. 6. n. 150.* Stat autem poſſeſſio pro illo, *quod* fuit, *ante* dubium exortum: item, pro quo ſtat *præſumptio* juris: demum pro illo, qui *onus* probandi transfert in alterum &c. *Vid.* Theol. noſt. Schol. *à n. 646.*

ARTICULUS II.

Num licitum ſit agere contra conſcientiam ſcrupuloſam?

105 PRænot. 1. Conſcientiam ſcrupuloſam deſcribi, quod ſit *inanis quædam ſuſpicio, ex levi vel nullo fundamento proveniens, conjuncta cum anxietate animi ac formidine vel credulitate, quod ſubſit alicubi peccatum, ubi nullum ſubeſt.* Adeoque ſcrupulus *inchoative* eſt in *apprehenſione* peccati ex nullo vel levi fundamento; *completive* autem & formaliter in actuali *credulitate* peccati, *quæ* illam apprehenſionem conſequitur.

106 Prænot. 2. Cauſas ſeu radices ſcrupulorum eſſe plures. *Extrinſecæ* communiter numerantur tres, ſc. *permiſſio* Divina, *tentatio* dæmonis, & *familiaritas* cum ſcrupuloſis. *Intrinſecæ* autem potiſſimum ſunt quinque 1. Naturalis *complexio.* 2. Occulta *ſuperbia.* 3. Ignorantia cum aliqua *perſpicacitate,* 4. Nimia *ſolicitudo* cavendi omne malum. 5. Et præcipue *actio* ſcrupuloſa ſæpius admiſſa.

107 Prænot. 3. Mala, è ſcrupulis oriri ſolita, eſſe profecto magna. Graviora emphatice enu-

enumerat P. Stoz *l. 1. p. 5. q. 3. n. 178.* Nos remedium illorum inquirimus. Optimum erit ſi ſcrupulis, ſine ſcrupulis *contra agendo*, reſiſtatur. Quia vero, an hoc *licite* fieri poſſit, multi ſcrupulizant, ideo illis notantiſſime notanda eſt præſens

CONCLUSIO: Non tantum *licitum* ſed quandoque etiam *obligatorium* eſt, agere contra ſcrupulos: imo velut alia tentatio rejici & deponi poſſunt pro arbitrio absque ulla ratione. Ita *ex communi* P. Stoz *l. 1. p. 5. à n. 180. cum Authoribus ibi citatis.* 108

Prob. 1. pars: Cum *vana* apprehenſione & formidine ſtare poteſt, imo plerumque de facto ſtat judicium *prudens* oppoſitum, non eſſe peccatum: ergo cum in operatione utique *potius* ſequendum ſit judicium *prudens* quam apprehenſio *vana* contraria ſemper licite operamur contra ſcrupulum adhuc ſtantem, & quantumlibet remurmurantem: ut recte monet P. Spor. *tr. 1. n. 106.* addente P. Babenſt. *tr. 1. d. 5. a. 1. n. 5.* ſi ſcrupulus dictat, exſpuendo in terram te peccare, exſpue ſæpius de induſtria &c. Deinde: licitum eſt agere contra conſcientiam ſeu ſententiam *magis* aut minus *probabilem*: ergo multo magis contra ſcrupuloſam, quæ eſt inferioris dignitatis quam conſcientia *probabilis.* 109

Prob. 2. pars: Niſi agatur *contra* ſcrupulos, hi ſemper augentur: nam actio ſcrupuloſa *ſæpius* admiſſa inclinat ad ſimiles actus in ſimilibus materiis; ſicque tandem parit *habi-* 110

tum : quem maxima mala tum *corporis* tum *animæ* conſequuntur; cum tamen homo *neutrius* ſit dominus : ergo.

111 Prob. 3. pars : Scrupulus non continet ſufficiens *motivum* vitandi aliquid tanquam illicitum, quod alias rationabili de cauſa licitum creditur : ergo poteſt deponi ſine *alia* ratione, dummodo judicetur eſſe ſcrupulus, & ut talis contemnatur. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 1. diſt. 3. q. 5. n. 72.*

112 Objicies 1. cont. 1. part. Scrupuloſus habet conſcientiam *dubiam* (: ℞. d. a. *practice* n. *ſpeculative* c. :) ergo illicite agit contra illam : quia in dubiis eligenda *tutior* eſt pars (: adverſative c. *comparative* n. :)

113 Ob. 2. Stante ſcrupulo, non adeſt judicium *probabile* de honeſtate operationis (: ſi tolleret *aſſenſum* partis contrariæ c. ſecus n. :) ergo non eſt licitum operari.

114 Ob. 3. cont. 2. part. Juxta S. Script. *Proverb. 28. Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus* (: per conſcientiam vere timoratam & *rationabilem* c. inaniter *ſcrupuloſam* n. :) ergo non eſt obligatio agendi contra ſcrupulos.

115 Inſiſtes : Si morti proximus eſſem, non auderem cum hoc ſcrupulo comparere coram judice Divino (: ſi ex ſcrupulo permittas fieri *verum* dubium c. ſi contemnas n. Nam in articulo mortis licitum eſt agere contra conſcientiam *probabilem* aut probabiliorem, ex *n. 132.* ergo multo magis contra ſcrupuloſam :)

Ob. 4.

Ob. 4. cont. 2. part. Scrupuloſus etiam operando *contra* ſcrupulum, adhuc timet (: *practice* n. *ſpeculative* c. :) ne cum dubio operetur: ergo peccat. Maxime: quia ſe non ſemper poteſt tam *cito* determinare & formare judicium practicum (: *explicite* t. implicite & *virtualiter* n. Etenim ipſe contemptus ſcrupuli eſt reſolutio, & *timor* ille perdurans non eſt judicium, nec conſcientia dubia, ſed tantum aliqua *fuga*, ſive actus appetitus aut voluntatis conjunctus cum apprehenſione mali, quod *fugit* :) quod non peccet; ergo. *Vid.* P. la Cr. *l. 1. n. 555. l. 6. p. 2. n. 190. &c. cum citatis ſupra n.* 102. 116

QUÆSTIO II.

DE CONSCIENTIA PROBABILI.

ARTICULUS I.

An licitum ſit in praxi ſequi ſententiam probabilem?

PRænotandum 1. Conſcientiam *probabilem* definiri, quod ſit dictamen intellectus practici, quod ex principiis *probabilibus*, ſeu veriſimilibus *concludit*, aliquid hic & nunc eſſe *licitum* aut illicitum. Opinio probabilis (quæ definitur, quod ſit *judicium* incertum ſeu fallibile, *gravi* tamen & *ratio-* 117

nabili motivo innixum) dividitur in *intrinſece* & extrinſece , in *practice* & ſpeculative, in *directe* & indirecte probabilem : Item in probabilem *quoad ſe*, & in probabilem *quoad nos* : quæ omnia ex terminis pateſcunt. *Vid.* la Cr. *n. 315.* Reiffenſt. *n. 42.*

118 Prænot. 2. Quamvis Alex. VII. damnavit hanc propoſitionem: *Si liber eſt alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à ſede Apoſtolica tanquam improbabilem* : Nihilominus *unicum* authorem poſſe facere ſententiam vere probabilem , ſi ſit omni exceptione major; ad quod requiritur 1. Ut ejus opinio non ſit *contra* aliquod principium *certum*. 2. Ut fundetur in ratione *gravi*. 3. Ut ipſe alias non docuerit varia improbabilia. 4. Ut non ſit merus ſummiſta. De quibus videri poterit P. la Cr. *l. 1. n. 160.* Cæterum quemadmodum *fundamentum*, cui innititur opinio probabilis, ſubinde eſt *grave*, ſubinde *gravius*, ſubinde *graviſſimum*, ita quoque ex ſententiis probabilibus una eſt *probabiliſſima*, altera *probabilior*, alia certo *probabilis*, aut etiam *probabiliter* tantum probabilis. De qua aliquid infra *n. 132.* *Vid.* P. la Cr. *n. 125.* &c. Modo quæſtioni trinæ revera famoſiſſimæ ſatisfaciet hæc unica

119 CONCLUSIO: Licitum eſt ſequi ſententiam vere probabilem : non tantum in concurſu æque probabilis: ſed etiam relicta probabiliore. *Ita de facto communis authoritatibus & ra-*

& rationibus potior ; adeoque probabiliſſima , & vix non moraliter certa ; ut vult P. la Cr. *l.* 1. *n.* 269. 343. *&c.*

Prob. 1. pars : Qui operatur ſecundum ſententiam vere probabilem, operatur *juxta* prudens ac *certum* conſcientiæ dictamen : cum habeat certas præmiſſas ; ergo & certam concluſionem, ſeu ultimum dictamen, reflexum ſaltem. *Vid.* P. Reiffenſt. *n.* 50. 120

Prob. 2. pars : Electio *utriusque* opinionis è duabus æqualiter probabilibus fit prudenter: eo quod quælibet gignat *prudentem* aſſenſum ; cum quælibet maneat probabilis (alias eſſet & non eſſet probabilis) ergo. 121

Prob. 3. pars : Sequens *minus* probabilem adhuc operatur prudenter : quia *manet* probabilis, etiam in *concurſu* probabilioris: alias quisquis unam opinionem defenderet ut probabiliorem , deberet judicare , opinionem contrariam eſſe improbabilem. Sic major bonitas virginitatis non deſtruit minorem bonitatem matrimonii. 122

Confirmatur : Non poteſt oſtendi lex obligans ad ſequendas *probabiliores* , cùm ea lateat plerosque ; ſiquidem illam conſtanter negent tot viri docti & pii , ergo. Deinde : ſi daretur, non eſſet *promulgata*, quia hujus promulgatio *probabiliter* negatur ; cum ſententia negans hanc promulgationem ſit probabilis : ergo. Quinimo : ſequens *minus* probabilem agit contra legem *invincibiliter* ; quia re ſufficienter examinata non poteſt in- 123 124

 venire

venire veritatem (ſiquidem in *probabiliori* forte æque lateat *falſitas*) ergo licite agit. Imo ſequens probabilem ſequitur probabiliorem: quia *probabilius* eſt, quod licitum ſit ſequi minus probabilem; ergo. la Cr. *n.* 290.

125 Objicies 1. cont. 1. part. Operans ex conſcientia *probabili* operatur cum *formidine* (: ℞. d. a. practica & tenente ſe ex parte judicii *proximi* n. ſpeculativa & tenente ex parte judicii *remoti* tantum c. :) quia omnis *opinio* eſt eſſentialiter *formidoloſa*; ergo non licite operatur.

126 Urg. In diſcurſu practico, per quem formatur conſcientia, *una* ex præmiſſis (: *remotis* c. *proximis* n. :) eſt incerta: ergo & concluſio ſeu conſcientia. Præſertim: quia judicium *reflexum* non poteſt afferre judicio directo ullam certitudinem: ergo intellectus perget formidare (: ſi adeſſet *ſolum* judicium *directum* c. habito ſimul *reflexo* n. Nam hoc propter *novas* circumſtantias & *motiva* eſt certius quam directum :)

127 Ob. 2. cont. 2. part. *Voluntas* ex duobus mediis *æqualiter* utilibus neutrum poteſt eligere: ergo nec *intellectus* è duabus opinionibus æqualiter probabilibus (: ſibi ipſi relictus t. ut applicatus per *voluntatem* n. Etenim ſicut *voluntas* ab intellectu poteſt determinari, ut eligat unum è duobus bonis æqualibus: ſic & *intellectus* poteſt determinari à voluntate, ut aſſentiatur uni ex opinionibus æqualiter probabilibus :)

128 Inſt. Una ex duabus probabilibus eſt certo falſa

falſa (: *determinate* n. indeterminate c. quia utraque habet grave *motivum* :) ergo neutri poſſumus aſſentiri.

Ob. 3. cont. 3. part. Opinio *minus* probabilis magis apparet falſa: ergo intellectus non poteſt judicare illam eſſe *veram* (: *abſolute* c. *apparenter*, & quantum eſt ex vi motivorum ſuadentium, eſſe *veram* n. hoc autem non impediunt motiva *probabiliora*, quia etiam *his* poteſt ſubeſſe *falſitas* :) ſic non poteſt judicare eſſe nigrum, quod magis apparet album (: n. parit. Quia in *opinabilibus* illud, quod apparet *magis* verum, ſæpe experimur eſſe *falſum*; & adeſt motivum grave quod oppoſitum ſit verum :) ergo. 129

Ob. 4. Operans ſecundum minus probabilem ſe exponit periculo peccandi (: *formaliter* n. *materialiter* c. *hoc* autem habet ſequens etiam *probabiliorem*, vel moraliter certam :) Inſuper, agit *imprudenter*, ſicut, qui utitur horologio *minus* bono (: n. parit. Quia bona fides non conformat illud curſui ſolis: bene tamen meam *operationem* voluntati Divinæ, ſaltem ſecundariæ & *permittenti* :) præcipue, cum hanc ſecutus, fuerit damnatus (: ob non ſufficientem reſolutionem c. ſecus n. :) Et certum ſit, unam (: *determinate* n. *indeterminate* c. :) eſſe falſam (: numquid & *probabilior* poteſt eſſe falſa? :) ergo. 130

Premes: *Miniſter* Sacramenti, *Judex*, & *Medicus* tenentur ſequi probabiliora: ergo & quilibet *alius* (: n. ſ. Quia illi habent *ſpecialem* 131

cialem obligationem :) Singulariter : quia S. Scriptura & SS. Canones id innuunt (: tanquam *conſilium* c. tanquam præceptum ſubd. ubi eſt *ſpecialis* obligatio, vel *non vera* probabilitas c. ſecus n. :)

132 Deduces: Non eſſe licitum ſequi ſententiam *tenuiter* vel dubie *probabilem*: quia motivum tenue vel dubium non eſt dignum aſſenſu prudenti. Eſt tamen licitum ſequi ſententiam *probabiliter* tantum *probabilem*: quia ſic æque poſſum formare judicium *certum* ac ubi eſt *certo* probabilis; cum adſit ratio gravis. La Cr. *l. 1. n. 368.* Reiffenſt. *n. 46.* Similiter non eſt licitum ſequi *extrinſece* tantummodo probabilem: interim præſumitur eſſe talis *intrinſece*, ſi multi Authores illam teneant. Et in praxi, ubi tempus non ſuppetit, ſecure ſequor illam, quam legi &c. ſequendo modo hanc modo illam vere probabilem: etiam relicta propria *probabiliore*: etiam in articulo mortis: & conſultus &c. *Vid.* P. Sporer *tr. 1. c. 1. ſ. 3. n. 50.* P. la Cr. *l. 1. n. 458.* P. Reiffenſt. *tr. 1. diſt. 3 q. 4. n. 50.* P. Babenſtuber *tr. 1. d. 4. a. 2. n. 14.*

ARTICULUS II.

Utrum licitum ſit ſequi probabilem minus tutam, relicta tutiore?

133 PRænotandum: *Probabilius* non ſemper eſſe *tutius*: ſic plures habere *Præbendas*, eſſe licitum, eſt probabilius; non tamen

men tutius. Quæritur itaque, an ſit præceptum ſequendi tutius? Ubi bene diſtinguendum eſt, an tutior verſetur circa *actiones* & jus? an circa *res* & factum? ſeu quod in idem recidit, an verſetur tantum circa *honeſtatem* actionis? an vero circa *valorem*?

CONCLUSIO: Licitum eſt ſequi *minus tutam*, relicta tutiore, ſi quæſtio eſt de *honeſtate actionis*: non item, ubi quæſtio eſt circa 134
valorem vel efficaciam actionis, aut quæſtionem facti, ubi intervenit *ſpeciale* præceptum *charitatis*, *juſtitiæ*, vel *religionis*, prohibens actionem, ad quam prævidetur probabile *damnum* temporale vel ſpirituale proximi, aut *nullitas* Sacramenti ſecutura. *Eſt communis Benigniorum.*

Prob. 1. pars: (præter dicta *n.* 100.) Ex 135
praxi, qua Eccleſia diſpenſat in votis *ſolemnibus*, contra opinionem D. Th. tutiorem: Item, in matrimonio rato: in cohabitatione impotentium ad triennium &c. ergo. Maxime: quia in materia *fidei* non eſt obligatio ſequendi tutiorem, ut patet in immaculata conceptione B. V. ergo nec in materia *morum*. *Vid.* la Cr. *l. 1. n. 485.*

Prob. 2. pars: Quia in caſibus poſitis eve- 136
niret *reale* damnum vel *invaliditas*; quorum *neutrum* poteſt averti per meum *judicium* ſive directum ſive reflexum; ergo. Inſuper: Lex charitatis, juſtitiæ, & religionis eſt *certa*; dubium econtra, an ſequendo minus tutam ſatisfaciam obligationi; ergo.

Obji-

137 Objicies 1. cont. 1. part. Multi Canones & SS. PP. dicunt: tutiora eſſe ſequenda (: ℞. d. a. per modum *conſilii* c. præcepti, ſubd. ſi operans ſit miniſter *Sacramenti*, *Judex*, vel *Medicus* c. ſecus n. Imo; dum titulo *poſſeſſionis* depono dubium, ſequor *tutiorem* ſaltem adverſative:) ergo nunquam eſt licitum ſequi minus tutam.

138 Ob. 2. Sequens minus tutam *imprudenter* operatur; ergo. a. p. Conſtitutus in bivio imprudenter eligit viam minus tutam: ergo & conſtitutus inter duas opiniones probabiles (: n. c. Quia in *temporalibus* mea reſolutio *non* removet periculum vel damnum: bene tamen in *ſpiritualibus*. Hinc retorqueo argumentum: ſi mea reſolutio redderet viam *tutam* prudenter illam ingrederer: ergo & hic:)

139 Ob. 3. Sola opinio *tutior* nullum habet dubitandi locum (: ſi ſpectentur motiva *directa* c. ſi reflexa n. alias nec *probabiliſſimam* tute ſequeremur, quod tamen eſt *damnatum*:) ergo hanc ſolam debemus ſequi. Maxime: quia ex lege charitatis tenemur obſervare mandata Dei, quantum *poſſumus* (: abſolute n. cum *moderamine*, ut nempe vitemus offenſam *formalem* c. :) & per ſolam transgreſſionem *materialem* legis poteſt inferri injuria (: homini t. *Deo* n. quia hic inſpicit cor:)

140 Ob. 4. cont. 2. part. Miniſter Sacramentorum non tenetur ſequi tutiora etiam quoad materiam Sacramenti (: ſi ſit *ſupplebilis* ab Ec-

clesia

cleſia c. ſecus n.:) ergo. a. p. Licite abſolvo pœnitentem, qui habet attritionem (: eſt ſententia *moraliter* certa, quod attritio ſufficiat, ex *Part. 8.* Theol. Schol *à n. 267.* :) Item: non explicantem circumſtantias *aggravantes* (: ſententia requirens harum explicationem non verſatur circa *valorem* :) & cum jurisdictione *probabili* (: *hac* poteſt ſuppleri ab Eccleſia:) imo, *probabiliter* duntaxat diſpoſitum (: tutior hic eſt impoſſibilis:) cum raro id ſciamus certo; ergo.

Ob. 5. *Advocatus* licite patrocinatur cauſæ *minus* probabili, & minus tutæ, relicta tutiore: ergo etiam *Judex* licite taliter fert ſententiam. a. conſtat: quia reus *per ſe* poteſt cauſam ſuam minus tutam defendere; ergo etiam *per advocatum*; quod enim quis poteſt per ſe, etiam poteſt per alium, ex *R. J. 68. in 6.* c. patet: quia advocatus habet *analogiam* cum Judice (: *omnimodam* n. aliquam tantum c. Nam Judicis, ex pacto tacito, obligatio eſt, ferre ſententiam ſecundum merita cauſæ: ſaltem in *civilibus*:) Hinc, ſi 141

Replicas: Judex *favet* licite reo (: in civilibus n. in criminalibus c. Quippe in *his* poteſt ſequi minus probabilem; eo quod delicto *incerto* nunquam debeatur pæna *certa*:) ergo poteſt ſequi minus probabilem. 142

Ob. ult. *Medicus animarum*, ſc. Miniſter Sacramentorum ſubinde licite adhibet materiam & formam minus tutam: ergo & Medicus corporis. c. conſtat; cum magis debeat 143

attendi

attendi ſalus animæ quam *corporis*. a. p. Miniſter ſacramenti ſaltem ſub conditione licite abſolvit moribundum, *nullum* ſignum doloris dantem, baptizat licite infantem nondum integre natum &c. ergo licite adhibet materiam minus tutam (: in caſu *neceſſitatis*, & ubi tuta haberi *non* poteſt c. extra hunc caſum n. a. & c. :) Interim tamen Medicus *per accidens* poteſt uti mediis *minus* tutis; ſi nempe æger *non poſſit*, aut nolit uti pretioſis. De quibus videatur P. Sporer *hic à n. 58.* P. la Cr. *l. 4. à n. 1533.* P. Babenſtuber *tr. 1. d. 4. a. 4. n. 13.* P. Elbel *p. 1. conf. 7. n. 206.*

DISPUTATIO III.

DE LEGIBUS.

QUia in priore Diſputatione examinavimus regulam primam, *proximam*, & intrinſecam actuum humanorum, nempe *conſcientiam*, nunc recto ordine in præſenti examinamus regulam *alteram*, remotam & *extrinſecam*, nimirum *Legem*. Materiam omnem abſolvet Quæſtio bina: quarum prima attinget Legis eſſentiam; ſecunda obligationem.

(o)

QUÆ-

QUÆSTIO I.
DE ESSENTIA LEGIS.
ARTICULUS I.
An promulgatio ſit de eſſentia Legis?

PRænotandum: Alteram regulam, ſed externam, & *remotam* ſolum, actuum humanorum eſſe *legem*, quæ recte definitur: Eſt *ordinatio rationis in bonum commune publica authoritate promulgata.* Adeoque eſſentialiter conſiſtit in actu *intellectus* practici, qui eſt imperium (quia *ordinare* ad ſolum intellectum ſpectat; cum hic ſolus unum *comparet* cum alio, eoquod ſolus unum cognoſcat & repræſentet in *ordine* ad aliud) etſi præſuppoſitive & originative etiam actum *voluntatis* importet: quia lex eſt *imperium* efficax: atqui *hoc* præſupponit *intentionem* finis, & electionem mediorum, qui ſunt actus voluntatis; ergo. Ex quo habes, ad eſſentiam legis requiri 1. Ut ſit ordinata ad bonum *commune*: quia lex eſt regula *communis*. 2. Ut feratur à *publica* authoritate: quia habet vim directivam, & *coactivam*. 3. Ut ſit *perpetua*; quia communitas, in cujus bonum fertur, quoque perpetua eſt; ergo. Differt à *præcepto*, quod *hoc* detur perſonis *ſingularibus*, quas *ubique* obligat; & quod ceſſante vita aut officio *præci-* 144 145

pientis exſpiret; ſecus eſt de lege. *Vid.* Theol. Schol. *Part. 3. à n. 510.*

146 Prænot. 2. Legem generaliter ſpectatam dividi in *Divinam* (quæ vim obligandi habet à Deo immediate) & in *humanam*: quæ authoritatem ſuam immediate habet ab homine; de qua in ſequenti Diſputatione. *Lex Divina* ſubdividitur in *æternam*, *naturalem*, & *poſitivam*: quia lex Dei ſpectari poteſt vel ut ab *æterno* concepta, vel ut *impreſſa* cujuslibet hominis intellectui; vel ut *publica* promulgatione manifeſtata. De *æterna* & *naturali* plura,
147 huc non ſpectantia, diximus in *Part. 3.* Theol. Schol. *à n. 546.* Poſitiva eſt duplex: *vetus* (quæ per Moyſen Dei nomine lata ac promulgata eſt) & *nova*, quæ à Chriſto Domino in Evangeliis, aliisque novi Teſtamenti libris condita eſt. Jam ſciendum in lege *veteri* triplicis generis præcepta contineri, nempe *moralia* (quæ ſpectant ad *morum* directionem, ut ſunt præcepta Decalogi) *cæremonialia* (quæ determinant tempus & ritus circa cultum Divinum) & *judicialia*: quæ ad politicum regimen Reipublicæ pertinent. Ex his moralia ſunt juris *naturalis*, ac proinde immutabilia, & indiſpenſabilia: cætera autem ſunt tantum *determinationes* præceptorum moralium; vimque habent ex ſola inſtitutione Divina.

148 Prænot. 3. Totam legem antiquam fuiſſe mortuam conſummato per mortem Chriſti ſacrificio in ara Crucis: quia *lex antiqua* fuit alligata ſtatui *veteris* Teſtamenti: ergo *hoc* ſub-

ſublato (quod factum eſt in morte Chriſti, teſte Apoſtolo *ad Hebr. 9.*) amiſit ſuam efficaciam & obligationem; in cujus ſignum mox in morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt. *Luc. 23.* Adeoque *lex nova* virtutem obligativam in actu *primo* obtinuit in morte Chriſti (quia, ut ait idem Apoſtolus *l. cit.*) teſtamentum per *mortem* teſtatoris confirmatur: ergo leges, quas Chriſtus in *novo* Teſtamento condidit, per mortem ejus acceperunt *vim* obligandi ſaltem in actu primo) in actu ſecundo autem per ſolemnem promulgationem in die Pentecoſtes factam: quia ad obligationem in actu *ſecundo* eſſentialiter requiritur *promulgatio* ex dicendis à *n. 155.* Ergo cum 149
hæc ſolemniter facta ſit primum in die Pentecoſtes, tunc primum in actu ſecundo obligare cœpit. Cæterum lex antiqua non ſtatim tunc fuit mortifera, ita ut ſine peccato obſervari non potuerit, ſed primum circa annum *quadrageſimum* poſt mortem Chriſti: quia intra hoc tempus Evangelium fuit ſufficienter *promulgatum* per totum orbem; ac inſuper *deſtructum* templum Jeroſolymitanum & Respublica Judaica à Romanis Imperatoribus; ergo tunc non amplius erat neceſſarium deferre honorem Synagogæ jam extinctæ, aut uti condeſcenſu erga Judæos, tamdiu vocationi Divinæ rebelles. Quod attinet alterum membrum legis Divinæ poſitivæ,

Prænot. 4. Legem *novam* habere veram & 150
propriam rationem legis. Eſt de fide contra

D 2 noſtri

noſtri temporis hæreticos, qui volunt, nihil eſſe de præcepto præter *fidem.* Conſtat ex *Matth. ult.* ubi Chriſtus, ceu lator novæ legis, generaliter dicit: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque*
151 *MANDAVI VOBIS &c.* ergo. Materia ejus ſunt actus tam interni, quam externi in materia *virtutum moralium* (quia lex naturalis de actibus iſtarum virtutum fuit per Evangelium magis confirmata) *fidei & Sacramentorum*: quia in nova lege nova Sacramenta ſunt inſtituta, & plures fidei articuli explicite determinati & præſcripti. *Subjectum* eſſe *omnem* hominem, conſtat ex illo *Matth. ult.*
152 *Docete OMNES gentes* &c. Interim de ratione ejus non eſt, quod ſit *ſcripta*: quia *ante* ſcriptionem Evangeliorum lex Evangelica erat ſufficienter promulgata & obligatoria: quatenus fuit *cordibus* inſcripta per judicium *practicum* intellectus non mere naturale ſicut lex naturalis, ſed Spiritu *gratiæ* Divinæ elevatum. Cæterum legem Evangelicam eſſe duraturam usque ad finem mundi, colligitur ex *Matth. 24.* Et ex hac ratione: quia lex Evangelica *immediate* conjungit *ultimo* fini (nam vita æterna datur intuitu fidei, Sacramentorum, & bonorum operum, quæ per legem novam & Chriſtum hujus authorem traduntur) ergo & ipſa debet eſſe ultima, nulla alia interveniente. Nunc veniendo propius ad rem,

Præ-

Prænot. 5. Legis in communi ſpeciem alteram, ut jam diximus, eſſe legem *humanam*, quæ à Divina ut rivulus à fonte derivatur. Dividitur in *ſcriptam* (quæ litteris expreſſa proſtat) & *non* ſcriptam, quæ uſu ac moribus introducta & approbata eſt; talis lex eſt *conſuetudo*, de qua infra *n. 269.* Lex ſcripta ſubdividitur in *Eccleſiaſticam* & *Civilem.* Illa eſt, quæ fertur à poteſtate Eccleſiaſtica, & vocatur *Jus Canonicum*: iſta eſt, quæ fertur à poteſtate ſæculari; vocaturque *Jus Civile.* Huc quoque reduci poteſt Jus Gentium, quod eſt ordinatio rationis diuturnis gentium moribus ad communem utilitatem gentium *qua talium* conſtituta; ut eſt ſecuritas Legatorum, libertas commerciorum &c. Jam certum eſt, ad hoc, ut lex in actu *ſecundo* obliget, requiri promulgationem, & quidem non tantum *activam* (quæ eſt ipſum *imperium* legislatoris; legi utique eſſentiale) ſed etiam *paſſivam*, quæ eſt ipſum *ſignum* manifeſtativum legis. Circa *hanc* dubium eſt, & 153 154

CONCLUSIO: Promulgatio non eſt *conſtitutivum* eſſentiale legis: ſed tantum *conditio*, *eſſentialiter* tamen requiſita. *ita TT. cont. TT. & Canoniſtas pleroſque.* 155

Prob. 1. pars: Promulgatio eſt tantum *applicatio* legis juxta S. D. *hic a. 4. in c.* ergo non eſt *de eſſentia* legis. c. p. Omnis *applicatio* ſupponit rem applicatam in ſua eſſentia adæquate completam: ſic *cognitio* ſupponit bonum jam completum. ergo & *promulgatio.* 156

 Maxi-

Maxime : quia *hæc* , utpote *extrinſeca* legi, non poteſt dare virtutem *intrinſecam* obligativam formaliter. Imo alioquin lex non amplius eſſet actus *ſolius* intellectus, contra dicta *n. 144.* ergo.

157 Prob. 2. pars : Ad *actualem* legis obligationem requiritur promulgatio : atqui non ut conſtitutivum; ergo ut *conditio* ; non *accidentalis* tantum (prout eſt applicatio ignis, quæ ſuppleri poteſt à Deo) ſed ut conditio *eſſentialis* : prout eſt cognitio in objecto voluntatis, vid. bono, quæ ſuppleri non poteſt.

158 Objicies 1. cont. 1. part. Juxta *S. D. 1. 2. q. 90. a. 4.* promulgatio eſt *de ratione legis* : ergo eſt de ejus *eſſentia* (: ℞. d. ç. id eſt , eſſentiale *requiſitum* c. intrinſecum *conſtitutivum* n. Sic *intentio* ad Sacramentum requiritur eſſentialiter, quin illud conſtituat :)

159 Urgebis : Secundum *S. D. l. c.* promulgatio dat legi *virtutem* obligativam (: in actu *primo* n. in actu *ſecundo* ſubd. tanquam *conſtitutivum* n. tanquam *conditio* eſſentialis c. Sic bonum in actu ſecundo non amatur, niſi *cognoſcatur* ; & tamen cognitio non conſtituit bonum :) ergo eſt de eſſentia. Præſertim: quia *leges inſtituuntur* (: in actu *ſecundo* t. in actu primo n. quia leges *prius conduntur* , *quam promulgantur* :) dum promulgantur. *c. in iſtis. diſt. 4.*

160 Ob. 2. Lex eſt eſſentialiter imperium *publicum* (: publicatione ingrediente ut *conſtitutivo* n. velut *conditione* eſſentiali c. Sic objectum

ctum fidei eſſentialiter eſt obſcurum , quin obſcuritas illud conſtituat :) ergo.

Inſtabis: Lex involvit in *recto* promulgationem (: *activam* c. *paſſivam* n. :) quia eſt ipſum imperium ſeu *ordinatio* (: *interna* c. externa n. :) *promulgata*: ubi promulgatio (: *activa* c. paſſiva n. :) definitionem legis ingreditur in *recto* (: quoad expreſſionem c. quoad *rem* n. Nam ſenſus eſt , quod lex eſſentialiter exigat *promulgationem* : Sic bonum *cognitum* amatur, quin cognitio importetur in recto :) ergo. 161

Ob. 3. Lex non habet *virtutem* obligandi (: in actu *primo* n. ſecundo c. :) *niſi ut* promulgata (: ly *ut* reduplicante rationem formalem *conſtitutivam* n. *conditionem* ſolum *eſſentialem* c. Sic prima veritas *ut obſcura* eſt objectum fidei :) ergo promulgatio dat legi virtutem (: ut *conditio* c. ut conſtitutivum n. :) 162

Ob. 4. Ablata promulgatione evaneſcit *tota* lex (: quoad actum *primum* n. quoad actum *ſecundum* ſubd. immediate n. *mediate* c. :) ergo eſt pars ejus conſtitutiva (: n. c. Etenim etiam ablato termino perit *relatio*, nec tamen ille eſt de *hujus* eſſentia :) Deinde: Lex eſt quædam juſſio & allocutio *externa* (: ſpectata ſimul quoad accidentalia c. ſecundum *ſubſtantialia* tantum n. quia *ſic* eſt juſſio *interna* ſolum ; cum ſit actus rationis practicæ :) ergo. 163

Ob. 5. Si ita eſt , tunc lex *habebit* totam ſuam eſſentiam *ante* promulgationem (: & ſi- 164

mul *applicationem* n. ſine applicatione c. :) ergo obligabit cognita etiam *private*; quia ſic jam eſt applicata (: *legaliter*, ſeu modo legi proportionato n. ſecus c. :) ſic lex *Divina* obligat, modo *privatim* ſit cognita (: ſi ſit ſimul juris *naturalis* t. ſi ſit mere *poſitiva* n. Vel hoc etiam conceſſo, diſparitas eſt, quod legislator *Divinus* nullibi præſcribat ſolemnem promulgationem, ut præſcribit *humanus* :)

165 Clamas: Vinculum *phyſicum* eſſentialiter conſiſtit in nexu (: *potentiali* c. actuali n. :) ergo & *lex*, ceu vinculum morale. Præterea: *actualis nexus* eſt de eſſentia *vinculi* actualis. ergo & actualis *obligatio* eſt de eſſentia legis actualis (: c. totum; nam ex hoc non ſequitur, quod promulgatio ſit de *eſſentia* legis. Sic licet *amor* actualis ſit de eſſentia boni *actualiter* amati, nihilominus non ſequitur, quod *cognitio* ſit pars *conſtitutiva* boni :)

166 Ob. 6. cont. 2. part. Promulgatio præſupponit totam *eſſentiam* legis jam conſtitutam (: in actu *primo* c. in actu ſecundo n. :) ergo non eſt conditio eſſentialiter requiſita (: in actu *primo* c. in actu *ſecundo* n. Sic cognitio eſt conditio eſſentialis reſpectu *boni* voliti in actu *ſecundo* tantum: in actu *primo* autem ne quidem eſt conditio accidentalis; quia eſſentiam legis jam ſupponit conſtitutam, ſicut applicatio caloris jam ſupponit conſtitutam eſſentiam caloris :) *Vid.* Theol. Schol. *Part.* 3. *n.* 541. Ex qua

167 Deduces 1. Promulgationem *non* fieri

equa-

æqualiter in legibus *omnibus.* Enimvero lex Divina *naturalis* promulgatur per quamdam impreſſionem; Divini luminis, juxta illud: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. pſal. 4.* Lex *Divina* poſitiva aliquando promulgatur ſola *interna* revelatione; uti multis Prophetis contigit: aliquando *cum* externa ſolemnitate &c. Lex *humana* tamen *ſemper* promulgari debet per ſigna externa & ſolemniter. *ex n. 155.*

Deduces 2. *Actus* legis eſſe, *præcipere, prohibere, permittere,* & *punire.* Ratio eſt: quia in ordine ad dirigendam Rempublicam requiritur 1. Ut quædam, tanquam *bona*, præcipiantur. 2. Ut quædam, ceu mala, prohibeantur. 3. Ut quædam, *indifferentia* & *minus* mala, ad præcavenda *majora mala*, permittantur. 4. Ut transgreſſores puniantur. *Effectus* legis ſunt, facere *bonos.* Nam lex *Divina* ſupernaturalis efficit hominem bonum in ordine ſupernaturali: *Naturalis* in ordine naturali: *Civilis* in ordine civili: *Canonica* in ordine Eccleſiaſtico; ergo. 168

Deduces 3. Leges *omnes* derivari ab *æterna*: quia *primum* in quolibet genere eſt cauſa & menſura cæterorum. Interim tamen *lex Divina* ab æterna immediate profluit: *naturalis* mediante *lumine* rationis: *humana*, mediante *legislatore* humano. De reliquo lex *Divina poſitiva* non eſt diſpenſabilis à Papa: quia *inferior* non poteſt diſpenſare in lege Superioris, niſi emergat *caſus*, in quo ſuperior 169

legislator remitteret obligationem legis, ſi *illum* prævidiſſet; ſed hoc de *Deo* dici non poteſt, eoquod infinita ſua ſcientia penetrarit omnes caſus & cauſas quocunque tempore
170 eventuras; ergo. Nec obeſt, quod Summus Pontifex diſpenſet in Matrimonio rato, voto, juramento &c. Hæc enim non obligant jure *Divino* abſolute, ſed *conditionate* tantum, ſuppoſita nempe *voluntate* humana, quatenus ab Eccleſia acceptata, & non irritata eſt: *quæ* ſi irritetur, ſequitur mutatio legis Divinæ *materialis* præciſe & indirecta: quam ultro admittimus hic, & etiam in lege naturali. Hinc

171 Deduces 4. Legem naturalem, *proprie* & formaliter loquendo, eſſe *immutabilem.* Ratio eſt: quia non eſt mutabilis quatenus eſt in *Deo* regulante; ſiquidem verſetur circa ea, quæ habent *intrinſecam* honeſtatem vel turpitudinem: nec quatenus eſt in *homine* regulato; cum ſit hujus proprietas intrinſeca, fluens ex ipſa natura rationali. Poteſt tamen mutari *materialiter* & indirecte: quia ſubinde per
172 certas circumſtantias mutari poteſt *materia* & objectum, circa quod lex naturalis verſatur; ut patet in voto, cujus obligatio (etſi ſit juris naturalis) ceſſat, quando voti materia ſit impoſſibilis, aut deſinit eſſe de meliori bono. Num autem lex naturalis *taliter* mutabilis ſit, poteſt inde cognoſci, ſi materia illius dependet ex certa *conditione*, quæ mutabilis eſt, atque auferri poteſt: quod tunc præcipue

pue ſit, quando materia Legis naturalis dependet à *dominio* & poteſtate Dei, vel hominis; prout ſæpe contingit in rebus fortunæ &c. minime tamen in blasphemia, perjurio &c.

Deduces ult. Legem naturæ non admittere epikiam *veram*: *qua* nempe non tam interpretamur legem, quam *emendamus*, atque caſum, lege *comprehenſum*, ex benigna præſumptione à lege *eximimus*. Ratio eſt: tum quia lex *naturalis* non eſt diſtincta à lege *æterna*: tum quia habet objectum intrinſece tale; ergo. Quod autem lex poſitiva humana admittat talem epikiam, inde eſt, quia legislator humanus in ſanctione legis *non* poteſt prævidere omnes omnino caſus; bene vero Deus & natura. Qualis *ignorantia* circa legem naturæ dari valeat, colligi poteſt ex dictis in Theol. Schol. *Part. 1. à n. 122.* 173

ARTICULUS II.

An actus mere interni ſint materia legis humanæ ita, ut directe poſſint præcipi?

PRænot. 1. Cum lex naturæ nimium generalis ſit, Divina autem non omnia determinet, opus inſuper fuiſſe lege humana tam *Civili*, quam Eccleſiaſtica. Hanc ferendi poteſtatem ſibi immediate à Deo conceſſam habet S. *Pontifex*, & mediante *hoc* alii Supe- 174

Superioris eccleſiaſtici. Poteſtas ferendi legem *civilem*, de jure naturæ reſidet in communitate (quia talis poteſtas eſt moralis proprietas corporis politici) defacto tamen translata eſt in Principem; ubi Regimen eſt Monarchicum. *Vid.* P. Pichler *l. 1. t. 2. àn. 14. in Comp.* P. Kazenberger *hic àn. 164.* &c.

175 Prænot. 2. Materiam legis humanæ eſſe *omnes* actiones humanas, quæ vel præcipi, vel prohiberi, vel permitti, vel puniri poſſunt. At num actus mere interni (qui ſc. nec ad *eſſe* phyſicum, nec ad eſſe *morale* externi requiruntur) præcipi poſſunt à legislatore eccleſiaſtico (nam id à Civili fieri non poſſe certum eſt, cum actus interni ad finem illius parum conducant) dicet ſequens

176 CONCLUSIO: Eccleſia poteſt præcipere actus mere internos. *Eſt fere contra torrentem Theologorum & Canoniſtarum.*

177 Prob. 1. Deus dedit ſuo in terris Vicario poteſtatem generalem per verba generalia. *Quodcunque &c. Paſce &c.* ergo non debet reſtringi. Maxime: quia poteſtas hæc *neceſſaria* eſt ad rectam fidelium gubernationem; quandoquidem non corpora, ſed *animas* fidelium gubernet, etiam quoad actus *internos*; & quidem directe, cum hi directe *conducant* ad finem ſupernaturalem Eccleſiæ; eoquod
178 *hi* ſoli intrinſece boni ſint & meritorii: ergo. Deinde: Legislator Civilis directe præcipit actum externum; ergo Eccleſia internum; alias nulla amplius eſſet diſtinctio. Imo Eccle-

cleſia directe cauſando actum *mixtum* cauſat *directe* internum : quia quod cauſat compoſitum, cauſat *partes* compoſiti *directe*; ſic Deus cauſans hominem cauſat non tantum corpus, ſed & animam; ergo.

Prob. 2. Superior *Regularis* poteſt præcipere actum internum, præſertim ſi ſubditus 179
votum feciſſet obediendi etiam in *internis* (nam poteſt *ſeipſum* obligare per votum; ergo etiam poteſt obligari ab *alio*) ergo multo magis Eccleſia. Inſuper: *id* poteſt confeſſarius; ergo & Superior. c. p. Superior habet poteſtatem *dominativam*, quam confeſſarius non habet; alias hic etiam poſſet *irritare* votum; ergo.

Prob. 3. Eccleſia habet *jurisdictionem* in 180
actus mere internos: quia *abſolvit* à peccatis *internis*, & *diſpenſat* in *votis* internis: eſtque *legislativa*, quia ei convenit definitio; ergo. Nec obſtat, quod non poſſit cognoſcere & *judicare* in forma judicii & ſententiæ: poteſt enim id in forma *legis*, hæreticum *mentalem* excommunicando. Nam poteſt actum fidei *mentalem* præmiare; ergo & contrarium punire, coactione ſaltem *interna*: quam conſcientia timorata ſæpe timet præ *externa*, ſubinde non obligante; ergo. Rationes plures ſubminiſtrabit Theologia noſtra Scholaſtica *Part. 3. à n. 613.* ex qua

Ob. 1. Juxta S. Th. *1. 2. q. 91. a. 4. homo* 181
non poteſt de interioribus legem ferre (: ℞. d. a. *directivam* n. coactivam t.:) quia actus interio-

riores non poteſt ſufficienter cohibere (: directive n. *coactive* ſubd. pœna *externa* c. *interna*, excommunicatione v.g.n. :) ergo.

182 Ob. 2. Status Eccleſiæ non eſt Angelicus, ſed *ſenſibilis* ergo etiam *gubernatio* debet eſſe ſenſibilis (: ex parte *Eccleſiæ*, id eſt, debet præcepta ſua non retinere in mente, c. ex parte *fidelium* n. quia hi *inadæquate*, ſc. quoad animam, ſunt inſenſibiles: ſic *Sacramenta* ex parte *adminiſtrantis* ſunt ſenſibilia, *non* tamen ex parte *ſuſcipientis*, adæquate ſaltem :)

183 Inſt. *Membra* Eccleſiæ ſunt viſibilia (: *inadæquate* nempe quoad *corpus* & externam fidei profeſſionem c. quoad animam n. :) ergo inter illa debet dari *communicatio* viſibilis (: quoad aliqua c. quoad omnia n. Secus non daretur communicatio inter Eccleſiam militantem & triumphantem :) qualis non eſt per actus internos. Præcipue : quia ipſi SS. Pontifices fatentur, interiora exiſtere extra ſuum forum (: *regulariter* & ordinarie c. *abſolute* n. :) ut videre eſt in *c. tua nos. de ſim.* ergo.

184 Ob. 3. Humana poteſtas nequit de mere internis *cognoſcere* (: in forma *judicii* & ſententiæ c. in forma *legis* & conſtitutionis n. poſſet enim legem ferre, ut hæreticus mentalis excommunicaretur actu :) ergo nec legem ferre; quia partes poteſtatis legislativæ ſunt vis directiva & *coactiva* (: *interna* c. externa n. alioquin non diſtingueretur à lege *Civili* :)

Urg. *Leges ferre* & per leges *coërcere* pertinet

net ad eandem poteſtatem legislativam (: ſpectatam *adæquate* c. inadæquate ſubd. coërcere coactione *interna* c. externa ſemper n. :) ut oſtendit praxis: ergo vis directiva & *coactiva* (: interna c. *externa* n. :) nunquam ſunt ſeparatæ.

Ob. 4. Finis intrinſecus *Eccleſiæ* (: *inadæquatus* c. *adæquatus* n. Nam *hic* eſt tam interna quam externa bona conſtitutio :) eſt bona conſtitutio *externa* : atqui *huic* actus interni nec proſunt , nec obſunt; ergo. Deinde: Angelus Cuſtos nequit meum actum internum cognoſcere (: ſumptum quoad eſſe *phyſicum* c. *morale*, quatenus ſc. obeſt vel prodeſt beatitudini n. Etenim ſic conſideratus non amplius ſpectat ad *ſecreta* cordis :) ergo nec legislator humanus poteſt præcipere (: ſi conſideretur *inadæquate* ut legislator politicus & externus tantum c. ſi *ſimul* ut internus n. Imo argumentum favet nobis : nam S. Angelus Cuſtos nos regit quoad interiora; ergo & Eccleſia; ſiquidem eundem finem habeant :) 186

Ob. 5. Legislator Eccleſiaſticus non habet jurisdictionem in hominem *elicientem* actum mere internum ; ergo nec in ipſum actum internum. a. p. Ut talis non unitur corpori Eccleſiæ modo *viſibili* (: adæquate c. *inadæquate* nempe quoad corpus & externam *profeſſionem* fidei n. :) ergo. *Vid.* P. Wenzl *hic à n. 99.* P. Böckn *t. 2. à n. 62.* 187

Deduces 1. Adimpletionem legis non requiri intentionem *ſatisfaciendi.* Ratio eſt: 188

quia

quia lex ſolummodo præcipit humanam *execu-tionem* operis præcepti: *quæ* ſi fiat etiam à nolente ſatisfacere, ſufficit; ſiquidem intentio non ſatisfaciendi non tollat *liberam* executionem, *quæ*, ſola præcipitur; ergo.

189 Deduces 2. Nec opus eſſe, ut fiat ex motivo *honeſtatis*. Ratio eſt: quia tantum præcipitur *ſubſtantia* actus præcepti non finis, aut *modus* præcepti; niſi honeſtas includatur in ſubſtantia ipſius actus præcepti, ut dolor in valididitate confeſſionis. Interim, ut executio *meritoria* ſit, requiritur omnino charitas in operante, juxta illud *1. ad Cor. 13. Si linguis angelorum loquar, charitatem autem non habeam &c.*

ARTICULUS III.

Qualis promulgatio, & acceptatio ſint de ratione Legis?

190 PRænotandum: Formam *intrinſecam* legis eſſe imperium; *extrinſecam* autem promulgationem & *acceptationem*. *Hæc* etſi ad leges *Divinas* & naturales non ſit neceſſaria, eſt tamen neceſſaria ad leges *humanas* in ſtatu Democratico (ubi poteſtas ferendi leges humanas eſt penes populum) & Ariſtocratico, ubi cum Principe regnant Magnates, & certi Status, vel ſoli Magnates. Num etiam in Monar-

Monarchico? dicet concluſio ſecunda. Modo proponenda eſt

CONCLUSIO I. Ad actualem legis obligationem requiritur promulgatio *publica*: quæ debet fieri in ſingulis Imperii *Provinciis*, ſi ſit *Civilis*: aut in ſingulis *Diœceſibus*, ſi ſit *Canonica*: & utraque ſic promulgata non obligat niſi poſt lapſum *duorum* menſium. *Ita contra communiorem quoad 3. partem P. Engel, Pirbing, Sanig, Reiffenſt. P. Pichler l. 1. t. 2. n. 9. cum aliis ibi citatis.* 191

Prob. 1. pars: Lex eſt regula & locutio 192
publica? ergo debet proponi modo communitati accomodato, vid. publico: qualis non eſt, ſi fiat tantum in Conſiſtorio &c.

Prob. 2. pars: ex *Novella 66.* ubi Rubrica 193
(quæ authoritatem ſaltem interpretativam habet) dicit: ut *novæ conſtitutiones poſt inſinuationes* earum poſt duos menſes valeant. Et licet ibi ſermo ſit de caſu *particulari* teſtamentorum; ratio tamen *generalis* eſt, nimirum ut tollatur *confuſio* in populo, & non aliqui citius, aliqui ſerius obligentur: adeoque ad *omnes* alias leges extenditur; ergo.

Prob. 3. pars: Jus Canonicum circa mo- 194
dum promulgandi leges *Eccleſiaſticas* nihil determinavit, nec modus *Civilis* præjudicat immunitati Eccleſiaſticæ; ergo *hic* ſervandus eſt. c. p. Nam *quemadmodum leges non dedignantur imitari ſacros Canones: ita ſacrorum ſtatuta Canonum principum conſtitutionibus adjuvantur. De N. O. N. c. 1.* Quæ diſpoſitio gene- 195

ralis eſt, ideoque non eſt reſtringenda ad *cauſas judiciales* tantum: & firmata praxi ſummorum Pontificum, dum in quibusdam legibus publicationem in *ſingulis Diœceſibus* requirunt *c. cum infirmitas. de pœnit. & remiſſ.* & ad obligationem *intra* montes bimeſtre, *extra* autem quadrimeſtre præſcribunt; ergo. Accedit, quod Eccleſia ſit magis diffuſa quam Romanum *Imperium*: ergo ſi in *hoc* propter vaſtitatem debet lex promulgari in ſingulis provinciis, etiam debet promulgari in ſingulis Diœceſibus.

196 Confirmatur: Pius IV. in Bulla *ſicut ſacrarum*, vult, Decreta Concilii Tridentini non obligare ante lapſum trium menſium à finito Concilio, & niſi fuerit promulgatum in ſingulis *Parochiis*; ſubjungens hanc rationem; *quia jure etiam COMMUNI ſancitum eſt, ut conſtitutiones NOVÆ vim non niſi poſt certum tempus obtineant*; ergo approbat leges Civiles. Adhæc: ipſa lex *Divina* non fuit ſufficienter promulgata *Jeroſolymis* pro toto orbe, ex dictis *n. 148.* ergo nec lex Pontificia *Romæ*. Niſi Papa ipſi addat clauſulam aliam, vel praxis

197 ſuppleat promulgationem: velut contingit in Bulla cœnæ, & Regulis cancellariæ, ut fatetur P. Pichler *l. c.* Addens: in legibus *reſervationem* caſuum continentibus, privilegiorum, vel indulgentiarum *revocatoriis*, contractus, matrimonium, & alios actus *irritantibus* &c. etiam aa. nobiſcum ſentire, quod

quod nempe requiratur promulgatio in *ſingulis* Diœceſibus.

CONCLUSIO II. Ad ſubſtantialem legis obligationem non requiritur eſſentialiter *acceptatio*: per *hanc* tamen *accidentaliter* perficitur & ſtabilitur. *Ita communior DD. hoc intelligentium de lege tam Pontificia quam Imperatoria.* 198

Prob. 1. pars: Supremo Principi neque *voluntas* (eo ipſo quod *velit* condere novam legem) nec *poteſtas* deeſt obligandi ſubditos; ergo *intrinſece* non requiritur acceptatio. Maxime: quia alias daretur efficax obligatio *activa*, & tamen nulla paſſiva: adeoque unum correlativum ſine altero; ergo. 199

Prob. 2. pars: Acceptatio non eſt legi aliquid eſſentiale; ergo eſt *accidentale*: nam leges *firmantur* (intellige *accidentaliter*, ut non tam cito poſſint abrogari) *cum moribus utentium comprobantur. c. 3. d. 14.* ergo. 200

Confirmatur. Actus contrarii poſſunt tollere accidentalem *firmitatem* legis jam *actu* obligantis: ergo multo magis *hanc* tollere poſſunt, impediendo ne actu obligare *incipiat.* Et in hoc ſenſu verum eſt axioma: *lex non acceptata non obligat*; uti contingit in multis Bullis Pontificiis; ut teſtatur P. Reiffenſt. P. Pichler *&c. hoc loco.* 201

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Ut lex obliget ſufficit, ſi *ſolemniter editur*, *AUT* publice *obligatur* (: ℞. d. a. ly *AUT* ſumendo expoſitive, pro *id eſt*, c. ſumendo *disjunctive* 202

n.:) *c. 1. de poſtul. prælat.* ergo ſufficit editio ſeu promulgatio in Conſiſtorio.

203 Ob. 2. cont. 2. part. Habens notitiam legis *privatam* jam eſt certus de exiſtentia legis (: certitudine *legali* n. ſecus c. :) ergo non *amplius* debet *certiorari*, ut loquitur Regula 31. *Jur. in 6.* conſequenter non eſt opus, ut in *ſingulis* Provinciis promulgetur; nec ullum *tempus* (: legale n. *aliud* non legale c. :) exſpectandum eſt.

204 Ob. 3. cont. 3. part. Leges ſaltem Canonicæ ſtatim & *ubique* obligant; ergo. a. p. Alias Papa dependeret à *modo* promulgandi leges *Civiles* (: dependentia *neceſſitatis* n. ultroneæ acceptationis c. Nam ſi lex ſuaviore modo obligat, & vitatur confuſio, dum alii non obligantur *citius*: præſertim, quia in particularibus locis dari poſſunt *ſpeciales* rationes, propter quas Epiſcopi Diœceſium ſe poſſunt juſte *opponere* novæ legi; & hinc expedit, ut Papa non obliget, niſi prius per Epiſcopos, qui melius norunt mores ſuorum ſubditorum, curet promulgari, & aliquo tempore *poſt* promulgationem ſuſpendat obligationem :) *Vid.* P. Pichler *in Compend. à n. 9. l. 1. t. 2.* P. Reiffenſt. *tr. 2. diſt. 1. q. 4. n. 40.*

205 Ob. 4. Pontifex aſſignans certum terminum *inchoandæ* promulgationis, vel faciendæ in ſingulis Diœceſibus, id facit per modum exceptionis à via *ordinaria* (: n. ſupp. quod *alia* via ordinaria detur quam Juris *Civilis* :) ergo firmat regulam in contrarium (: n. c.

potius

potius enim eſt confirmatio & *exemplum* recepti Juris Civilis (: Præcipue: quia pro ſententia oppoſita ſtat major *authoritas* (: & ſimul major *ratio* n. ſecus c. :) & *praxis* Curiæ Romanæ (: quoad forum *externum* t. *internum* n. quia ſententia noſtra eſt practice probabilis. Imo Giballinus *de ſcient. can. l. 7. c. 2. q. 1.* fuſe oſtendit, praxin veteris Eccleſiæ ſtetiſſe pro noſtra ſententia:)

Ob. 5. Hæc propoſitio, *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopalibus, non obtenta ad id Epiſcoporum licentia*, damnata eſt ab Alexandro VII. ergo & noſtra ſententia. c. p. Cauſalis hujus propoſitionis, vid. quod non ſit *promulgata*, eſt damnata (: n. ſupp. quod fuerit hæc *cauſalis*: ſed *hæc*, *quia* qui poteſt *majus*, poteſt etiam *minus*. Inſuper, etſi fuiſſet cauſalis, attamen non fuiſſet damnata in ſe, ſed tantum in *applicatione*: Sic etſi propoſitio hæc, *qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur*, quia *PARS MAJOR trahit ad ſe MINOREM*, damnata ſit; non tamen damnata eſt ejus *cauſalis*, velut patet in *electione*, *commixtione* &c. :) ergo. 206

Dices: Si damnatur aliqua *propoſitio*, teneor illam habere pro falſa & *damnata*, quantumvis non promulgetur in *ſingulis* Diœceſibus: ergo non debet *ita* promulgari omnis Lex (: *Divina* ac naturalis c. *humana* n. Etenim propoſitiones damnatæ repugnant juri Divino & naturali. Imo, damnatio propo- 207

 ſitio-

ſitionis non eſt lex, ſed *declaratio* tantum, *quæ* non indiget promulgatione. Idem eſt, ſi Romæ fiat Canonizatio. *Vid.* P. Schmier *l. 1. t. 1. c. 5. n. 47.* :)

208 Ob. 6. cont. 2. concl. Modus imperandi populo debet eſſe *ſuavis* (: & ſimul *efficax* c. ſecus n. :) atqui eſt ſuavior, ſi requiratur acceptatio *populi*. Præſertim, quia *hic* ſub hac *conditione* (: eſt *inboneſta*, adeoque impoſſibilis; ſiquidem populus ſic potius regeret, quàm regeretur à Principe :) poteſtatem legislativam tranſtulit in Principem. Adhæc: lex non *acceptata* eſt inutilis (: ex *ſua natura* n. per accidens c. :) ergo non obligat ſaltem in actu ſecundo (: *ſtabiliter* t. ſaltem ad *aliquod* tempus n. :)

209 Ob. 7. Multæ leges non obligant ideo præciſe, quia non ſunt receptæ (: ita ut cauſa non obligationis ſit *non receptio* n. ut cauſa ſit *tacitus* & virtualis conſenſus Principis, non amplius volentis obligare, dum videt legem obſervatu difficilem c. :) ergo *acceptatio* eſt de eſſentia legis, aut ſaltem conditio eſſentialis.

210 Replicas: *Promulgatiò* eſt conditio eſſentialis: ergo & *acceptatio* (: n. c. Quia *Imperium* legale non poteſt eſſe volitum, quin ſit præcognitum: bene tamen quin ſit *acceptatum*; cum vinculum liget etiam nolentes :)

211 Ob. ult. Uſus *contrarius* poteſt enervare legem ſemel legitime *ſancitam*: ergo à fortiori *ſanciendam* (: n. c. Quippe quoad *hanc* non adeſt

adeſt conſenſus *perſonalis* Principis, cum per *novam* legem offendat voluntatem contrariam: nec *legalis*, eoquod in *prima* promulgatione nulla conſuetudo eſſe poſſit:)

Deduces 1. Quod populus *teneatur* acceptare legem, ſi *juſta* ſit, ob propoſitionem 28. damnatam ab Alexandro VII. niſi ſubeſſet cauſa, à Principe veroſimiliter ignorata: aut lex eſſet nimium dura. *Vid.* P. Reiffenſt. *hic à n. 36.* 212

Deduces 2. Quod etſi *primi* non acceptatores peccent, non tamen peccare eorum *ſucceſſores*: eoquod hi *prudenter* ſupponere poſſint, legem eſſe abrogatam. Hinc multæ leges & Bullæ Pontificiæ in multis Regionibus de facto non obligant. *Vid. cit.* Reiffenſt. *num. 40.* 213

QUÆSTIO II.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

ARTICULUS I.

Utrum lex humana obliget in conſcientia? ſpeciatim pœnalis? fundata in præſumptione? & irritans?

PRænotandum: Effectum legis eſſe *obligationem*: quoad *hanc* difficultas eſt 1. Circa legem pœnalem. 2. Circa fundatam 214

datam in *præſumptione*. 3. Circa *irritantem*: præſertim ſi hæc *prohibitionem* expreſſam, vel tacitam, adjunctam habeat.

215 CONCLUSIO I. Omnis lex humana non tantum poteſt, ſed defacto ſemper *actu* obligat in conſcientia, vel ad actum, vel ad pœnam, vel ad utrumque. *Eſt communis & certa contra aliquos modernos hæreticos*.

216 Prob. 1. pars: legislator humanus fert leges nomine *Dei*, teſte Apoſtolo *ad Rom. 13.* ergo poteſt obligare: ut oſtendit inſuper lumen naturale, praxis communis, & exigentia Boni publici.

217 Prob. 2. pars; Lex *actualis* ſupponit legislatoris actualem *voluntatem* obligandi (alias eſſet conſilium duntaxat) ergo *actu* ſemper obligat ad aliquid; ſiquidem ſupponatur *juſta*, & ejus eſſentia ab arbitrio legislatoris haud dependeat. *Vid.* P. Pichler *l. 1. t. 2. n. 19.*

218 CONCLUSIO II. Lex *pure* pœnalis temporalis obligat ad ſolam pœnam: pœnalis *disjunctive*, mixta vel ad pœnam, vel ad actum; mixta *conjunctive*, ad utrumque. *Eſt communis* DD.

219 Prob. 1. pars: In lege *pure* pœnali legislator non vult obligare ad *actum*; quia reſpectu *hujus* non utitur verbis *præceptivis*: ergo ad *ſolam* pœnam obligat.

220 Prob. 2. pars: Legislator legem concipiendo *disjunctive* manifeſte indicat, ſe nolle determinate obligare ad actum, ſed tantum *indeterminate*; ergo obligat tantum *disjunctive*; ſi alias

alias pœna ſit temporalis: nam *ſpiritualis* ſupponit culpam theologicam, adeoque obligationem ad actum.

Prob. 3. pars: Legislator concipiendo legem *conjunctive*, indicat ſe velle utrumque: ergo ad *hoc* obligat lex *conjunctive* mixta. Præſertim: quia adjectio *pœnæ* non alleviat, ſed aggravat obligationem; ergo. Poſſe tamen fieri, ut etiam hæc lex obliget ad ſolam pænam, conſtabit ex dicendis in *Part. 3. de Reſtitut. n. 281.* 221

CONCLUSIO III. Etſi lex in præſumptione *facti* fundata non obliget in conſcientia, quando circumſtantia in qua fundata eſt lex, ceſſat; obligat tamen fundata in præſumptione *juris*, ſeu periculi communis, etſi in cauſa particulari præſumptio ceſſare videatur. *Iterum communis.* 222

Prob. 1. pars: Lex in præſumptione *facti* fundata eſt tacite *conditionata*, ſi nimirum res ita ſe habeat: ergo deficiente conditione hac ceſſat quoque ipſa lex. 223

Prob. 2. pars: Motivum *principale* legis in præſumptione juris fundatæ ſc. periculum *commune* manet, etſi in uno ceſſet: ergo manet obligatio legis etiam quoad hunc. *Vid.* P. Mezger *tr. 8. d. 35. a. 3. §. 3. n. 11.* P. Elbel *p. 1. conf. 15. n. 417.* 224

CONCLUSIO IV. Quando lex irritans expreſſam vel tacitam *prohibitionem* habet annexam, obligat in conſcientia ad omiſſionem actus; ſi autem ſit *irritans* ſimpliciter (id eſt 225

tam civiliter quam naturaliter, idque exprimat) in tantum obligat in conſcientia, quod ex illo actu invalido nullum commodum percipere queam. *Rurſum ſat communis.*

226 Prob. 1. pars: *L*ex taliter irritans eſt ſimul prohibens; ergo obligat ad omiſſionem actus: ſecus ſi nullam prohibitionem contineat; eo ipſo quod tunc non amplius ſit prohibens. Hinc qui matrimonium contrahit *cum* impedimento dirimente peccat: non item ille, qui facit teſtamentum *ſine* ſolemnitatibus.

227 Prob. 2. pars: Actus ſimpliciter irritatus perinde ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet poſitus; ergo non poſſum percipere ex illo commodum, ut conſtat in matrimonio invalido &c. Interim non omnis lex prohibens eſt irritans, quia *multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. c. 16. de regular.* ut patet in matrimonio inito cum impedimento impediente. *Vid.* P. Pichler *l. 1. t. 2. n. 21.*

228 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Forum conſcientiæ eſt forum Superioris ſc. Dei: ergo lex humana (: ℟. d. c. ſecundum ſe t. ut *ſubeſt* legi *Divinæ* & naturali n. :) non poteſt obligare in conſcientia.

229 Infers: Ergo lex humana tantum obligat *ut eſt* Divina (: *remote* c. proxime n. Nam derivatur à Divina *mediante* diſcurſu :)

230 Ob. 2. cont. 2. part. Poteſtas Civilis eſt mere *temporalis* (: ex parte *objecti* c. ex parte *principii* n. quia nititur authoritate Divina :)

ergo

ergo ſe non poteſt extendere ad conſcientiam *Spiritualem.* Præcipue: quia in conſcientia non poteſt *ſolvere*; ergo nec ligare; cum ſint *correlativa* (: reſpectu *diverſorum* c. reſpectu *ejusdem* n. alioquin ſe ligans *voto*, quoque poſſet *ſeipſum* ſolvere :)

Ob. 3. Legislator humanus non poteſt inferre pœnam *alterius* vitæ: ergo nec ad eam obligare (: directe & *immediate* c. indirecte & *mediate* n. Sic in debito *privato* obligo alterum in conſcientia, etſi nequeam infligere pœnam inferni non ſolventi :) Deinde: lex *Divina* ſubinde obligat ſolum ſub veniali (: ratione *materiæ* c. ſecus n. :) ergo *humana* ſub nulla obligatione. c. p. Lex humana *minus* obligat (: cæteris paribus c. ſecus n. :) 231

Ob. 4. cont. 2. concl. part. 1. Omnis pœna præſupponit culpam (: *Theologicam* ſemper n. *juridicam* c. :) ergo & lex pœnalis, ſi obligat ad pœnam. Præterea: pœna interminatur, ut *actus* certius fiat; ergo vult & obligat ad actum (: ſub culpa *juridica* c. theologica n. :) 232

Ob 5. cont. 3. part. Quod nulla lex pœnalis obliget ad actum, eſt probabile (: extrinſece t. *intrinſece* n. Etenim legislator obligat ſecundum naturam legis, ubi nil aliud exprimit, uti fit in lege *conjunctive* mixta :) ergo. Maxime: quia exprimens pœnam *temporalem*, cenſetur nolle *æternam*; ſiquidem id, quod tacet, cenſeatur excludere (: niſi inſit per ſe, ut ineſt obligatio legi c. ſecus n. :) *arg. c. nonne de præſumpt.* ergo non obligat ad 233 234

actum,

actum, ſicut ad hunc non obligant *Statuta* Academica, etſi ſint præceptiva (: n. ſupp. quod ſint *leges*; quia non obligant: ſed ſunt ſpeciales ordinationes & regulæ, ſicut Regulæ SS. Ordinum :)

235 Inſt. Lex *mixta* ſaltem non obligat ad pœnam poſitivam; alias reus ſibi deberet eſſe judex & carnifex (: ſi obligaret *ante* ſententiam judicis condemnatoriam ſeu *declaratoriam* c. ſecus n. :) quod foret nimis durum (: in pœnis *poſitivis* c. pure *privativis* n. :) ergo. *Vid.* P. Schmier *hic n. 275.*

236 Ob. 6. cont. 3. concl. part. 1. *Nulliter* profeſſus poſt quinquennium non amplius auditur (: *abſolute* n. ex præſumptione *facti* particularis, quod intra tam longum tempus ratificaverit ſuam profeſſionem, c. :) juxta *Trid. ſ. 25. de Reg. c. 19.* ergo lex fundata in præſumptione facti obligat in conſcientia.

237 Ob. 7. cont. 4. concl. part. 2. Poſſum percipere commodum ex actu irritato (: *civiliter* tantum c. etiam *naturaliter* n. :) ergo. a. p. Poſſum adire hæreditatem, etſi teſtamentum ob defectum ſolemnitatum ſit *nullum* (: *civiliter*, ſeu in foro externo tantum c. *naturaliter*, & in foro interno n. Nam irritatio pro foro externo & interno *ſimul* eſt effectus diviſus & ſeparabilis ab irritatione pro foro *externo* tantum, uti eſt innegabile: ergo lex ſimpliciter irritans & nihil dicens de irritatione pro foro *interno*, pro hoc foro non irritat; quoniam lex irritans actum ipſo jure recedit

cedit à jure *naturali*, quo ſolo ſpectato actus foret validus pro *utroque* foro: ergo eſt odioſa, adeoque non extendenda ad forum *internum*:) ergo.

Inſiſtes: Lex irritans actum reddit homines *inhabiles* ad illum ponendum (: quando id exprimit, uti facit in matrinonio clandeſtino v.g. c. ſecus n.;) atqui actus geſtus ab inhabili eſt idem, ac omnino non geſtus; ergo. Præcipue: quia quæ fiunt contra jus (: *irritans* c. ſolum *prohibens* n.:) debent utique pro *infectis* haberi (: per & *poſt* ſententiam judicis *reſciſſoriam* c. ſine hac n.:) *regul. 64. Cod.* ergo. *Vid.* P. Pichler *n. 21.* 239

Deduces 1. Legem humanam poſſe obligare etiam ſub *mortali*; quando ſc. adeſt intentio legislatoris, & materia *gravis* ſaltem *formaliter*. ſecus, ſi abſolute levis ſit: quia obligatio nequit excedere capacitatem materiæ, ut patet in ipſa lege *naturali*, furto v.g. 240

Deduces 2. Nihilominus in materia *gravi* poſſe eſſe obligationem *levem*: cum hæc *utriusque* obligationis capax ſit; & obligatio gravis dependeat à voluntate legislatoris in re *indifferenti*. Aliud eſt de lege *naturali*: cujus obligatio ſequitur exigentiam materiæ ſubjectæ, utpote intrinſece repugnantis legi *naturali*. 241

Deduces 3. legem *humanam* non obligare cum gravi diſpendio, vel periculo: quia tunc cenſetur *moraliter* impoſſibilis: ergo tunc non obligat, ut probat conſuetudo, & praxis in 242

jejunio

jejunio &c. Maxime, quia tunc nec leges Divinæ obligant, ut patet in confeſſione integre facienda. Excipe tamen 1. Niſi obſervatio *legis* ſit moraliter *neceſſaria* ad conſervandum bonum *publicum*, quod bono vitæ privati hominis præfertur, ut patet in militi-
243 bus. 2. Niſi violatio legis cedat in contemptum fidei, aut Ecclcſiaſticæ poteſtatis: nam in his duobus caſibus ſervanda eſt lex etiam cum periculo vitæ. Hinc ſi quis urgeretur ab hæreticis tempore quadrageſimæ comedere carnes in contemptum fidei, potius deberet mori, quam carnes comedere. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 2. diſt. 2. q. 3. à 27.*

244 Deduces 4. In legibus pœnalibus bene diſtinguendum eſſe inter pœnam *latæ* ſententiæ (in qua lex ipſa executorem agit) & inter pœnam *ferendæ* ſententiæ. Nam quando pœna eſt *ferendæ* ſententiæ, tunc lex *non* obligat ad pœnam ſubeundam *ante* ſententiam judicis
245 condemnatoriam: quia legislator ſimili lege non monſtrat, quod ante ſententiam velit obligare. Si autem eſt *latæ* ſententiæ, & pœna ſit *poſitiva*, adhuc requiritur ſententia *declaratoria*: quia leges ſimiles omne temperamentum viderentur excedere, ſi ad pœnas poſitivas ante ſententiam declaratoriam obſtringerent; deberet enim delinquens actum occultum manifeſtare, eſſe judex in propria
246 cauſa, imo & carnifex. Quod ſi additur ſimilis clauſula: *nulla declaratione ſecuta*: an adhuc requiratur ſententia declaratoria? diſputatur

ſputatur in utramque partem. Interim quando pœna latæ ſententiæ eſt *ſpiritualis*, vel *privativa*, tunc lex pœnalis obligat in conſcientia etiam *ante* ſententiam judicis *declaratoriam*. Ratio primi eſt, quia pœnæ ſpirituales non deſiderant externam actionem: ut patet in percuſſione clerici. Ratio ſecundi 247
deſumitur ex c. *licet de elect. in 6.* in quo de promotis ad Beneficia curata ſtatuitur, ſi intra annum ſacerdotium non receperint, nulla etiam monitione præmiſſa, præſentis conſtitutionis authoritate ſint privati. Sed hic inſuper

Deduces ult. Bene tamen notandum eſſe, 248
quod aliter debeat diſcurri in præſenti de jure aliquo, ſeu Beneficio; quod necdum poſſidetur, acquirendo, & aliter de jure quæſito, vel Beneficio jam poſſeſſo iterum deperdendo: nam quoad poſterius, ut illud jus, vel poſſeſſio per pœnam ipſo jure illatam iterum omittatur, requiritur prævia aliqua ſententia declaratoria, ſecus quoad prius, ſi nimirum agatur de jure ſeu Beneficio primum quærendo. Ex quibus omnibus quoque habes, quod ſimoniace profeſſus non teneatur adire monaſterium arctius niſi poſt ſententiam declaratoriam: quia hæc pœna eſt poſitiva: econtra *ſimoniace* adeptus Beneficium teneatur illud reliquere ante omnem ſententiam; quia nempe eſt pœna privativa; & inſuper agitur de beneficio primum acquirendo. *Vid.* P. Reiffenſt. *in Theol. Mor. tr. 11. Diſt. 2. q. 4. n. 43.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Quinam obligentur lege humana?

249 PRænot. 1. Subjectum legis eſſe ſolos ſubditos (quia vis obligandi eſt actus *juriſdictionis*; hinc non baptizati legibus Eccleſiæ non ſubjiciuntur) & quidem *ratione* utentes tantum; quia præceptum, utpote directivum *rationis*, *hanc* præſupponit.

250 Prænot. 2. Dubium eſſe; Circa legiſlatorem Monarchicum reſpectu ſuarum legum, quarum materia communis ac decens eſt. 2. Circa perſonas *Eccleſiaſticas*, an obligentur legibus *civilibus*, quæ ſtatui Eccleſiaſtico non ſunt indecoræ, neque ipſius immunitati noxiæ? 3. circa *peregrinos* & *vagabundos*.

251 CONCLUSIO I. Legiſlator non tenetur ſuis legibus quoad vim *coactivam*, neque quoad vim directivam *directe*, ſed tantum indirecte. *Eſt communis ex* S. D. *1. 2. q. 96. a. 5.*

252 Prob. 1. pars: Vis coactiva ſupponit *Superiorem*; *quem* legiſlator non agnoſcit: ergo non tenetur lege ſua quoad vim *coactivam*.

253 Prob. 2. pars: Vis directiva *directa* etiam in imponente ſupponit ſuperioritatem; ergo obligatur *indirecte* tantum: quatenus ſc. jus *naturale* dictat, ut caput ſe conformet reliquis membris Reipublicæ.

254 CONCLUSIO II. Perſonæ Eccleſiaſticæ non obligantur legibus Civilibus quoad vim *coacti-*

coactivam, neque quoad directivam *directe*, ſed tantum indirecte. *Iterum communis.*

Prob. utraque pars: Perſonæ Eccleſiaſti- 255
cæ non ſubſunt jurisdictioni legislatoris Civilis, ex c. *Eccleſia. de conſtit.* ergo non obligantur illius legibus quoad vim *coactivam*, aut directivam *directam*, ſed *indirecta* tantum; quatenus ſunt membra Reipublicæ præcipua, & aliis bono exemplo præire tenentur.

CONCLUSIO III. *Peregrini* non obligan- 256
tur legibus ſuæ *patriæ*, ſi tales non obligant ibi, ubi tranſeunt: nec legibus loci, per quem tranſeunt, ſaltem particularibus: Idem de *vagis* eſt. *Ita communior Theologorum & Juris conſultorum.*

Prob. 1. pars: Peregrinus exiſtit *extra* 257
ſuum territorium, conſequenter etiam *extra* jurisdictionem ſui legislatoris: ergo non obligatur legibus ſuæ patriæ; *nam dicenti jus extra territorium impune non paretur. c. 2. de conſtit. in 6.*

Prob. 2. pars: In loco, per quem tran- 258
ſit, peregrinus aut vagus non habet forum *domicilii*, nec *contractus*, nec *delicti*, nec *originis*, ut ſupponitur: ergo non ſubjicitur jurisdictioni *loci* illius, per quem tranſit; conſequentur non obligatur legibus *particularibus* (hinc ſi venerit in locum, ubi eſt feſtum 259
particulare, quod in loco domicilii non celebratur, non tenetur audire Sacrum per ſe) bene tamen *univerſalibus*, à quibus in ſua

patria foret immunis: hinc civis Mediolanenſis extra patriam proficiſcens primis quatuor diebus quadrageſimæ tenetur ad jejunium, à quo Mediolani eſſet abſolutus; nam ejusmodi privilegia ſunt *localia* tantum.

260 Ob. 1. cont. 1. concl. part. 2. In noſtra ſententia ſi S. Pontifex non audiret Sacrum die feſto, aut contraheret matrimonium, non peccaret (: ℞. d. M. contra legem eccleſiaſticam c. *naturalem*, vel legalem, quæ obligat, ut pars principalis ſe conformet toti, n. Imo contrahendo matrimonium peccaret contra *Votum*, ædificationem &c. :) atqui hæc ſunt abſurda: quia *quod quis juris in alterum ſtatuit, etiam ipſus debet uti* (: obligatione *directa* n. indirecta c. :) *c. 6. de conſtit.*

261 Ob. 2. Sic Legislator obligatur *ſtrictius* quam *ſubditi*: quia hi non obligantur jure naturali (: *proxime* c. radicaliter & *remote* ſc. mediante voluntate legislatoris, n. :) uti legislator, ſi obligatur tantum indirecte: atqui hoc non eſt; alias gravius deberet puniri (: hic n. *alibi* c. :) quam ipſi ſubditi: ergo.

262 Ob. 3. Legislator poteſt diſpenſare cum ſubditis in ſua lege, non tamen ſecum: ergo ſtrictius obligatur. a.p. Ipſius obligatio eſt naturalis (: *abſolute* n. conditionate ſc. ſuppoſita lege c. :) ergo non poteſt in illa diſpenſare. *Vid.* P. Schmier *n. 157.*

263 Ob. 4. cont. 2. concl. Perſonæ *Eccleſiaſticæ* ſunt *pars* præcipua Reipublicæ (: exempta tamen

men & *privilegiata* c. ſecus n. :) ergo obligantur directe, ut alii. *Vid.* La Cr. *l. 1. n. 678.*

264 Ob. 5. cont. 3. concl. part. 1. Præceptum obligat diſcedentem è territorio: ergo & *lex* (: n. c. Quia *hæc* fertur in utilitatem territorii *publicam*; illud in *privatam* perſonæ :) Deinde *Lex* Superioris *Regularis* obligat *Religioſum* extra territorium: ergo & lex Epiſcopi v. g. (: n. c Nam lex Superioris Regularis eſt independens à territorio; quia ejus jurisdictio immediate eſt in perſonas. Non ſic jurisdictio legislatoris *alterius*; quia *hic* habet jurisdictionem ratione territorii præciſe, ut patet, ſi quis migret in aliam Diœceſin, ceſſat ſtatim eſſe ſubditus :)

265 Ob. 6. cont. 3. concl. Pro peregrinis ſæpius latæ ſunt *ſpeciales* leges: ergo ſubduntur jurisdictioni *loci* (: de ſe n. ex *propria* voluntate, dum libere talem locum ingrediuntur c. :) Præterea: peregrini à Parocho *loci abſolvuntur*: ergo in illos habet jurisdictionem (: *delegatam* c. ſecus n. :) Item: Veniens ad locum *interdictum* non poſſum ibi celebrare (: ob legem *particularem* loci n. ob univerſalem c. :) ergo: quia *c. 11. d. 2.* dicitur: *ad quamcunque Eccleſiam perveneris, morem ejus ſerva* (: *ex Præcepto* n. ex conſilio c. :) Inſuper: peregrini ſentiunt commoda loci (: *omnia* n. *aliqua* c. :) ergo ſentiant & onera legum (: omnium n. *aliquarum c.* :)

266 Urg. Peregrini puniuntur ibi, ubi ſunt & *delinquunt*: ergo ibi habent forum (: delicti c.

ſubjectionis ſubd. antecedenter n. *conſequenter* ſeu concomitanter c. :) Deinde : ſi peregrinus non obligatur legibus *ſui* domicilii, tunc veniens ad locum, ubi eſt diſpenſatum in eſu carnis tempore jejunii quadrageſimalis, poterit ibi veſci carnibus, & eo fine egredi in talem locum : atqui hæc ſunt abſurda (: n. hoc ; nam *tranſiens* poteſt uti privilegio & favore loci : nec in fraudem legis agit, qui utitur jure ſuo. P. Pichler *n. 28.* :) quia ageret in fraudem legis ; ergo, *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 1. t. 1. n. 41.*

267 Ob. 7. cont. 3. part. In hac ſententia vagabundi *nullis* omnino tenerentur legibus (: *univerſalibus* n. *particularibus* ſubd. omnibus c. municipalibus. & ſpecialem illius loci tranquillitatem concernentibus n. :) atqui hoc dici non poteſt; ergo. Præterea: *Vagi* ſua præſentanea habitatione acquirunt *domicilium* (: ſi habeant *animum* ibi manendi c. ſecus n. alias etiam peregrini acquirerent :) ergo vagabundi tenentur legibus loci.

268 Ob. 8. *Vagi* ubique comprehenduntur & puniuntur ob delictum, etiam *alibi* commiſſum (: ex lege *particulari* n. ex conſuetudine, & quidem in *hoc* puncto particulari, ne delicta maneant impunita c :) ergo Vagabundi ſubjiciuntur legibus (: *univerſalibus aut municipabilibus* c. *particularibus* & ſpecialibus, de quibus movetur quæſtio præcipua, n. :) illius loci, per quem tranſeunt. *Vid.* P. Kazenberger *Theol. Decal. c. 1. ſ. 3. 257.* P. Babenhuber *tr. 3. d. 2. a. 4. n. 33.* Quæ-

Quæres 1. Quomodo lex ceſſet per *con-* 269
ſuetudinem? Ubi præſciendum, certum eſſe, quod lex ceſſet, ſi ceſſat ejus cauſa *finalis* adæquata: quia tunc voluntas legislatoris *obligatoria* quoque ceſſat. Similiter certum eſt, quod lex per *revocationem* expreſſam à legislatore, hujus ſucceſſore, vel Superiore, ceſſet & abrogetur. Quod *valide* fieri poteſt absque ulla cauſa, etſi non licite; ſiquidem *imprudenter* poteſtate ſua abuteretur.
Dubitatur itaque ſolummodo, an etiam le- 270
gem abrogare valeat conſuetudo? *quæ* definitur, quod ſit *jus non ſcriptum, diuturnis populi moribus, & aliquo legislatoris conſenſu introductum*: Et dividitur in eam, quæ eſt *præter* legem (quæ reperitur in caſibus à Jure non deciſis) *ſecundum* legem (quæ legem jam præexiſtentem ſupponit, & eamdem deducit in uſum, vel ambiguam interpretatur) & *contra* legem; quæ eſt legi contraria. Jam

℟. Poteſt in communitate introduci con- 271
ſuetudo, quæ habet *vim legis*: ſicque poteſt abrogare legem, dummodo ſit rationabilis ac legitime præſcripta.

Ratio primi eſt: quia populus ſeu communitas, cum conſenſu Principis, poteſt *verbis* inducere obligationem: ergo etiam *factis*; quibus mutuus conſenſus declaratur: præſertim ſi accedat conſenſus *perſonalis* ſaltem tacitus legislatoris, vel *legalis*.

Ratio ſecundi eſt: quia lex poſterior *ſcripta*, quæ adverſatur priori, eam abro-

 gat:

gat: ergo etiam *lex non ſcripta*, nempe conſuetudo. *c. fin. de conſuet.*

272 Si alias talis conſuetudo ſit *rationabilis*, quia v. g. ſervit minuendis litibus, diminuit legum copiam, tollit conſcientiarum laqueos &c. Et *legitime præſcripta* per *frequentiam* actuum (publicorum, cum intentione inducendi conſuetudinem exercitorum) & *longitudinem* temporis; utrinque ab arbitrio judicis dependentem. Quæ opponi poſſent, videri debent *in* Theol. Schol. Part. *3. à n. 708.* P. Pichler *l. 1. t. 4. &c.*

273 Quæres 2. Quomodo lex ceſſet *particulariter*? Nam quod univerſaliter ceſſet per ceſſationem cauſæ *finalis*, vel per *revocationem* legis, jam ante dictum eſt.

℞. 1. Lex ceſſat *particulariter* tribus modis: interpretatione, diſpenſatione, & privilegio. *Interpretatio* legis eſt vel *authentica* (quæ fit per aliam legem) vel *uſualis* (quæ eſt introducta per conſuetudinem) & *doctrinalis*; quæ fit peritia interpretum. Hæc-

274 que ſubdividitur in *declaratoriam* (quæ eſt congrua obſcurorum expoſitio) *extenſivam* (quando ob paritatem rationis diſpoſitio legis extenditur ad caſum in lege non comprehenſum) & *reſtrictivam*: qua interpretamur aliquem caſum *particularem* propter ſuas circumſtantias non contineri lege univerſaliter lata; ideoque epikia dicitur,

275 ℞. 2. Lex humana inprimis particulariter ceſſat per epikiam: quia legislator non potuit

omnes

omnes circumſtantias prævidere in lege, ſed debuit *particulares* caſus prudentum judicio *relinquere.* Et *hoc* 1. Si lex aliqua evaderet *iniqua.* 2. Si nimis *ardua.* 3. Si præſummi poteſt de legislatoris conſenſu. *Vid.* P. Mezger *hic a. 3. §. 2. à n. 7.* P. Elbel *p. 1. conf. 16. n. 449.*

℞. 3. Similiter certum eſſe, quod lex ceſſet per *diſpenſationem*: quæ poteſt fieri per legislatorem, ejus ſucceſſorem, & ſuperiorem. Eſtque valida, etſi fiat absque juſta *cauſa*: quam tamen habere debet diſpenſans ex privilegio. *Vid. cit.* Mezger *a. 4. per totum.* 276

Denique lex quoque ceſſat per *privilegium*: quia *hoc* eſt conceſſio alicujus *juris ſpecialis* contra vel præter jus *commune*, ergo *huic* derogat; conſequenter facit ceſſare ſaltem quoad *aliquas* perſonas, in quantum vel ex toto vel ex parte ab *illo* eximuntur. *Vid.* P. Pichler *l. 5. t. 33.* Reverendiſſ. DD. Franc. Abb. *tr. 1. ſect. 2. a. 1. §. 8.* 277

Quæres 3. Quomodo privilegia acquirantur? ℞. Tribus modis. 1. Per *conceſſionem* Superioris, qua ſimpliciter & *ſine* reſpectu ad aliud privilegium exiſtens, jus ſingulare conceditur. 2. Per *communicationem*; quæ fieri poteſt dupliciter, nempe vel per extenſionem *ejusdem* privilegii, vel per conceſſionem *ſimilis*; quod idcirco privilegium *adinſtar* dicitur. 3. Per *conſuetudinem* vel per *præſcriptionem*: ſeu potius hujusmodi conſuetu- 278

do aut præſcriptio obtinet vim privilegii. *c. 9. de off. ord. c. 13. de for. compet. &c.*

279 Quæres ult. Quomodo privilegia amittantur? ℞. Sex potiſſimum modis. 1. Interitu ſubjecti, nimirum vel rei, ſi privilegium ſit *reale*; vel *perſonæ*, ſi ſit perſonale. 2. Lapſu *temporis*, ſi ad certum tempus fuit reſtrictum. 3. Ceſſante *cauſa*, propter quam ab initio fuit indultum. 4. *Revocatione*. 5. *Renuntiatione*, ſuppoſito quod privilegium non ſit commune ſed *privatum*. 6. Denique *abuſu*; vel quia privilegiatus extendit privilegium *extra* limites ſi os contra mentem concedentis: vel quia exinde ſumit occaſionem *delinquendi*:

280 vel quia *contra* privilegii finem operatur. Cæterum non uſu *negativo* (quando nempe occaſio utendi non fuit) aut non uſu *omiſſivo* (quando quis privilegio *data* occaſione non utitur) nullum privilegium amittitur: quia *talis* non arguit animum renuntiandi. Plura de his relinquimus Canoniſtis *ad l. 5. tit. 33.*

Particularia quædam afferemus in Part. 4. n. 668.

TRA-

TRACTATUS II.

DE PECCATIS ET VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DISPUTATIO I.

DE PECCATIS.

QUæ in præſenti Tractatu diſputantur, ad ea pertinent, quæ in priore inchoata ſunt. Omnia enim concernunt hominem, ut ad finem ſuum ultimum deducatur. Quod certo eveniet, ſi juxta monitum Pſal. 36. à *malo* declinet, & *bonum* faciat. In præſenti Diſputatione prima proinde per duas Quæſtiones agemus de *peccatis* in genere, & in ſpecie, per *quæ* ſupra dictis regulis morum receditur: in ſequenti autem de Virtutibus, nominatim theologicis, per quarum exercitium præprimis illuc reditur.

QUÆSTIO I.

DE PECCATIS IN GENERE.

ARTICULUS I.

Unde deſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum?

PRænotandum 1. hoc loco non eſſe ſermonem de peccato *naturæ*, vel *artis*, ſed de peccato *animi* ſeu morali, quod eſt 281

actus voluntatis *devians* à regulis morum. Dividitur in *originale* (quod trahitur à primo parente noſtro Adamo per ſeminalem propagationem) & in *perſonale*, quod à propria cujusque voluntate contrahitur. Hoc ſubdividitur in *actuale* & *habituale*; in *mortale* & *veniale*; in *commiſſionis* & *omiſſionis* &c. Actuale recte definitur: *eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ubi tria prima vocabula exprimunt *materiale*, ſequentia autem *formale* peccati; quod in ſolo privativo ſeu in *privatione* debitæ rectitudinis conſiſtere, fuſius docuimus cum potiori Th. in Theol. Schol. *Part. 3, à n. 34.* Ex his

282 Prænot. 2. Omne peccatum eſſentialiter eſſe *contra legem* Dei æternam: quia omne peccatum eſt eſſentialiter contra dictamen *rationis* (cum *hæc* ſit proxima regula moralitatis) ergo etiam eſt contra legem Dei *æternam* ſaltem *mediate*; quia dictamen rationis eſt lex *participata* à lege æterna tanquam radius à ſole. Hinc peccatum *ſine* omni *lege* foret tantummodo *fundamentaliter* tale: nam ſi nulla daretur lex, etiam nulla daretur oppoſitio ad legem (in *qua* tamen peccatum formaliter conſiſtit, ut conſtat ex ejus definitione) ſic ſi nullæ darentur regulæ *artis*, nullus daretur defectus artis: quare Apoſtolus: *ubi non eſt lex, ibi nec prævaricatio.*

283 Ex quo habes, de eſſentia peccati eſſe, quod ſit *injuria* & *offenſa* Dei: eo ipſo, quod eſſentialiter ſit *transgreſſio* legis *Divinæ*, quæ fieri

fieri non poteſt *ſine* offenſa legislatoris. Quapropter ſententia admittens peccatum *philoſophicum* (quod eſſet peccatum *grave*, & tamen *nulla* offenſa Dei) damnata eſt ab Alex. VIII.

Prænot. 3. Hic quæſtionem duntaxat eſſe de diſtinctione ſpecifica *morali*, & in ordine ad confeſſionem, non de phyſica; nam ſæpe, quæ phyſice ſpecie diſtinguuntur, moraliter ſunt unum (ſic furtum *bovis*, & furtum centum florenorum, *phyſice* loquendo, ſpecie diſtinguuntur, eo quod habeant diverſa ſpecie objecta; & tamen *moraliter* ſunt peccata & furta *ejusdem* ſpeciei) & econtra, quæ phyſice loquendo ſunt *ejusdem* ſpeciei, ſubinde *moraliter* ſpecie diſtinguuntur; ſic occiſio laici & clerici phyſice ſunt ejusdem ſpeciei, non tamen moraliter; ſiquidem occiſio *clerici* ſuperaddat malitiam *ſpecialem* ſacrilegii. In hoc ſenſu ſit 284

CONCLUSIO. Diſtinctio *ſpecifica* peccatorum deſumitur ab *objecto*, formaliter conſiderato. *Ita communis TT. ex S. D. 1. 2. q. 72. a. 6. ad 2. &c.* 285

Probatur: Diſtinctio ſpecifica peccatorum non deſumitur ex *ſola* oppoſitione ad *virtutem* (quia intra *eamdem* virtutem, juſtitiæ v. g. dantur peccata *ſpecie* diſtincta, furtum, adulterium &c.) Nec à diverſitate *præceptorum* (quia *hæc* niſi habeant diverſa motiva, tantum ſunt terminus *à quo*; ſi quidem peccans ſe à lege avertat) ergo ab *objecto*: quia ab *hoc* omnis actus *humanus*, qualis etiam eſt peccatum,

catum, ſumit ſpeciem; ergo & diſtinctionem ſpecificam. Præcipue: cum *converſio* per ſe intendatur: *averſio* autem tantum per accidens: ergo.

286 Objicies 1. peccatum (: R. d. a. in *abſtracto* c. in *concreto* n.:) eſt privatio: ergo ejus diſtinctio ſumitur à rectitudine ſeu forma oppoſita.

287 Repones: *Converſio* ad objectum non ſpectat ad *formale* peccati (: ſumpta *concrete* n. abſtracte c. Sic actus viſivus *concrete* ſumptus ſpectat ad formale oculi: licet, ſumptus inadæquate & comparative ad *viſionem*, ſit *hujus* ſubjectum, pertinens ad materiale:) ergo

288 Ob. 2. Peccatum eſſentialiter eſt *contra legem*: ergo ſi leges ſunt *ſpecie* diverſæ (: ex parte *motivi* c. legislatorum n.:) habebit diverſas ſpecie malitias.

289 Dices: Inobedientia *formalis* contra legem *Divinam* diſtinguitur ſpecie ab inobedientia contra legem *humanam*: ergo & alia peccata (: n. c. Quia in contemptu legis *lex* eſt objectum & terminus *ad quem*:) Maxime: quia lex Divina & humana habent *diverſos* fines (: proximos & *intrinſecos* n. *extrinſecos* & remotos c. Sic furtum proxime prohibetur ob damnum proximi:) ſc. beatitudinem ſupernaturalem & naturalem &c. ergo.

290 Ob. 3. Si quis die *Dominica*, in quam incidit *aliud* feſtum, non audit Sacrum, tunc committit duo *ſpecie* diſtincta peccata; ergo. a. p. Qui frangit votum *juramento* firmatum,

pec-

peccat *dupliciter*: ergo etiam ille. c. p. Utrobique eſt *idem* motivum (: *genericum* c. ſpecificum n. Nam frangens votum juratum agit contra *fidem* Deo debitam, & ejus *veracitatem*:)

Ob. 4. Objectum peccati eſt *malum*; ergo ab eo non poteſt deſumi diſtinctio. c. p. Malum non poteſt per ſe intendi (: ut *malum* eſt c. ut eſt *bonum* apparens n.:) ergo nec dare ſpeciem. 291

Ob. 5. Peccatum mortale & veniale habent *idem* objectum (: materialiter & in eſſe rei c. *formaliter* n.:) & tamen diſtinguuntur ſpecie; ergo. a. p. In furto; ergo. 292

Inſiſtes: Eſt eadem quoad ſpeciem *rectitudo*, quam per ſe intendit juſtitia ſive ſit circa magnam ſive parvam materiam (: t.:) ergo etiam erit *eadem* ſpecie *irrectitudo* (: quoad ſpeciem *ſubalternam* c. quoad ſpeciem *infimam* n.:) in parva & magna materia. 293

Ob. 6. Diſtinctio ſpecifica deſumitur etiam à *fine* & circumſtantiis (: ut *talibus* n. ut tranſeunt in rationem objecti c.:) ergo non à *ſolo* objecto. a. p. Sic quando quis furatur ut fornicetur, committit duplex peccatum; ergo. 294

Deduces: Etiam peccata *omiſſionis* deſumere ſuam ſpecificam diſtinctionem ab objecto ſaltem *indirecte* ſc. ratione *actuum*: quia peccatum *omiſſionis* eſt privatio actus præcepti. Interim peccatum omiſſionis & commiſſionis in *genere moris* (nam phyſice differunt 295

prop-

propter diverſum modum tendendi in obje-
296 ctum) non ſemper *eſſentialiter* diſtinguuntur: quia poſſunt eſſe contra *idem* motivum proximum virtutis: contra *tale* facit avarus ſive *non det* alienum, ſive hoc *auferat*. Hoc non attento, peccatum per *exceſſum* diſtinguitur ſpecie à peccato per *defectum*. Ratio eſt: quia procedunt ex diverſis formaliter motivis, ut patet in prodigalitate & avaritia. *Vid.* P. Babenſtuber *tr. 2. d. 3. a. 2. à n. 14.*

ARTICULUS II.

Unde deſumatur diſtinctio peccatorum numerica?

297 PRænotandum: etiam hic inquiri diſtinctionem numericam *moralem* tantum: ubi præcipua difficultas eſt circa *pluralitatem* objecti. De qua ſtatuitur ſequens

298 CONCLUSIO I. Multiplicatio *objecti* numerica in eodem actu non facit plura numero peccata, in confeſſione ſecundum numerum objectorum explicanda. *Ita P. Gobat tr. 6. n. 381. Reiſſenſt. tr. 3. diſt. 1. q. 5. n. 57. Viva prop. 25. Alex. VII. &c.*

299 Prob. 1. Pluralitas objecti *numerica eſt* tantum *materialis*; ergo. a. p. Intentio & *actus* occidendi v. g. plures, reſpicit illa objecta omnia per modum *unius* objecti formalis; ergo. a. p. Eſt *unus* actus, unumque moti-
vum,

vum, ut ſupponitur: ergo illa omnia objecta reſpicit per modum *unius* (quia reſpectu unius actus non datur niſi unum objectum) conſequenter illa pluralitas non facit plura peccata. Sicut pluralitas *præceptorum*, haben- 300
tium *idem* motivum, non facit plura peccata (etſi plura jura legislatorum violentur, etiam ex *contemptu*; ubi jura ſe habent ut objectum) quia ſe habent materialiter tantum; eo quod violentur ſub eadem ratione formali, ex *n. 285.*

Prob. 2. *Actus*, quo ſimul occido tres, eſt 301
unum tantummodo peccatum, etſi habeat tres numero diſtinctas malitias: ergo non eſt peccatum triplex in ordine ad confeſſionem: cum nullum detur præceptum confitendi *numerum* malitiarum in *eodem* actu, ſed *ſpeciem* tantum & *numerum* peccatorum. a. p. Pec- 302
catum eſt *concretum* accidentale: ergo ut multiplicetur, requirit multiplicationem ſubjecti ſeu recti, quod eſt *actus humanus*; qui cum ſupponatur eſſe unus tantummodo, etiam peccatum non poteſt eſſe niſi unum duntaxat. Interim tamen explicari debet *pluralitas* in genere: quia alias non explicaretur ſubſtantia peccati comiſſi: ſic quoque debet explicari *actus externus*; ergo.

CONCLUSIO II. Diſtinctio numetica de- 303
ſumitur ab interruptione *morali* actus circa idem objectum. *Eſt communis.*

Probatur: Talis interruptio multiplicat 304
objectum *numero*, & facit plura concreta accidenâ€‘

cidentalia: ergo etiam facit plura numero peccata: ſicut multiplicatio objecti *ſpecifica* facit *plura* peccata *ſpecie*. a. p. Interruptio illa
305 facit *plures* numero *voluntates* ſeu propoſita peccandi: ergo etiam plura numero objecta, *concreta*, & peccata: quia multiplicato principio morali, multiplicantur quoque actus tam interni, quam externi. Ut autem interruptio *hæc* (quæ in genere fit per voluntatem *contrariam*, aut ceſſationem *voluntariam*) quoad ſingulos magis cognoſcatur, ſit

306 CONCLUSIO III. Peccata pure *interna* moraliter interrumpuntur, adeoque numero multiplicantur per *voluntariam* ceſſationem. *Iterum communis* DD.

307 Probatur: Quia per ceſſationem voluntariam *perfecte* conſummantur, eo ipſo quod interna ſint; ut hæreſis, delectatio moroſa &c. Ceſſatio *involuntaria* nullibi facit multiplicationem moralem: quia ſtante *illa* moraliter manet *eadem* voluntas; utpote voluntarie *nunquam* revocata; ergo.

308 CONCLUSIO IV. Peccata *externa* moraliter interrumpuntur & numero multiplicantur, quoties interrumpitur actus *internus* per actum contrarium, aut ceſſationem voluntariam; *hic* tamen, etſi ſæpius repetatur, durante & intento eodem actu externo circa idem objectum, facit *unum* peccatum cum
309 illo peccato *externo* (quia *hoc* cenſetur moraliter per modum *unius* continuari & uniri in ordine ad eamdem *primo* intentam *conſummationem*

tionem externam) Similiter quamvis actus *externus*, durante eodem propoſito interno conſummandi peccatum externum, ſæpius repetatur, tamen eſt unicum peccatum, ſi illi actus repetiti *ſpectent* ad eandem *conſummationem* (quia ſic ſe habent per modum *partium* ad *totam* conſummationem; cum fiant ex imperio *unius* actus interni) aut *ordinentur* ad unum actum principalem & ſub *eodem fine* principali vel eodem actu intento uniantur (quia ſic velut *media* partialia & opera *imperfecta* cum actu principali velut fine unico uniuntur, & conſequenter unum cum eo peccatum conſtituunt) aut denique ſi ſunt actiones ex natura ſua vel inſtitutione *integrantes* (quia ſic faciunt unam actionem totalem) ergo. 310

Objicies 1. cont. 1. concl. Actus terminatus ad plura objecta *ſpecie*, includit plura ſpecie diſtincta *peccata* (: R. t. Nam eſt *unum* tantummodo, habens tamen duas *ſpecie* malitias, quæ juxta Trident. explicari debent :) ergo etiam actus terminatus ad plura *numero* objecta includet plura *numero* peccata (: n. c. Quia in *hoc* caſu pluralitas *numerica* ſe habet tantum materialiter; cum adſit *idem* motivum :) 311

Ob. 2. Actus, quo tribus detraho, æquivalet tribus Actibus: ergo eſt triplex peccatum. a. p. Lædit tria jura *diſtincta* (: materialiter c. *formaliter*, quia hic & nunc per *unum* actum ſub *eodem motivo* attinguntur, n. 312

Sic etſi tres legislatores habeant tria diſtincta jura, ſi tamen illa, ſub eadem ratione formali quid præcipientia, violem, committo unum ſolummodo peccatum :) ergo. a. p.

313 Quilibet habet jus ſpeciale *completum*, independenter à jure alterius (: ſi conſideretur ſeorſim c. ſi *conveniant* ſub eundem actum & motivum n. Sic furtum trium aureorum à tribus mutuo conſenſu factum fit unum, ſi ſimul fiat : nec teneor in confeſſione explicare *numerum* horum *trium* ; cum ſit circumſtantia minuens :)

314 Ob. 3. Conjugatus peccans cum conjugata debet explicare *utrumque* conjugium : ergo etiam detrahens ſimul tribus, numerum *trinum* (: n. c. Nam jus utriusque conjugis læditur *modo diverſo*, ſc. ſemel peccato *proprio*, frangendo fidem uxoris propriæ, & ſemel *alieno*, cooperando fractioni alienæ : accedente inſuper circumſtantia ſpeciem mutante :) c. p. Conjugata multiplicat adulterium numero tantum ; ergo.

315 Ob. 4. Sic Sequitur, quod dum quis furatur tribus, ſimul tribus maledicit, tres fœminas ſimul concupiſcit &c. ſatisfaciat, ſi explicet pluralitatem : atque hæc ſunt abſurda (: in *apprehenſione* aa. c. in noſtris *principiis* n. ſiquidem *hæc* etiam ab aa. agnoſcantur ut practice probabilia :) ergo.

316 Ob. 5. Hæc ſententia in praxi non eſt tuta; ergo. a. p. Verſatur circa *materiam* Sacramenti (: *eſſentialem n. accidentalem* c. :) eſtque *proba-*

probabilis tantum : atque circa *materiam* Sacramenti (: *eſſentialem* c. accidentalem n. alias non poſſem ſequi ſententiam, docentem, quod circumſtantiæ *aggravantes* non debeant in confeſſione explicari :) ſequi ſententiam probabilem non eſt licitum ; ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis ; ergo.

Ob. 6. cont. 2. concl. Diſtinctio *numerica* 317
ſumitur ab interruptione *phyſica*: ergo non à morali. a. p. Per *phyſicam* diſcontinuatur *libertas* (: phyſice c. *moraliter* n. :) ergo & *actus*. c. p. Alioquin *una* malitia eſſet in *pluribus* actibus phyſice diſtinctis (: moraliter tamen *unitis* c. ſecus n. :) ergo.

Ob. 7. cont. 3. concl. Actus *interni* inter- 318
rumpuntur per ceſſationem etiam *involuntariam*: ergo. a. p. Per *hanc* tollitur actûs interni continuatio (: *phyſica* c. moralis n. :) quia non manet eadem voluntas (: phyſice c. *moraliter* n. cum nunquam fuerit revocata :) ergo.

Ob. 8. cont. 4. concl. Stante ceſſatione 319
voluntaria, manet eadem voluntas (: *habitualiter c. actualiter* n. :) ergo non facit interruptionem moralem. a. p. Per illam ceſſationem voluntas non retractatur (: *formaliter* c. virtualiter n. :) ergo. Ex dictis conficies plura numero peccata conſtitui 1. Si actus *moraliter* interrumpitur. 2. Quando peccata externa ſunt *diſparata*. 3. Si actus prævii natura ſua non ſunt 320
ordinati ad actum principalem: aut ſi ordinati ſunt, fiunt tamen *ſine* intentione ad illum. 4.

Quando actus illi *actualiter* non uniuntur in actu *principali*: ſi ſc. *hic* actu non ſequitur. Modo cum S. D. circa comparationem & gravitatem peccatorum

321 Quæres 1. Num omnia peccata ita connexa ſint, ut qui unum commiſit, etiam malitiam cæterorum contrahat? Item an omnia ſint æqualia? ℟. Ad primum negative: quia objecta peccatorum *non* ſunt *connexa*, ſed plerumque inter ſe *diſparata*, imo quandoque *contraria*, ut conſtat in avaritia & prodigalitate: ergo nec ipſa *peccata* inter ſe connexa ſunt; ſiquidem unitas & diſtinctio peccatorum ab objecto deſumatur, ex dictis *à n. 285.*

322 ℟. Ad ſecundum, etiam non omnia peccata eſſe *æqualia* ſed unum alio eſſe gravius tam ratione culpæ; quam ratione pœnæ: *ut habet communis & certa ex illo Joan. 19. qui me tradidit, majus peccatum habet.* Ratio primi eſt: quantitas *malitiæ* moralis deſumitur ex quantitate *repugnantiæ* cum honeſtate *virtutis* & bono *rationis*: atqui *hæc* inæqualis eſt, ſicut & ipſa honeſtas; ergo pariter quantitas *malitiæ* inæqualis eſt. Ratio ſecundi eſt: quia quantitas *pœnæ* commenſuratur quantitati *culpæ*: ergo cum quantitas *culpæ* inæqualis ſit, etiam menſura pœnæ inæqualis erit. *Vid.* Theol. Schol. *à n. 122.* cum qua

323 Quæres 2. Utrum in appetitu *ſenſitivo*, ſecluſo

cluſo voluntatis conſenſu, poſſit eſſe peccatum? Ubi advertendum, per appetitum *ſenſitivum* ſeu ſenſualitatem hic intelligi illam inclinationem naturæ ſenſitivæ, qua propendet in bonum *ſenſibile*, à ſenſu interno ſibi propoſitum. Eſt duplex: *concupiſcibilis*, qui verſatur circa bonum *delectabile* ſecundum ſenſum, cujus actus ſunt amor, odium &c. & *iraſcibilis*, qui verſatur circa bonum *arduum* difficulter obtinendum, cujus actus ſunt ſpes, deſperatio, ira &c. Inſuper dicti concupiſcen- 324
tiæ motus ſunt in triplici differentia: nam aliqui dicuntur *primo-primi*; qui omnem rationis advertentiam præveniunt. Alii dicuntur *ſecundo-primi*, qui ſupponunt *ſemiplenam* advertentiam; qualem habere ſolent ſemi- dormientes & ſemi- ebrii. Alii demum *plene deliberati*, qui fiunt cum *plena* advertentia & conſenſu. Circa hos

℟. 1. Neque *fomes* ſeu concupiſcentia ha- 325
bitualis, neque ipſius motus, qui vel rationem præveniunt, vel quos inviti patimur, ſunt peccata mortalia. *Eſt de fide ex Trid. ſ. 5. can. 5. contra modernos hæreticos.* Ratio eſt: prædicti motus & fomes concupiſcentiæ non ſunt nobis *voluntarii*, quia nobis non ſunt liberi: ergo peccata eſſe non poſſunt; ſecus homo contra ſuam voluntatem poſſet cogi ad peccandum; ſiquidem motus concupiſcentiæ etiam à dæmone, & per vim extrinſecam excitari queant.

℟. 2. Motus concupiſcentiæ, ſecluſo 326

omni etiam *interpretativo* voluntatis conſenſu, nullam habent malitiam, etiam venialem. *Ita communiter Salisburg. cont. Salm. Gonet &c.* Ratio eſt: quia motus appetitus ſenſitivi, absque omni voluntatis influxu, non eſt *voluntarius* & moralis, ut docet S. Th. *in 2. diſt. 24. q. 3. a. 2.* ſiquidem ipſius domini haud ſimus, nec illum poſſimus reprimere; ergo
327 non poteſt eſſe peccatum. Deinde: voluntas non habet potentiam reprimendi motum inordinatum concupiſcentiæ, niſi ex parte *intellectus* ſupponatur *advertentia*: atqui intellectu advertente, neceſſario etiam adeſt aliquis actus *voluntatis*; quia *hæc* propter naturalem ſympathiam & connexionem cum intellectu nequit ſuſpendere omnem actum ſuum; ergo. *Vid. cit.* Theol. Schol. *à n. 160.* Sed huc ſpectat alia difficultas, quam reſolvet diſtinctus, ibique poſitus

ARTICULUS III.

An negative ſe habens circa inordinatos concupiſcentiæ motus peccet mortaliter?

328 PRænot. 1. Cum ex modo dictis conſtet, non *omnem* motum concupiſcentiæ ſtatim eſſe peccatum; jam quæri, an obligatio ſit, talibus motibus reſiſtendi *poſitive*, adhibendo media poſitiva? Pro quo adverten-

tendum, ad omne peccatum mortale ex parte *intellectus* requiri *advertentiam* (adeoque & deliberationem) plenam (quia eſt voluntarium perfectum; ergo etiam requirit cogni- 329
tionem perfectam) non quidem formalem & *explicitam* (alias non daretur peccatum ex ignorantia *vincibili*, aut affectata) ſed virtualem aut interpretativam: quia utraque ſufficit ad voluntarium imperfectum. *Habitualis* autem minime ſufficit: quia *hanc* habens, malitiam peccati nec cognoſcit, nec *proxime* potens eſt cognoſcere, ſed tantum remote & quaſi in actu primo.

Prænot. 2. Ad peccatum mortale inſuper 330
ex parte *voluntatis* requiri *conſenſum plenum*, ſaltem indirectum ſeu virtualem & *implicitum*: ob rationem adductam *n. 328.* An etiam ſufficiat *interpretativus*, dum nempe quis ſe habet negative, ex ſola confidentia animi? quæſtio eſt. Ubi certum eſt, quod ſit obligatio reſi- 331
ſtendi *poſitive*, quando eſt periculum *proximum* conſenſus. Item, quod quis ſe non poſſit habere negative ex *complacentia* iſtorum motuum. Quemadmodum econtra quoque certum eſt, iſtos motus permiſſos vacare *omni* culpa, quando adeſt *juſta* cauſa permittendi.

CONCLUSIO: Negative ſe habens *non* 332
peccat ſaltem *mortaliter*: modo habeat ſimplicem diſplicentiam. *Ita* Salm. *tr. 13. d. 10. n. 180.* Gobat *tr. 7. n. 328.* Sporer *tr. 1. c. 6. ſ. 2. n. 15.* la Cr. *l. 4. n. 111. quoad rem. 1.*

 Prob. 1.

333 Prob. 1. pars: Quia iſti motus, præter voluntatem exorti, non habent *gravem* inordinationem; eo quod, ſtante actuali diſplicentia, non poſſint trahere ad conſenſum (ſiquidem impoſſibile ſit *ſimul* habere complacentiam & diſplicentiam) ergo.

334 Confirmatur: Dans *cauſam* his motibus *curioſa* lectione v.g. non peccat graviter abſente periculo, etſi *hanc* non removeat: ergo nec, qui *permittit*. Præcipue, quia facillime oriuntur, & poſitiva reſiſtentia ſæpe magis exaſperantur; ergo.

335 Prob. 2. pars: Quia foret periculum *proximum* conſenſus, niſi adeſſet ſimplex *diſplicentia*: quæ licet *motum* ipſum non cohibeat, cohibet tamen conſenſum in *illum*; ergo.

336 Objicies 1. Negative ſe habens, conſentit *interpretative*: ergo peccat mortaliter. a.p. *Poſſet* illos reprimere: & tenetur (: R. d. a. ſub obligatione *gravi* n. ſub *levi* c. :) ergo. a. p. Habent gravem *inordinationem* (: prout connotant conſenſum *formalem* c. ſecus n. alioquin nec ex cauſa *honeſta* permitti poſſent :) ergo.

337 Urgebis: *Permiſſio* illa habenti ſe negative eſt voluntaria: ergo etiam ipſi *motus*. a. p. Qui vult cauſam, etiam vult *effectum* (: niſi influxus in effectum impediatur per voluntatem *contrariam* c. ſi impediatur n. :) ergo.

338 Ob. 2. Valde *præſumptuoſum* eſt ſe habere negative (: *ſine* diſplicentia c. *cum* n. :) ergo eſt peccatum grave. Præſertim, cum *tacens* con-

conſentire videatur (: in materia *contractuum* t. in aliis ſubd. niſi adſit ſimplex *diſplicentia* c. ſeçus n. :) ergo.

Ob. 3. Iſta *permiſſio* eſſet venialis ex parvitate *materiæ*; nam advertentia plena ſupponitur adeſſe : atqui in iſta materia non datur *parvitas* materiæ (: quoad voluntatem & conſenſum *poſitivum* c. quoad *permiſſivum* n. Secus hæc permiſſio nec ex cauſa honeſta fieri poſſet :) ergo. 339

Ob. 4. Simplex diſplicentia non impedit, quin motus illi ſint ſimpliciter *voluntarii* : ergo. a.p. Mercator projiciens merces in mare, habet *ſimplicem* diſplicentiam (: *abſolutam*, qualem habet habens ſe negative, n. *conditionatam* c. :) & tamen projectio illa eſt illi *voluntaria* ſimpliciter; ergo. 340

Ob. ult. Permiſſio tactus *alieni* eſt peccatum *mortale* : ergo & permiſſio *motuum* inordinatorum (: n. c. Quia hæ fiunt ſine periculo, quæ permittuntur, tam proprio quam *alieno* : non autem illa :) Videantur Authores citati præſertim P. Mezger *tr. 6. d. 21. a. 6. §. 4. n. 13.* la Cr. *l. 4. n. 111.* 341

Quæres 1. Quasnam *cauſas* inordinatorum motuum ſenſualitatis venereæ, aut pollutionis ſecuturæ, vitare teneamur? Ubi ſupponendum, in *nullo* caſu licitum eſſe *directe* procurare pollutionem; eoquod graviter repugnet fini & bono *naturæ*, quæ in emiſſione ſeminis unice procreationem prolis per viam legitimæ generationis intendit. Idem 342

dicendum eſt de venereis *motibus* extra ſtatum matrimonii; ſiquidem *iſti* quoque ſint inchoata mollities aut fornicatio: intra ſtatum *matrimonii* vero toties ſunt peccata mortalia, quoties voluntarie habentur *cum* periculo pollutionis. De quibus fuſe P. Sporer *in Theol. Sacr. p. 4. c. 2. ſ. 2. à n. 496.* Nunc

343 ℟. 1. Si *cauſa* poſita ſeu actio, ex qua prævidentur ejusmodi motus venerei aut etiam pollutio, ſit peccatum *mortale* in materia *luxuriæ*, etiam motus illi aut pollutio ſecuta erunt peccata mortalia: ſi autem cauſa vel actio ſit tantum *venialis*, etiam peccata erunt tantum venialia. Ratio eſt: quia cum motus illi aut pollutio ſint ſolum voliti in *cauſa*, ideo in tantum mali ſunt, in quantum mala eſt cauſa, quæ ſola *directe* voluntaria eſt.

344 ℟. 2. Si actio illa *non* ſit peccatum mortale in genere *luxuriæ*, quamvis ſit mortale in *alio* genere, uti eſt ebrietas, vel eſus carnium die veneris, tunc motus illi aut pollutio in illa actione *prævisi* quidem, ſed minime *intenti*, probabilius per ſe nullum ſunt peccatum. Ratio eſt: quia quod peccetur contra temperantiam comedendo die veneris carnes, nihil ſpectat ad caſtitatem & tam parum, quam ſi comedantur die jovis per actionem omnino indifferentem; ergo. *Vid.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 924.*

345 ℟. 3. Si actio, ex qua prævidentur ejusmodi motus aut pollutio, ſit de ſe *honeſta* & *licita*, licet videatur ſpectare ad materiam luxuriæ,

xuriæ, uti lectio caſuum turpium &c. quando tamen eſt neceſſitas, utilitas, aut alia quævis cauſa *rationabilis* eam ponendi vel continuandi, nullum erit peccatum, quamvis ejusmodi motus aut ipſa pollutio ſequantur; dummodo *non* intendantur, & abſit *periculum* conſenſus. Ratio eſt: quia, qui utitur jure 346
ſuo, quod habet ad ponendam actionem de ſe honeſtam & licitam, illi non imputatur ad peccatum, quod per accidens ſequitur; cum potius patiatur, quam agat. *Vid cit.* la Cr. *à n.927.* Sporer *n.650.*

Quæres 2. An delectatio *moroſa* habeat 347
omnes ſpecies malitiæ, quas habet *deſiderium*, aut opus *externum*? ℟. Negative; niſi circumſtantiæ ipſæ eſſent per ſe intentæ & volitæ; quod certe rarum eſt. Ratio eſt: quia actus internus *inefficax* (qualis eſt delectatio *moroſa*) fertur in objectum præciſe ut *objective* proponitur in intellectu, ideoque facile abſtrahit à circumſtantiis annexis, quamvis cognitis: dum econtra actus internus *efficax* tendit 348
in ipſum actum externum ut *ſubjective* exercendum circa objectum prout eſt à parte rei; ideoque minime poteſt abſtrahere à *circumſtantiis* annexis cognitis, ſed volens actum, neceſſario ſimul vult circumſtantias cognitas. *Vid.* P. Sporer *Theol. Sacr. p. 3. c. 3. ſ. 1. n. 405.* Item nos infra *p. 3. à n. 58. 147.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

Quid requiratur ex parte objecti, ut motus concupiſcentiæ inordinatus aut delectatio de tali actu ſit peccatum mortale?

349 PRænot. 1. Quoniam in priori Articulo decidimus, quid ex parte *intellectus* & *voluntatis* requiratur ad peccatum mortale, reſtat, ut dicamus, quid requiratur ex parte *objecti?* Ubi quæſtio præcipua ſeſt de delectatione moroſa, quæ definitur: eſt *ſimplex complacentia voluntaria de re illicita, ſine intentione eam opere complendi.* Poteſt fieri dupliciter. 1. Ut quis delectetur non de ipſa *re* mala cogitata, ſed de ipſa rei malæ *cogitatione*, quando motivum delectandi eſt præciſa cognitio veritatis. 2. Ut quis delectetur de ipſa *re* mala *cogitata*, & ad *hanc* affectum habeat.

350 Prænot. 2. Delectationem de re cogitata aliquando eſſe de ipſa *ſubſtantia* operis mali; aliquando autem tantum de circumſtantia aut *modo* delectabili ipſius. Sic poſſum habere delectationem de ingenioſo *modo* furandi, ut tamen ipſam ſubſtantiam furti deteſter. Ratio eſt: quia modus poteſt repræſentari ut delectabilis, non item ſic ſubſtantia.

351 Prænot. 3. Quæſtionem præſentem moveri de delectatione moroſa tam *ſenſibili*, quæ oritur in appetitu *ſenſitivo* cum alteratione corporis per motum ſpirituum vitalium) quam

quam *nationali:* quæ poſt propoſitum ab intellectu objectum delectabile oritur in appetitu rationali ſeu voluntate. Et quamvis hæ duæ delectationes *realiter* diſtinguantur, nihilominus propter naturalem ſympathiam (quam habet voluntas cum appetitu ſenſitivo) quando datur una, plerumque ſurgit & altera. Poſſunt tamen ſeparari in ratione *voluntarii* ; quia appetitus ſenſitivus poteſt ſentire delectationem, *invita* ac reluctante voluntate.

CONCLUSIO I. Per ſe loquendo nul- 352
lum eſt peccatum delectari de *cogitatione* vel aliquo *modo* artificioſo & delectabili rei illicitæ. *Ita communis Theologorum ex* S. D. *1. 2. q. 47. a. 8.*

Probatur: Talis delectatio non eſt de *objecto* malo; ergo nec ipſa mala eſt. Hinc Deus & Angeli defacto gaudent de perfecta cognitione non tantum bonorum ſed etiam malorum: & nos licite habemus complacentiam de exacta *cognitione* graviſſimorum peccatorum; ergo.

CONCLUSIO II. Conſenſus in delecta- 353
tione de *re* mala *cogitata* ſemper eſt malus vel mortaliter vel venialiter pro qualitate objecti. *Ita omnes DD. catholici ex S. Th. q. 74. a. 8.*

Probatur: Conſenſus in delectationem *rei* malæ eſt deliberata *voluntas* & velleitas rei malæ; quia eſt deliberata *adhæſio* & inclinatio in rem malam: ergo & ipſe *malus* eſt; & quidem *mortaliter*, ſi objectum mortale ſit; aut

venia-

venialiter tantum, ſi objectum præciſe veniale ſit.

354 CONCLUSIO III. Conſenſus in delectationem *veneream* extra ſtatum matrimonii ſemper eſt peccatum mortale, tametſi delectatio ſiſtat in ſola *voluntate*, & non ſit in appetitu ſenſitivo. *Iterum communis DD.*

Probatur: Delectatio venerea, ſive ſit in appetitu ſenſitivo, ſive ſiſtat in ſola *voluntate*, ſemper graviter *repugnat* rectæ rationi, & habet *gravem* deformitatem; ergo ſemper eſt peccatum grave. a. p. Si ſimul eſt in appetitu *ſenſitivo*, commovet ſpiritus generationi ſervientes: ſi autem eſt in *voluntate* ſola, tunc facit, ut ametur opus mortaliter malum, incitat ad motus libidinoſos &c. ergo.

355 Objicies 1. cont. 1. concl. Deſiderare & *efficaciter* velle *modum* artificioſum furti, eſt peccatum: ergo & delectari de illo (: n. c. & c. Quia deſiderium efficax non poteſt præſcindere; bene tamen delectatio, ex dictis *n. 351.* :)

356 Ob. 2. cont. 2. concl. In S. Scriptura *Jacobi* 1. dicitur: *Peccatum cum CONSUMMATUM fuerit, generat mortem*; atqui per ſolum *conſenſum* in delectationem non *conſummatur* (: externe c. *interne* n. :) ergo non eſt peccatum:

357 Ob. 3. Licitum eſt die *veneris* delectari de comeſtione carnis, *mente* concepta, perinde ac ſi re ipſa carnes comederet, dummodo abſit *propoſitum* comedendi: ergo delectatio

moroſa

morosa de opere malo cogitato non eſt mala, ſi deſit animus ipſum opus exequendi (: quando opus non eſt malum intrinſece ſed *extrinſece* ſolum, uti eſt comeſtio carnis die veneris, c. ſi eſt malum *intrinſece* n. :)

Ob. 4. cont. 3. concl. Delectatio venerea non eſt *efficax* voluntas *peccandi* (: effective c. *affective* n. :) ergo non prohibetur præcepto, *non concupiſces* (: n. c. Quia delectatio & operatio pertinent ad *idem* genus :) 358

Dices: Ad *meritum* non ſufficit, de actu virtutis tantum *delectari* (: ſpeculative c. *practice*, ſc. ex motivo ipſius virtutis cum ordine ad Deum n. :) ergo nec ad *demeritum* ſufficit delectari de opere malo (: n. c. Quandoquidem plus requiratur ad *meritum* quam ad demeritum; cum *bonum* ſit ex toto, malum vero ex quolibet defectu :) 359

Ob. 5. *Diſplicentia* inefficax circa rem graviter *præceptam* non eſt mortale (: ſi diſplicentia cadat ſupra rem *præceptam* in ſenſu *diviſo* c. ſi in ſenſu *compoſito* præcepti n. Taliter enim eſſet virtualis amor, ſeu voluntas illud transgrediendi :) ergo ſimiliter *complacentia* circa rem graviter *prohibitam* non ſemper erit mortale. a. p. Chriſtus habuit diſplicentiam inefficacem (: in ſenſu *compoſito* præcepti n. *diviſo* tantum c. *Vid. tr. de incarn. n. 595.* :) circa mortem ſibi graviter præceptam; ergo. 360

Ob. 6. Si ita eſt, tunc vidua peccaret mortaliter, ſi caperet delectationem veneream *de præterito* actu conjungii? aut ſponſa, 361

de

de futuro: atqui hoc videtur ſatis durum; ergo. m. p. Actus *præteritus* conjugalis, de quo vidua, & futurus, de quo ſponſa delectatur, eſt licitus (: pro ſtatu *præſenti* n. pro
362 ſtatu *præterito* vel futuro c. Interim ſi illum actum conjugalem non imaginentur ut præſentem, poſſunt de illo gaudere *delectatione rationali* ſub formali ratione *præteriti vel ſuturi*: vel propter aliquem bonum effectum, liberos, hæreditatem &c. quo modo delectari etiam de pollutione habita, præciſe ad bonum aliquem effectum, v. g. ob ſanitatem, ſedationem tentationis &c. non eſſe peccatum, communiter docent DD. uti teſtatur P. Mezger *tr. 6. d. 21. a. 4. n. 17.*:) ergo.
363 Ob. 7. In delectatione carnali poteſt dari parvitas materiæ (: ſi delectatio *carnalis* & luxuria ſumatur generice, prout eſt quid *commune* delectationi *ſenſibili* & venereæ c. ſi ſumatur præciſe pro delectatione *venerea* n.
364 Enimvero Alex. VII. damnavit hanc 40. propoſitionem: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis. Vid.* P. la Cr. *l. 5. n. 105.*:) ergo conſenſus in illam non ſemper eſt mortale. a. p. Leviter tangere manum mulieris, pedem premere &c. eſt tantum veniale (: ſi fiant præciſe ex joco, levitate aut curioſitate, *ſecluſa* intentione libidinoſa, & *periculo* conſenſus c. ſecus n.:) ergo. *Vid.* P. Sporer *n. 676. 686.* &c.

Ob. 8.

Ob. 8. Poteſt quis velle *delectationem levem* cum *propoſito* non conſentiendi *in gravem* (: efficaci n. cum propoſito *inefficaci* ſolum c. Sic qui vult accendere *unum* granum pulveris, non poteſt habere *efficacem* voluntatem non accendendi reliqua grana *contigua*:) ergo ſi ſuboriatur gravis erit per accidens & non *voluntaria*. Deinde: delectatio venerea hoc ipſo eſt *levis*, quod hic & nunc non trahat ſecum periculum pollutionis vel conſenſus in copulam, aut vehementer non turbet rationem: ergo non poteſt dici grave peccatum (: niſi ſecum adduceret inſuper alia pericula *proxima* c. ſecus n. :) Plurima de his in compendio videri poterunt apud P. Pichler *l. 5. t. 16. compend.* Quid conjugibus ſit licitum? fuſius docet P. Sporer *Theol. Sacr. p. 4. c. 2. ſ. 3. à n. 467.* Hic proinde à Neo-confeſſario legi poterit: ſed caute! caute! ne materiam adeo piceam tractando ipſus inquinetur. Nos aliqua inde ſumemus infra Part. *3. à n. 59. Part. 4. n. 839.* 365 366

Quæres 1. An peccet mortaliter, qui delectatur de objecto malo, illudque deſiderat ſub *conditione*, auferente ejus malitiam? ℞. Eum nullo modo peccare, ſi conditio auferat *totam* malitiam: quia delectatio vel deſiderium de tali objecto non eſt amplius voluntas rei malæ, e. g. *comederem carnes, ſi non eſſet dies Veneris* &c. Idem eſt in ſimilibus modo ejusmodi actus inefficaces & velleitates non procedant ex actuali voluntate *abſoluta* 367

peccandi. *Vid.* P. Sporer *Theol. Decal. tr. 1. c. 6. ſ. 2. n. 19.*

368 Quæres 2. Utrum per ejusmodi conditiones etiam auferatur malitia in actibus *intrinſece* malis, e. g. *Mentirer, ſi eſſet licitum; blaſphemarem, niſi offenderem Deum?* ℟. Affirmative: ideoque talem conditionem ponens plerumque non peccat graviter.

Ratio eſt: quia utens hujusmodi locutione *conditionata*, plerumque illa objecta non deſiderat *efficaciter* & abſolute, ſed ſolum oſtendit naturæ ſuæ & voluntatis *propenſionem*, quam recordatione Divinæ legis reprimere cupit: adeoque non loquitur per modum optantis, ſed ſolum per modum enunciantis.

369 Ita contra communem P. Renz *in tr. de Vit. & peccat. d. 1. q. 4. a. 5.* cum aliquibus, quos citat P. la Cr. *l. 5. n. 82.* In re tamen & noſtra hypotheſi ſuppoſita, omnes convenire videntur, ſi ſentiunt cum P. Sporer *l. c. n. 20. & 21.* Nam ſi ſupponatur, illas locutiones conditionatas fieri *optative*, ita ut ſignificent *actualem* affectum voluntatis actu volentis, *deſiderantis* & optantis talem actum malum, ſub dicta conditione, nemo negat, eſſe peccata mortalia.

370 Quæres 3. An peccem graviter, dum dico: *ſi Deus vellet, Petrum mori, gauderem?* ℟. Affirmative, ſi ſignifices affectum *antecedentem* ad Divinam voluntatem: nam ſic velles, ut Deus vellet Petrum mori; adeoque idem eſt ac optare ipſam mortem Petri; ſecus ſi ſig-

ſi ſignifices affectum ſolum *conſequentem* ad voluntatem Divinam, quod nimirum (poſtquam Deus voluiſſet Petrum mori) cum gaudio velles voluntatem tuam conformare Divinæ. *Vid.* P. Sporer *tr. 2. c. 6. ſ. 1. n. 10.* ubi recte monet, notandum eſſe hanc propoſitionem 13. ab Innoc. XI. damnatam : *Si cum* 371
debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum. Nihilomi- 372
nus non obſtante hac propoſitione licitum eſt gaudere de ſuo *emolumento* per mortem proximi cauſato : quia tale gaudium non terminatur ad mortem proximi, ſed præſuppoſita morte, verſatur circa *hæreditatem* v. g. de *qua* licite gaudet; imo etiam licite deſiderat; modo affectus non feratur in ipſum mortem. *Vid.* P. la Cr. *l. 2. n. 187.* Hoc loco quoad cauſam efficientem peccati,

Quæres 4. Quænam ſint cauſæ *effectivæ* 373
peccati ? ℞. Præcipuam eſſe voluntatem, deſtitutam directione regulæ rationis & legis æternæ, prout tendit in aliquod bonum commutabile : adeo ut in *rationem boni* influat per ſe, in *privationem* autem debitæ rectitudinis tanquam cauſa *per accidens*; eo quod privationes (inter quas numeravimus peccatum formale, *n. 281.*) cum unice cauſentur ad productionem alterius, non habeant cauſam poſitivam & per ſe, ſed dun-

374 taxat cauſam per accidens. Quia tamen præter voluntatem adhuc alia videntur concurrere ad peccatum ; hinc *plures* numerantur peccatorum *cauſæ*, quarum aliquæ ſunt internæ; de quibus ſtatim: aliquæ externæ de quibus poſtea; ideo

375 ℞. 2. Cauſas *internas* peccati præcipue eſſe tres nempe ex parte intellectus *ignorantiam*, ex parte appetitus ſenſitivi *paſſionem*, ex parte voluntatis *malitiam* : unde peccatum aliud dicitur eſſe *imperitiæ* (illud nimirum quod ex ignorantia) aliud *infirmitatis* (quod ex paſſione) & aliud *malitiæ*, quod ex prava volunta-
376 te provenit. Paſſionem & malitiam perſtringemus *n. 381.* & *182.* hic ignorantiam: cujus nomine non intelligimus ſimplicem *neſcientiam* (cum *hanc* etiam lapis habeat) ſed carentiam ſeu privationem ſcientiæ *debitæ* ineſſe ſub-
377 jecto *apto* ad habendam illam. Dividitur *in habitualem* (quæ eſt carentia ſcientiæ habitualis) & *in actualem*, quæ eſt carentia ſcientiæ actualis. Utraque ſubdividitur in ignorantiam *juris* (qua ignoramus jus ſeu legem) & in ignorantiam *facti*, quia ignoramus id, quod cadit ſub legem. Quælibet ex his dividitur in *antecedentem* ſeu invincibilem, in *conſequentem* ſeu vincibilem, & *concomitantem*: de quibus ſupra *à n. 21.* Hic occaſionaliter

378 Quæres 5. Utrum omne peccatum præcedat aliquis *error* vel ignorantia in intellectu? Ubi præſupponitur, errorem intellectus nihil aliud eſſe, quam *judicium* intellectus de aliquo objecto aliter quam ſit in ſe. Dividi

tu

tur in errorem *ſpeculativum* (quo quis *abſolute* & præſcindendo ab operis executione judicat eſſe licitum, quod eſt illicitum; vel econtra) & in *practicum*, quo quis judicat, *hic & nunc* aliquid faciendum, quod eſt omittendum; aut econtra. Inſuper error alius eſt *formalis* (qui eſt judicium falſum, objectum aliter enuntians quam eſt) alius *virtualis*, qui eſt defectus vel *omiſſio* actualis *conſiderationis*, quam quis hic & nunc deberet habere circa objectum à ſe habitualiter cognitum. His ſuppoſitis

℟. Omne peccatum voluntatis præcedit 379
aliquis *error practicus* ſaltem virtualis in intellectu. *Ita TT. ex S. D. q. 77. a. 2. in c. contra Scot. & multos RR.* Ratio eſt: voluntas, utpote potentia cæca, nihil poteſt *velle*, niſi prius ab intellectu fuerit *cognitum* & propoſitum; cum voluntas ſit appetitus rationalis, *dependens* ab intellectu, utpote hoc imperfectior:
ergo ſi voluntas, ceu potentia *directa*, ali- 380
quid male vult, neceſſario debuit ab *intellectu*, ceu potentia dirigente, male fuiſſe propoſitum: adeoque præceſſiſſe error vel formalis, vel *virtualis* in intellectu practico. Sic ſi quis *cæcus* ex *natura ſua* dependeret ab aliquo ductore, *ille* non poſſet errare, niſi errante ipſo ductore; ergo *ERRANT, qui operantur malum. Prov. 14.* Objicibilia videantur in Theol. Schol. *à n. 231.*

Quæres 6. An & quomodo *paſſio* appeti- 381
tus ſenſitivi, & *malitia* poſſit eſſe cauſa pec-

 cati?

cati ? ℞. Ad primum : *paſſionem* eſſe cauſam peccati ſaltem remotam, indirectam, & per accidens, quatenus nempe judicium *rationis* perturbat & *impedit*, quo fit ut *voluntas* (quæ judicium rationis ſemper ſequitur) in agendo perturbetur, & ad peccandum pertrahatur.

382 ℞. Ad ſecundum : Certum eſſe dari peccata, quæ fiunt ſtudio & ex mera malitia : & ſic etiam *malitiam* eſſe cauſam peccati. Et hoc peccatum, quod ex malitia fit, eſt gravius, quam quod fit ex paſſione vel ignorantia : quia eſt *magis voluntarium*, ac inſuper fit cum majori contemptu Dei & affectu ad malum, quam alia peccata.

383 Quæres 7. Quæ ſint cauſæ peccatorum *externæ* ? ℞. Inprimis dæmonem, non quidem directe (cum non poſſit eſſe cauſa *directa voluntarii*; *quod* tamen ad peccatum eſſentialiter præſupponitur) ſed *indirecte* tantum per ſuggeſtionem tum internam, tum externam, commovendo varias paſſiones, pro-
384 ponendo objecta delectabilia &c. niſi à Deo impediatur. Interim tamen ad peccandum neceſſitare non poteſt : quia non poteſt movere voluntatem, niſi vel ex parte *objecti* (*quod* nunquam neceſſitat) vel ex parte *phantaſiæ* & *appetitus*, quæ potentiæ ſi ita turbarentur, ut impediretur uſus rationis, tunc hoc ipſo peccare non poſſet; ſi autem ratio non turbetur totaliter, tunc jam non

non neceſſitatur ad peccandum, ſi libere peccat.

Quæres ult. Utrum Deus poſſit dici cauſa peccati? ℞. Deum nullo modo poſſe dici cauſam ullius peccati, *formaliter* ſpectati; bene tamen ſumpti *materialiter*, Ratio eſt: quia peccatum quoad *formale* dicit *deficientiam* moralem, quoad materiale autem aliquam entitatem phyſicam; ergo. Plura de his videri poterunt in Phil. noſt. *Part.* 2. à *n.* 788. 385

QUÆSTIO II.

DE PECCATIS IN SPECIE.

ARTICULUS I.

Quænam ſit propria peccati mortalis à veniali differentia?

PRænot. 1. Supponi inprimis ceu de fide certum, non omnia peccata, quæ ab hominibus committuntur, eſſe mortalia. Ita enim definitum eſt in Concil. *Milevit. can.* 7. & *in Trid. ſ.* 6. *c.* 11. Dantur itaque peccata levia, quæ nulli mortem animæ inferunt, ſolentque vocari *venialia*; eoquod principium veniæ, vid. gratiam & charitatem, non deſtruant. 386

Prænot. 2. Rurſum ſupponi, dari venialia, quæ ſunt talia ex *natura ſua*, & non propter ſolam *extrinſecam* non imputationem 387

Dei : nam ita definierunt S. Pius V. & Gregorius XIII. per damnationem hujus propoſitionis : *Nullum eſt peccatum natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

388 Prænot. 3. Plures eſſe differentias inter peccatum mortale & veniale. 1. enim mortale deſtruit charitatem & gratiam. 2. Avertit à Deo *ſimpliciter* collocando finem ultimum in creatura. 3. Infert mortem animæ. 4. Inducit inordinationem ab intrinſeco *irreparabilem*, utpote tollens radicem & principium veniæ. 5. Fundat reatum pœnæ æternæ. 6. Denique eſt contra legem *ſimpliciter*; veniale autem tantummodo *ſecundum quid*, nec caufat quid ex prædictis.

389 Prænot. 4. Peccatum *veniale* eſſe triplici indifferentia : aliud enim eſt *tale* ex genere ſuo & *objecto*, ut verbum otioſum: aliud ex parvitate *materiæ*, ut furtum oboli : aliud demum ex imperfecta *cognitione* aut *deliberatione*, etſi objectum de ſe mortale ſit, & materia gravis. His poſitis quæritur, quænam ex prædictis differentiis ſit præcipua? ac eſſentialis ſeu ſpecifica ?

390 CONCLUSIO I. Prima ac præcipua peccati mortalis à veniali differentia eſt, quod *mortale* ſit *ſimpliciter* contra legem ; veniale autem duntaxat ſecundum quid. *Eſt communis TT. ex S. D. q. 7. de mal. a. 1. a. 1.*

391 Prob. utraque pars : Differentia prædicta *immediate* dividit *genus* peccati ut ſic : ergo eſt differentia præcipua ; ſic quia *rationale* & *irratio-*

irrationale dividunt immediate *animal*, ſunt differentiæ præcipuæ. a. p. peccatum in communi definitur per *contrarietatem* ad legem: atqui hoc, quod eſt *eſſe contra legem* immediate dividitur per *talem* vel talem *modum* contrarietatis ad legem, nempe per eſſe contra legem *ſimpliciter*, & eſſe contra legem *ſecundum quid* (ſic *animal* nulla ratio immediatius dividit quam talis vel *talis* ratio ſeu modus ſentiendi) ergo.

CONCLUSIO II. Veniale quodcunque ſemper eſſentialiter ac *ſpecie* diſtinguitur à mortali; ſi conſideretur in ratione peccati ſeu mali moralis formaliter. *Ita TT. contra TT.* 392

Prob. utraque pars: Peccatum *mortale* eſt *ſimpliciter* contra legem, & pertingit usque ad *ultimum* finem, huncque deſtruit; econtra *veniale* eſt contra legem præciſe *ſecundum quid*, nec pertingit uſque ad ultimum finem, nec hunc deſtruit, ſed ſiſtit *in mediis*, quæ peccans *non* refert actualiter ad finem ſed habitualiter duntaxat: ergo malitia hujus diſtinguitur *ſpecie* à malitia illius. Sic levis alteratio corporis utique ſpecie diſtinguitur à morbo *lethali*, quæ vitam extinguit. 393

Objicies 1. cont. 1. concl. S. D. *q. 7. de mal. a. 1.* ait: excluſio charitatis eſt peccati mortalis à veniali differentia (: R. d. *primaria* n. ſecundaria c. :) ergo non, quod ſit contra legem. 394

H 5 Ob.

395 Ob. 2. Etiam veniale eſt ſimpliciter contra *legem* (: *cujus* obſervantia ſit *ſimpliciter* neceſſaria ad ſalutem n. tantum *ſecundum quid* c. :) ergo. a. p. Eſt ſimpliciter *prohibitum*; utpote in nullo caſu licitum : ergo.

396 Ob. 3. Per veniale offenditur perſona *infinita* (: offenſa *ſimpliciter* tali n. *ſecundum quid* c. :) ergo eſt infinitum æque ac *mortale*; conſequenter ab hoc non diſtinguitur.

397 Ob. 4. Pœna æterna eſt eligibilior quam *veniale*: ergo hoc non diſtinguitur à mortali (: n. c. Quia *pœna* non eſt malum *Dei* ſed hominis : econtra quodlibet *peccatum* eſt malum ipſi Deo; conſequenter nullam habet eligibilitatem. Hoc tamen non obſtante adhuc differunt : eoquod unum ſit contra Deum *ſimpliciter*, alterum *ſecundum quid* :)

398 Ob. 5. cont. 2. concl. *Objecta* peccati *mortalis* & venialis ſæpe non differunt (: in eſſe *rei* c. in eſſe *objecti* n. Nam mortale deſtruit ultimum finem :) ergo nec ipſa *peccata*. a. p. Objectum furti gravis & objectum furti levis ſunt contra *eamdem* legem (: *eodem* modo n. *diverſo* c. Unum enim eſt contra legem ſimpliciter, alterum ſecundum quid :) ergo.

399 Inſtabis. Furtum rei alienæ, ſive parva ſive magna ſit, ſemper eſt furtum : ergo ſemper eſt *ejusdem* ſpeciei (: *ſubalternæ* c. *infima* n. :) c. p. Sic homo magnus & *homo* parvus non diſtinguuntur ſpecie; ergo (: n.

c. &

c. & parit. Quia magnitudo & parvitas in homine ſe habent materialiter tantum :)

Ob. 6. *Magis* & *minus* non diverſificant eſſentialiter (: quando non cauſant *diverſas* ſpecie deordinationes c. ſi cauſant diverſas n. :) atqui *mortale* & *veniale* differunt ſolummodo ſecundum magis & minus ; ergo. 400

Repones : S. D. *q. 18. a. 11.* expreſſe ait : *tollere alienum in PARVA & MAGNA quantitate non diverſificant ſpeciem* (: quando *utrumque*, tam magnum quam parvum, eſt intra eamdem quantitatem *mortalem*, vel venialem c. ſecus n. :) ergo. 401

Ob. ult. Amor *viæ* & amor *patriæ* non diſtinguuntur ſpecie, etſi ille tendat in ſummum bonum cum cognitione *obſcura* fidei, hic eum *clara* viſionis : ergo nec furtum veniale v. g. quod fit cum cognitione *imperfecta* materiæ gravis, diſtinguitur à furto *mortali*, quod fit cum perfecta cognitione (: n. c. Nam amor uterque attingit *idem* objectum & finem *ultimum* : non item *veniale* ; qualiter tamen *illum* attingit mortale :) 402

Quæres : Unde cognoſci queat, num aliquod peccatum ſit mortale aut *veniale*. ℟. Ex tribus præcipue ſignis. 1. Mortalia ſunt illa, quæ in S. Scriptura vocantur abominabilia, digna morte, iisque gravis pœna adjungitur, uti ſunt peccata ab Apoſtolo recenſita ad *Galat.* 5. Quæ vero *mitioribus* terminis notantur, ſunt venialia, ſicut *Proverb. 10. in multiloquio non deerit peccatum.* 2. Sunt 403

morta-

mortalia, quæ graviter lædunt *charitatem* Dei vel proximi: venialia autem, ſi tantum leviter. 3. Attendi debet ad *communem* ſenſum SS. PP. DD. & fidelium: item ad quantitatem deliberationis, advertentiæ, & materiæ; ad tenorem legis, genus peccati, &c. prout notat P. Mezger *hic. n. 9.* P. Babenſt. *tr. 2.* d. *3. a. 4. n. 6.* Pater Elbel *p. 1. conf. 20. n. 576.*

ARTICULUS II.

An & quomodo ex peccato veniali poſſit fieri mortale?

404 PRænotandum 1. Statum quæſtionis eſſe, an *idem* numero actus venialis in *genere moris* poſſit fieri mortalis? nam eumdem numero actum in genere *phyſico* ex veniali poſſe fieri mortale, patet ex eo, dum actui ſemipleno accedit *plena* advertentia.

405 Prænot. 2. Inſuper hic inquiri, an venialia per ſui *multiplicationem* eousque aſcendere poſſint, ut denique pertingant ad malitiam peccati *mortalis*? Ubi ſupponitur, actum de ſe & ex objecto ſuo indifferentem, aut non niſi venialiter malum, poſſe effici mortalem 1. Ratione *finis* mortaliter mali. 2. Ratione *contemptus* formalis. 3. Ratione *ſcandali*. 4. Ratione periculi *proximi* incidendi in peccatum mortale.

CON-

CONCLUSIO I. Idem numero actus *in eſſe moris* non poteſt ex peccato *veniali* fieri peccatum mortale. *Ita TT. genuini omnes.* 406

Probatur: Hoc ipſo, quod ex peccato veniali fiat mortale, mutatur *moralitas* actus; quia mutatur voluntarium; quod ex ſemipleno fit plenum & perfectum: ergo *idem numero* actus, in eſſe moris manens idem, nequit ex veniali fieri mortalis. Sic *idem* actus nequit ex *vero* tranſire in falſum, juxta Logicam noſtram *à n. 947.*

CONCLUSIO II. Peccata *venialia*, quantumcunque numero *multiplicentur*, nunquam fiunt mortale. *Eſt communis Theologorum ex S. Th. 1. 2. q. 88. a. 4. in c.* 407

Probatur: Venialia, quantumcunque multiplicentur, ſemper ſunt & manent in ſpecie *inferiore*, neque invicem faciunt *intenſionem* aut quid *perfectius* (ut ita loquar) ſed tantum extenſionem: ergo nunquam attingunt *mortale*, quod eſt in *ſuperiore* ſpecie & *ordine* ſupremo peccati. Sic nulla multiplicatio *brutorum* poteſt attingere perfectionem ſpeciei humanæ.

Objicies 1. cont. 2. concl. Juxta SS. PP. *apud Bellarm. de amiſſ. grat. l. 1. c. 13.* ex multis venialibus poteſt fieri *mortale* (: ℟. d. a. formaliter n. tantum *diſpoſitive* c. *Nam qui modica ſpernit, paulatim decidit. Eccl. 19.* :) ergo. 408

Ob. 2. Ex corpore & anima fit *homo*, ſpecie diſtinctus à *ſingulis* partibus: item ex duobus binariis fit quaternarius, in ratione *numeri* 409

meri ſpecie diſtinctus à binariis : ergo etiam ex pluribus *venialibus* poteſt fieri unum *mortale* , etſi ſpecie diſtinguatur (: n. c. Quia venialia non habent incompletionem phyſicam & *aptitudinem*, ut uniantur ; *quam* tamen habent corpus & anima ; idem eſt de numeris :)

410 Ob. 3. Multæ guttæ faciunt *magnam* aquam; ergo & multa *venialia* magnum peccatum (: n. c. Guttæ enim & aquæ magnæ ſunt ejusdem rationis, & ſic faciunt majus : non item venialia & mortale :)

411 Ob. 4. Qui *ſæpius* per furta *minuta* peccat venialiter , tandem perveniendo ad materiam *gravem* etiam peccat mortaliter , *ex Part. 3. n. 92.* ergo ex venialibus poteſt fieri mortale. c. p. Ultimum furtum eſt leve (: *ſecundum ſe* c. cum *connotatione* furtulorum *præcedentium* n. :) ergo fit grave ratione aliorum (: tanquam partium *integrantium* n. ſecus c. :)

412 Ob. 5. Saltem *omnia* venialia *ſimul* ſpectata ſunt peccata mortalia: ergo. a. p. *Hæc* velle committere eſt peccatum mortale ; ergo. a. p. *Talis* ſe exponit periculo peccandi mortaliter (: *proximo* n. tantum *remoto* c. :) ergo.

413 Ob. 6. urg. Religioſus , paratus transgredi *omnes* regulas ſui Ordinis, quamvis non obligent ſub peccato , peccat mortaliter (: *per ſe* & ratione regularum violandarum n. per *accidens* ratione contemptus, vel ſcandali, vel damni, quod ſibi cauſat & Religioni c. :) ergo multomagis paratus transgredi omnes

nes leges obligantes ſub veniali. *Vid.* P. la Cr. *l. 4. n. 58. l. 5. n. 288.*

Ob. ult. Ex dictis *multæ materiæ* leves uni- 414
untur ad conſtituendam unam *gravem:* ergo & multa *venialia* poterunt ratione talis materiæ uniri moraliter ad conſtituendum unum peccatum mortale (: n. c. Materiæ enim uniri poſſunt, cum una augeat alteram: econtra unum veniale non auget alterum; nec augere poteſt:)

Inſtabis: Si quis per 30. actus *ſimul* habi- 415
tos, eidem furaretur 30. denarios, ſinguli actus eſſent peccatum duntaxat veniale (: n. hoc; ſed in ſingulis peccaret mortaliter ratione intentionis *graviter* damnificandi proximum:) & tamen talis homo peccaret mortaliter: ergo ex illis 30. venialibus fieret mortale. *Vid.* P. la Cr. *l. 5. n. 291.*

Quæres 1. An viciſſim peccatum ex ge- 416
nere ſuo & objecto mortale *impediri* poſſit, ut tantum ſit veniale? Nam quod *ſemel* eſt mortale, non poſſe tranſire in veniale, patet inde, quia mortale alias mutaret ſuam eſſentiam, utpote ſpecie diſtinctum à veniali. ℞. Id poſſe contingere ex tribus cauſis. 1. Ob defectum plenæ *advertentiæ* & deliberationis ex parte intellectus. 2. Ob defectum perfecti *conſenſus* ex parte voluntatis. 3. Ob defectum *gravitatis* ex parte materiæ. *Vid. cit.* P. la Cr. *l. 5. n. 216.* Utrum autem materia ſit 417
gravis vel levis? ex uno horum cognoſci poteſt. 1. Ex repugnantia gravi vel levi, quam habet cum natura rationali. 2. Ex repug-

pugnantia cum charitate in Deum, proximum, vel ſeipſum. 3. Ex S. Scriptura. 4. Ex verbis legis, ejusque fine. 5. Ex authoritate Eccleſiæ & SS. PP. 6. Ex communi ſenſu Theologorum & fidelium. P. la Cr. 292.

418 Quæres 2. In quibusnam peccatis parvitas materiæ non habeat locum? ℟. In illis, per quæ *immediate* ac directe imputatur Deo *imperfectio*, aut perfectionis defectus: vel quorum materia, niſi in omni caſu eſſet gravis, genus humanum ad peccandum maxime *alliceret* cum maximo damno ejusdem: vel quorum malitia in quacunque materia æqualiter præjudicat *fini* à lege ſub gravi culpa intento. Ex hac regula univerſali conficitur, non dari parvitatem materiæ in peccatis *infidelitatis*, *deſperationis*, *odii* Dei, formalis *contemptus* Dei, *perjurii* aſſertorii blasphemiæ; ſimoniæ naturalis; uti nec in peccatis *luxuriæ*, nec in violatione jejunii *naturalis* ante ſuſceptionem Euchariſtiæ &c. Dari tamen, in violatione jejunii Eccleſiaſtici, juramenti promiſſorii, voti, & in ſacrilegio, uti & in peccatis contra juſtitiam. Rationes exhibebit P. Babenſt. in *Theol. Mor. tr. 2. d. 3. a. 4. n. 18.* P. Renz *hic a. 6. &c.*

419 Quæres 3. Utrum quilibet homo in primo inſtanti uſus rationis teneatur ſub mortali ad Deum ſe convertere? ſicque veniale cum ſolo originali ſtare haud poſſit? ℟. Quilibet homo in primo inſtanti uſus rationis tenetur ſe con-

convertere in Deum vel *explicite* (ſi Deus ipſi repræſentetur *explicite*) vel *implicite* (ſi ei implicite tantum repræſentetur) Adeoque peccatum *veniale* non poteſt conſiſtere cum ſolo originali. *Eſt quaſi characteriſtica TT. ex S. D.* 420
hic a. 6. *&c.* Ratio primi eſt: quia homo in illo inſtanti incipit eſſe *viator* moraliter: ergo tenetur tunc ſe convertere ad *terminum*; cum omnis creatura rationalis, quamprimum agit ut omnino libera, teneatur ſe ſuo creatori ſubmittere, & primum amorem, velut primum voluntatis fructum, *EI* conſecrare: 421
ut patet in Angelis, qui ob omiſſionem hujus converſionis in primo inſtanti ſuæ *perfectæ* libertatis damnati ſunt; ergo. Præcipue: quia *aliud* tempus pro præcepto hoc diligendi Deum ſuper omnia, ſeque in illum ut finem ultimum convertendi adimplendo non eſt aſſignabile, quod adeo foret conſentaneum; ergo.

Ratio ſecundi eſt: quia ſi homo in primo 422
inſtanti uſus rationis convertitur in Deum, tunc ipſi peccatum originale dimittitur: ſi non convertitur in Deum, tunc peccat mortaliter; ergo. Maxime: quia moriens cum veniali & originali non haberet *locum*, in quo poſſet puniri; *hic* enim non eſſet limbus, nec purgatorium, nec infernus (prout ex ipſis terminis patet) ergo. *Vid.* Theol. Schol. *Part.* 3. *à n.* 341. Ut etiam quid ſcias de peccato habituali,

Quæres 4. In quonam conſiſtat macula 423

 pec-

peccati habitualis, mortalis perſonalis? ℟. In *privatione gratiæ* ſanctificantis: ut *connotante* peccatum *actuale* præteritum; tanquam ſui cauſam. Ratio primi eſt: quia in juſtificatione impii *privatio* gratiæ per ſe *primo* expellitur: ergo macula conſiſtit in hac privatione: ſic quia in illuminatione primo expellitur privatio lucis, ideo tenebræ formaliter conſiſtunt in privatione lucis. a. p. Juſtificatio fit *formaliter* per *ipſam* gratiam: ergo per ſe primo expellit ſui privationem: ſic omnis forma primo expellit ſui privationem.

424 Ratio ſecundi eſt: quia privatio gratiæ ſine *connotatione a* ad actuale peccatum præteritum tanquam ſui cauſam, non eſſet voluntaria, terminative ſaltem: ergo ſine *hac* non denominaret animam maculatam. Deinde ſi privatio gratiæ non *acciperetur* cum *ordine* ad ſuam *cauſam*, tunc non eſſet *diverſitas* inter unam & alteram maculam: conſequens eſt abſurdum; ergo. *Vid. cit. Theol. Schol. à n. 364.*

425 Quæres 5. In quonam *formaliter* conſiſtat macula peccati *venialis*? ℟. In privatione *fervoris extenſivi* charitatis: adeoque non eſt *macula* ſimpliciter, ſed tantum *obnubilat* gratiam, ſicut pulvis faciem pulchram. *Subjectum* proximum *ejus* eſt voluntas: quia in hac fervor charitatis (qui eſt forma oppoſita) reſidet: ſicut econtra macula peccati mortalis ſubjectatur in ipſa animæ *ſubſtantia*; eoquod in hac ſubjectetur gratia, quæ eſt forma oppoſita peccato mortali.

Quæ-

Quæres 6. An peccatum mortale ab intrinſeco inducat reatum pœnæ æternæ? ℞. Affirmative: eoquod per ſe & ab intrinſeca malitia ſua faciat deordinationem *irreparabilem*; quia deordinat ab ultimo fine, & inſuper deſtruit principium totius ordinis ſupernaturalis, ſc. gratiam & charitatem: ergo. Sic *mors* & cæcitas ſunt ex ſua natura irreparabiles, quia *illa* deſtruit principium vitæ, iſta vero principium viſus; ergo. Econtra, quia veniale talem deordinationem irreparabilem non inducit (ſiquidem gratiam non deſtruat) ideo talem reatum non inducit. 426

Quæres ult. An peccatum veniale non poſſit remitti homini conſtituto in peccato mortali? ℞. Negative: quia ad remiſſionem peccati venialis neceſſario requiritur reſtitutio *fervoris extenſivi* charitatis, *qui* prius reſtitui non poteſt, niſi ipſa gratia reſtituatur; ergo. Quomòdo remittatur homini juſto, in ſolis venialibus mortuo, poſt mortem, diximus in Theol. Schol. *part. 8. n. 84.* 427

Interim peccatum veniale quoad *culpam* remiſſum in hac vita (idem eſto judicium de peccatis mortalibus quoad culpam remiſſis) ſed nondum plene expiatum quoad ſatisfactionem, in inferno non punitur pœna æterna ſed temporali tantum. Ratio eſt: quia alias Deus quoad *venialia* puniret *ultra* condignum; quoad *mortalia* autem daretur reditus peccati mortalis quoad reatum pœnæ æternæ: quod tamen fieri non poteſt ex *cit Theol. n. 61.* 428

429 Nihilominus veniale, nondum remiſſum in hac vita quoad culpam, punitur in inferno per accidens pœna æterna. Ratio eſt: quia *culpa* venialis in inferno in æternum non remittitur, cum ibi nunquam retractetur; ergo per accidens acquirit condignitatem ad pœnam æternam; ſiquidem ob conjunctionem ad mortale per accidens fiat irremiſſibile: ſicut vulnus de ſe leve in lethaliter vulnerato fit per accidens incurabile. De remiſſione venialium agemus *infra n. 438.*

ARTICULUS III.

Quid & quot ſint peccata Capitalia?

430 PRænotandum: Peccata *capitalia* communiter enumerari ſeptem, nempe *ſuperbiam*, *avaritiam*, *luxuriam*, *invidiam*, *iram*, *gulam*, & *acediam*. Dicuntur *capitalia*, vulgo etiam *mortalia*, non quod de ſe ſemper mortalia ſint, ſed quod ſint velut *capita*, radices, origines & cauſæ omnium aliorum peccatorum & totius perditionis humanæ. Singula attingimus per ſingulas concluſiones.

431 CONCLUSIO I. Superbia eſt *inordinatus* appetitus *propriæ excellentiæ. Ita communis.*

Probatur & explicatur: *Inordinatus appetitus* ſtat loco generis: particulæ *reliquæ* ſunt loco differentiæ; nam ſuperbus vult quaſi *ſuper* alios *ire.* Superbia *completa* (qua quis neque

neque Deo, neque homini ſubjectus eſſe vult) eſt peccatum graviſſimum; ut patet. Si vero talem ſubjectionem non excludat, ordinarie eſt ſolum veniale. Filiæ ejus præcipuæ ſunt *ambitio*, vana *gloria* & *præſumptio*; quibus accedunt inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia & curioſitas. De *quibus Vid.* P. Sporer *in Decal. tr. 1. c. 7. ſect. 4. à n. 64.* P. Reiffenſt. *tr. 3. diſt. 3. q. 2. à n. 5.*

CONCLUSIO II. Avaritia eſt inordinatus appetitus *acquirendi* & *retinendi* divitias. *Ita in re communis.* 432

Explicatur: Dicitur 1. *Inordinatus*; nam ſi appetitus *ordinatus* ſit (qualis fuit in Abraham, Jacob &c. poſſeſſiones ſuas ob debitum finem habentibus) peccatum non erit; juxta illud: *divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Pſal. 61.* Dicitur 2. habendi vel retinendi *divitias*: quia circa *has* tanquam objectum ſuum verſatur avaritia. Eſtque, prout adverſatur *juſtitiæ*, ex genere ſuo peccatum mortale: prout tamen opponitur *liberalitati*, eſt peccatum ſolummodo veniale, niſi in tantum creſcat amor nummi, ut præferatur charitati Dei aut proximi. Filiæ ejus ſunt *violentia*, *fallacia*, *perjurium*, *fraus*, *proditio*, *inquietudo*, & cordis *obduratio*. De quibus vide P. Reiffenſt. *hic. à n. 15.*

CONCLUSIO III. Luxuria eſt inordinatus & indebitus appetitus, ſeu uſus venereorum. *Rurſum communis.* 433

Explicatur: Tam quoad copulam illicitam, quam quoad delectationem veneream moroſam directe voluntariam eſt ſemper peccatum mortale, ut oſtendemus in Part. 3. in ſextum præceptum Decalogi, *à n. 44.* Filiæ ejus ſunt cæcitas mentis, præcipitatio, inconſiderantia, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & horror futuri: de quibus pariter citatus Author *à n. 19.*

434 CONCLUSIO IV. Invidia eſt triſtitia *inordinata* de bono proximi, quatenus æſtimatur *diminutivum* boni proprii. *Communis.*

Explicatur: Invidia triſtatur de bono proximi non abſolute, ſed duntaxat in *ordine* ad ipſum *invidentem*, quatenus nimirum invidus *bonum proximi* æſtimat *malum proprium*; ergo. Hinc ſi quis triſtatur de bono alterius, in quantum imminet ſibi periculum cujuſpiam nocumenti, talis triſtitia non eſt invidia, ſed magis effectus timoris, ut notat S. Th. 2. *2. q. 36. a. 1.* Filiæ ejus ſunt odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, & afflictio in proſperis ejus. *Videatur cit.* Reiffenſt. *n.* 31. Fit veniale tum ob imperfectionem *advertentiæ*; tum ob materiæ *levitatem*, uti contingit in pueris.

435 CONCLUSIO V. Gula eſt inordinatus appetitus cibi & potus. *Ita omnes.*

Explicatur: Accidit, quando in appetitione cibi & potus debitus *modus* exceditur; quod

quod fieri poteſt quinque modis, ſequenti verſiculo comprehenſis: *præpropere*, *laute*, *nimis*, *ardenter*, *ſtudioſe*. Ordinarie eſt peccatum *veniale* tantum, niſi inde aliud grave damnum ſequatur. *Ebrietas* tamen *perfecta* (ut amittatur uſus rationis) & voluntaria eſt peccatum mortale: quia cenſetur *gravis* difformitas. Similiter comedere & bibere ob *ſolam* voluptatem eſt peccatum ſaltem *veniale* ut conſtat ex propoſitione 8. ab Innoc. XI. damnata; ſecus ſi fiat ad reſtaurandam valetudinem, aut conſervandas vires; cum hic ſit finis moderatæ comeſtionis à natura intentus. Filiæ ſunt *hebetudo* mentis, immoderata *lætitia*, *multiloquium*, *ſcurrilitas*, & *ſtultitia*; quæ videri poterunt in adducto Authore *à n. 52.*

CONCLUSIO VI. Ira eſt inordinatus 436
appetitus vindictæ. *Iterum communis.*

Explicatur: Dicitur, *inordinatus*; nam ſi ordinate appetatur vindicta, non eſt peccatum. Quinimo: ira, ſi præſcriptum rationis non excedat, bona eſt; de qua illud *in Pſal. 4.* intelligendum: *iraſcimini, & nolite peccare.* Poteſt tamen eſſe peccatum mortale, ſi *injuſta* vindicta appetatur, aut in *modo* ita excedatur, ut potius beſtia videatur quam homo. Filiæ ejus ſunt *indignatio*, tumor mentis, clamor, contumelia, plasphemia, & rixa. De quibus pariter conſulendus Author *cit à. n. 34.*

437 CONCLUSIO VII. Acedia demum eſt faſtidium *rerum ſpiritualium*, ad conſequendum ultimum finem neceſſarium. *Ita denique omnes.*

Explicatur: Hæc acedia ſeu *triſtitia*, omnino voluntaria ac deliberata, eſt peccatum graviſſimum: quia directe repugnat charitati Divinæ, eamque deſtruit, quantenus continet veram & actualem adverſionem à Deo, ultimo fine. Ejus filiæ peſſimæ ſunt malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, & evagatio mentis. De quibus cit. Author *à n. 62.* Quod ſi quis per acediam *non avertatur* ab ultimo fine, ſed opera ſalutis tantum negligentius exequatur, non niſi veniale eſt. *Vid.* P. Sporer. *hic. n. 71. circ. fin.* Porro quia hic rurſum mentio de peccato *veniali* incidit, & omnia peccata capitalia plerumque peccata tantum venialia ſint, ideo occaſionaliter

438 Quæres 1. Quibus modis remittantur peccata venialia? ℞. Inprimis per *confeſſionem* & *contritionem*: quia taliter remittuntur mortalia; ergo multomagis *venialia.* Interim tamen non ſemper remittitur omnis *pœna* eis correſpondens, ſed ad hoc requiritur major ſatisfactio pœnalis niſi ſuppleatur per intenſiores actus virtutum. Reiffenſt., *tr. 3. d.*
439 *2. q. 3. n. 27.* 2. Per *attritionem* in homine juſto; quæ tamen non neceſſario debet eſſe formalis, ſed ſufficit *virtualis*, *quæ* eſt actus alicujus virtutis, quæ ex vi ſui motivi ita

deter-

determinat voluntatem, ut haberet actualem diſplicentiam de venialibus contra illam virtutem commiſſis, ſi memoriæ occurrerent. Ratio hujus eſt: quia ad delenda mortalia extra Sacramentum ſufficit *contritio virtualis*, nempe amor Dei ſuper omnia, ſi *quis* non recordetur mortalium; ergo pariter ad delanda *venialia* extra Sacramentum ſufficit attritio virtualis, ſiquidem æque opponatur venialibus, ac contritio virtualis mortalibus. De quibus fuſius in Theol. Schol. Part. *8 à. n. 72.*
3. Etiam per actus aliarum virtutum, ſi 440
eliciantur in ordine ad deletionem peccati venialis: quia Trid. *ſ. 14.* c. *5.* ait: venialia *multis aliis remediis*, præter confeſſionem, *deleri poſſe.*

Quæres 2. An venialia quoque remittan- 441
tur per Sacramentalia, qualia ſunt *aſperſio* aquæ benedictæ, manducatio panis *benedicti* &c.? ℟. Ex ſe *immdiate* non (quia talem virtutem non habent ex inſtitutione Chriſti, utpote de qua nullibi conſtat, ſicut de virtute Sacramentorum: Eccleſia vero ex ſe hanc virtutem eisdem dare nequit) bene tamen remote & *mediate*, quatenus nempe ex inſtitutione & precibus Eccleſiæ vim moralem (etſi non infallibilem) habent impetrandi à Deo auxilia ad eliciendos motus deteſtationis, quibus mediantibns deinde ipſa venialia remittuntur. Nam Deus non ſinit preces Eccleſiæ omnino eſſe irritas & inanes. Sed occaſione hujus

442 Quæres 3. Quid & quot ſint Sacramentalia? ℞. Sacramentalia ſunt *res Sacræ* ſeu actiones aut remedia quædam ab Eccleſia inſtituta, ad delenda peccata *venialia*, modo prædicto. Comprehenduntur hoc verſiculo: *orans* (id eſt, oratio fidelium, ac præſertim Pater noſter) *tinctus* (aqua benedicta: quorſum reducuntur unctio Regum, impoſitio cinerum &c.) *edens* (panes benedictos) *confeſſus* (faciens confeſſionem generalem per *Confiteor*) *dans* (elemoſynas, & alia opera miſericordiæ faciens) *benedicens* (id eſt, benedictiò Epiſcopi vel Abbatis conſecrati) *Vid.* P. Reiffenſt. *hic n.* 33. Pro coronide hujus materiæ de peccatis,

443 Quæres 4. In quo *formaliter* conſiſtat peccatum *originale*? ℞. In *privatione* juſtitiæ *originalis*, ſeu gratiæ ſanctificantis, ſecundum effectum ſuum formalem primarium animam Deo *ſubjicientis* (quia hæc privatio per Baptiſmum tollitur) *connotante* tamen *peccatum* actuale præteritum *Adami* tanquam ſui cauſam: nam per hanc connotationem conſtituitur in eſſe *voluntariæ*; quia per eam conſtituitur in ratione procedentis & per ſe dependentis à voluntate moraliter conjuncta, qualis fuit voluntas Adami reſpectu
444 poſterorum. *Mors*, aliique *defectus* corporales ſunt effectus peccati originalis tanquam *per* accidens cauſati (quia cauſantur per remotionem doni integritatis, & juſtitiæ originalis) Inſuper diminutio boni naturæ, ignoran-

norantia in intellectu, *malitia* in voluntate, *infirmitas* in appetitu iraſcibili, & *concupiſcentia* in concupiſcibili, etiam peccati originalis effectus ſunt. Pœna ejus poſt mortem præcipua eſt pœna *damni*, non tamen pœna ſenſus: quia non eſt peccatum perſonale, ſed potius naturæ. De quibus plura in noſt. Theol. Schol. *Part. 3. à n. 482.*

DISPUTAITO II.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

AD initium Diſputationis præcedentis jam diximus juſtitiam Chriſtianam involvere non tantum fugam peccatorum, ſed etiam actionem *bonorum* operum, ſeu exercitium *virtutum*. Hic proin de virtutibus agendum eſt; & quidem imprimis de Theologicis, utpote præcipuis ex virtutibus omnibus. Sunt hæ, *fides*, *ſpes*, & *charitas*: quæ ideo dicuntur *Theologicæ*, quia pro objecto immediato Deum reſpiciunt. De ſingulis per Quæſtiones ſingulas.

QUÆ-

QUÆSTIO I.
DE FIDE THEOLOGICA.

ARTICULUS I.
An & qualis actus fidei ſit adulto neceſſarius ad ſalutem?

445 PRænotandum 1. Nomen *fidei* hoc loco ſumi pro habitu vel actu ſupernaturali intellectus, quo veritatibus à Deo revelatis propter ejus authoritatẽ aſſentimur; in qua acceptione eam Apoſtolus *ad Hebr. 11.* deſcribit: *eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: id eſt, fundamentum ſpei, & lumen habitualiter inclinans ad aſſentiendum veritatibus obſcure à
446 Deo revelatis. Hinc fides aliis terminis bene definitur: eſt donum ſeu *lumen quoddam ſupernaturale, quo intellectus illuſtratus firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit; ſive ſcripta illa ſint, ſive non.* Exiſtentia hujus virtutis (uti & aliarum duarum) certa eſt ex S. Scriptura 1. *ad Cor. 13.* & paſſim alibi. Ratio eſt: quia homo indiget habitibus, quibus bene diſponatur non ſolum circa *media* (quod fit per alias virtutes) ſed etiam circa *finem* ultimum ſupernaturalem; quod fit per virtutes Theologicas: quæ ſic dicuntur, quod pro immediato objecto ipſum Deum reſpiciant; dum virtu-

tes

tes reſiduæ immediate feruntur in quid creatum, Religio v. g. in cultum Divinum &c.

Prænot. 2. Cum objectum ſit prius *cognitum* quam *volitum*, ideo & *fidem* (quæ ſe tenet ex parte intellectus, & per *quam* finis ſupernaturalis cognoſcitur) eſſe ordine generationis, & natura priorem ſpe & charitate. Hinc de fide hic primo agitur, & quia natura habituum, & virtutum tam intellectualium quam moralium & theologicarum melius percipi non poteſt quam ex earum objectis (utpote à quibus ſpeciem ſuam habent) idcirco objectum fidei inprimis inquiritur. Quocirca advertendum, virtutem *fidei* (cum pertineat ad *intellectum*) neceſſario verſari circa *verum*. Nam quia *hoc* eſt objectum adæquatum intellectus, non poteſt virtus in eo reſidens (qualis etiam eſt fides) verſari circa aliquod objectum, quod intra ejus latitudinem non contineatur. Cæterum in Deo *triplex* verum ſeu veritas diſtingui ſolet. 1. Veritas *in eſſendo*, eſtque ipſa *Deitas*, quatenus ſub ratione primæ veritatis cognoſcibilis eſt. 2. Veritas in *cognoſcendo*, eſtque infinita *Dei ſapientia*, qua Deus ita cognoſcit omnia, ut *falli* non poſſit. 3. Veritas in *dicendo*, eſtque ipſa veracitas, ſeu infallibilitas in dicendo, vi cujus neminem *fallere* poteſt. His ſuppoſitis, 447 448

Prænot. 3. Objectum *formale quod* fidei eſſe Deum ſub ratione *veritatis* in *eſſendo* ſeu ſub ratione Deitatis: objectum *formale quo* autem eſſe primam veritatem in *dicendo* & *cognoſcendo*; ita tamen, ut veritas in cognoſcen- 449

do

do non ſit formale conſtitutivum, ſed con-
450 notatum ſolummodo præſuppoſitum. Ratio primi eſt: fides eſt virtus Theologica, adeoque pro objecto *immediato* habet ipſum *Deum*: atqui *hunc* non habet ratione *boni*, *qualiter* habent *ſpes* & *charitas* ceu virtutes *voluntatis*; ergo ſub ratione *veri* ſeu primæ veritatis in eſſendo; cum ſit virtus intellectualis; conſequenter objectum formale *quod* fidei eſt Deus ſub ratione veritatis in eſſendo, ſeu ſub ratione *Deitatis*: hæc enim inter ſe convertun-
451 tur, ſicut *verum* & *ens* in creatis. Ratio ſecundi eſt, quia *alias* motivum illud non eſſet *infallibile*; nam ſi deeſſet veritas in *dicendo*, tunc poſſet fallere, & ſi deeſſet veritas in *cognoſcendo*, tunc poſſet falli; ergo. Ratio ultimi eſt, quia aſſenſus fidei eſt unus *in diviſibilis* actus, ergo quoque debet habere unum indiviſibile motivum. *Vid* Theol. Schol. Part. *4 à n. 401.* Ex his

452 Prænot. 4. Ad objectum formale *quo* fidei quoque pertinere *revelationem* Dei, ſi ſumatur *active* (quia ſic eſt ipſe *Deus* revelans) non item, ſi accipiatur *paſſive*, quia taliter ſpectata non eſt adæquate *quid Divinum*. Similiter ad objectum formale *quo* fidei non pertinet *authoritas* Eccleſiæ: quia etſi directive, non tamen *formaliter* Divina eſt, adeoque etſi fides, quoad propoſitionem credendorum reſolvatur in authoritatem Eccleſiæ tanquam in regulam fidei & conditionem *applicativam* (in quo ſenſu S. Aug. *l. cont. Ep. fund. c. 4.* dixit: *Evan-*

gelio

gelio non crederem , niſi me Eccleſiæ authoritas perſuaderet) quoad *aſſenſum* fidei tamen ultimate fit in ſolam *authoritatem* ſeu veritatem Divinam tanquam in *motivum* formale aſſentiendi: eoquod hæc ſola formaliter & adæquate *Divina* ſit. *Vid. cit.* Theol. Schol. *n. 417.* Nunc propius veniendo ad ſtatum quæſtionis

Prænot. 5. Aliquid poſſe eſſe neceſſarium vel *neceſſitate medii* (quando ſine illo, etiam inculpabiliter non habito, non poteſt obtineri ſalus) vel neceſſitate *præcepti*, ſine quo inculpabiliter non habito ſalus obtineri poteſt. Inſuper ſciendum, actum fidei alium eſſe *explicitum* (dum aliquid *explicite* creditur) alium *implicitum*, dum aliquid creditur non in ſe ipſo ſed in *alio*, in quo virtualiter continetur. Jam quæritur an, qualis, & quorum myſteriorum fides ſit neceſſaria neceſſitate *medii* vel præcepti tum ad *primam* ſalutem, hoc eſt, ad noſtram juſtificationem, tum ad ſalutem *ſecundam*, id eſt ad vitam æternam conſequendam? in qua quæſtione tres hominum ſtatus conſiderari poſſunt, nempe ſtatus leges *naturæ*, legis *ſcriptæ*, & legis *gratiæ*. His ſuppoſitis ponitur 453

CONCLUSIO I. Aliquis actus internus fidei ſupernaturalis eſt *omnibus* adultis ad ſalutem neceſſarius *neceſſitate medii*, ita ut ſine illo nullus juſtificari & ſalvari queat ſecundum legem Dei ordinariam. *Eſt communis DD. ex S. Th. q. 2. a. 3.* 454

Prob.

Prob. 1. Ex S. Scriptura dicente: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Hebr. 11. Qui non crediderit condemnabitur. Marc. ult.* Nam *fides* (pergit Trid. *ſ. 6. c. 8.*) eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis &c.* ergo.

456 Prob. 2. Sine *fide* ſupernaturali actuali impoſſibile eſt, hominem adultum tendere in Deum ut *finem ſupernaturalem*: cum ſit impoſſibile tendere in finem, qui non ſit *præcognitus* (quod fit per *fidem* ſupernaturalem; cognitio enim *naturalis* eousque ſe non extendit) ergo eſt neceſſaria neceſſitate medii.

457 Prob. 3. Defacto & *ordinarie* nulla datur *cognitio* ſupernaturalis *ſine* fide ſupernaturali: ergo nec *juſtificatio*; quia hæc pro hoc ſtatu non fit, niſi *adultus* ad illam ſe diſponat per motum *proprium* ſupernaturalem *voluntatis*, qui *cognitionem* ſupernaturalem præſupponit.

458 CONCLUSIO II. Pro *omni* ſtatu & tempore neceſſitate *medii* in *re* neceſſaria eſt fides *explicita de exiſtentia* Dei ut Authoris *ſupernaturalis*: & ut *Remuneratoris* bonorum operum. *Eſt iterum communis ex illo ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum credere oportet, QUIA EST, & quia inquirentibus ſe REMUNERATOR eſt.*

459 Prob. 1. pars. Quia nemo poteſt in Deum tendere per *ſpem* vel *charitatem* alioſve actus ad juſtificationem neceſſarios (qui neceſſario debent eſſe *ſupernaturales* (niſi prius per fidem explicite cognoſcat, Deum *eſſe* & Authorem *ſupernaturalem* eſſe; ergo.

Prob.

Prob. 2. pars. Apoſtolus in citato textu 460
loquitur *eodem* modo de neceſſitate fidei quoad unum & quoad alterum: atqui certum eſt, quod prius ſit de neceſſitate medii, ſc. credere *quia Deus eſt*: ergo etiam erit de neceſſitate medii, credere quod *Remunerator* ſit; non quidem ex natura rei ſed ex ordinatione Divina: nam abſolute fieri poſſet, ut quis cognita ſola exiſtentia & bonitate Dei prorumperet in actum amoris Divini, & ſic juſtificaretur.

CONCLUSIO III. In lege *naturæ* & ſcripta 461
ta *veteri* fides *explicita* in Chriſtum venturum non fuit de neceſſitate medii ad ſalutem, bene tamen implicita. *Ita omnes ex S. D. q. 2. a. 7. ad 3.*

Prob. 1. pars. Fides *explicita* in Chriſtum 462
venturũ non erat neceſſaria *ex natura rei*; quia Deus poteſt abſolute ut finis ultimus ſperari & amari ſuper omnia cum ſola explicita fide, quod ſit & quod Remunerator ſit: nec *ex inſtitutione* Divina; quia hæc nec ex S. Scriptura, nec aliunde ſufficienter conſtat; imo ſi Deus ita inſtituiſſet, tunc illa myſteria non obſcure ſub figuris, ſed clare hominibus publicari & promulgari præcepiſſet: ergo *non* requirebatur fides *explicita* in Chriſtum venturum (idem eſt de Incarnatione & myſterio SS. Trinitatis, ſine quibus Chriſtus intelligi non poterat) quamvis *illam* multi præſertim ex Majoribus habuerint; prout affirmat *S. Th. in 3. diſt. 25. q. 2. a. 2. q. 1.*

Prob. 2. pars: Etiam in lege naturæ & ſcripta *veteri* peccatum originale non remittebatur niſi ex meritis Chriſti venturi; *non* enim eſt *aliud nomen datum ſub cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Act. 14.* ergo neceſſaria fuit fides in Chriſtum ſaltem *implicita*; quia remedium peccati originalis non aliter applicabatur niſi per fidem. De quo videatur Pars quarta *à n. 54.*

464 CONCLUSIO IV. Poſt *ſufficientem* promulgationem legis Evangelicæ fides explicita in Chriſtum & SS. Trinitatem probabilius neceſſaria eſt ad juſtificationem & ſalutem neceſſitate medii. *Ita TT. potiores ex S. D. hic q. 2. a. 8. Item in 3. diſt. 25. q. 2. a. 2. q. 2. contra RR. docentes fidem explicitam eſſe tantum de præcepto.*

465 Prob. 1. Chriſtus ipſe *Jo. 17.* aſſerit: *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEUM & quem miſiſti JESUM Chriſtum*: ubi æqualiter ad ſalutem & vitam æternam requirit cognitionem *veri Dei & Jeſu Chriſti*: atqui etiam juxta aa. certum eſt, quod cognitio veri *Dei* ſit de neceſſitate medii: ergo quoque cognitio Chriſti. Hinc *Trid. ſ. 6. c. 8. fidem Chriſti* vocat humanæ ſalutis *initium*, fundamentum & *radicem omnis* juſtificationis: atqui quod eſt *initium* & fundamentum omnis juſtificationis, eſt neceſſarium *neceſſitate medii*; ergo.

466 Prob. 2. Lex gratiæ eſt perfectior quam lex *naturæ* & *lex vetus* ſcripta; ergo quoque exigit

exigit *perfectiorem* cognitionem & *fidem*, vid *explicitam* in Chriſtum; ac conſequenter etiam in *Incarnationem* ac SS. *Trinitatem*, utpote ſine *quarum* fide Chriſtus non poteſt credi, ut habet S. D. *hic a. 8.*

Prob. 3. Ut viator rite ad terminum perveniat, debet cognoſcere *locum*, ad quem tendit, & *viam* per quam ad illum pervenitur: atqui *terminus* ad quem per fidem tendimus, eſt *viſio* Dei unius & trini: Chriſtus autem eſt via, per quam *ad illam* itur; ergo ut ad beatitudinem perveniatur, neceſſe eſt, ut myſterium Trinitatis & Incarnationis explicite credatur, & cognoſcatur. 467

Objicies 1. cont. 1. concl. Juxta *S. D. q. 14. de verit. a. 11.* homo educatus in ſylvis, ſi ductum rationis ſequeretur, juſtificaretur & ſalvaretur (: ℟. d. a. *ſine* aliquo actu fidei n. *cum* illo c. Deus enim talem vel inſpiratione interna vel miniſterio alicujus prædicatoris inſtrueret in rebus ad ſalutem neceſſariis :) ergo datur conſecutio ſalutis primæ & ſecundæ abſque actu fidei. 468

Ob. 2. In ſtatu *legis naturæ* plures ſalvabantur: atqui ibi non dabatur actus *ſupernaturalis fidei*; ergo. m. p. Lex naturæ ideo dicitur *talis*; quia ibi habebatur cognitio Dei tantum *naturalis* (: n. hoc; ſed ideo ita dicitur, quia ibi nulla dabatur lex ſcripta, ſed exarata ſolum in tabulis cordis :) ergo. 469

Inſiſtes: Baptismus non eſt neceſſarius ſimpliciter & *in re*, ſed ſufficit in voto, ſi in 470

re haberi non poſſit, ex *Part. 4. n. 266.* ergo nec *actus fidei* eſt in re ſimpliciter neceſſarius (: n. c. Quia *hic* eſt initium & *fundamentum* omnis juſtificationis, conſequenter in aliquo *priore* tanquam in voto contineri non poteſt velut Baptiſmus :)

471 Ob. 3. cont. 3. concl. Eo modo, quo neceſſaria fuit redemptio Chriſti, etiam neceſſaria fuit *fides* in Chriſtum (: vel explicita vel *implicita* c. ſemper *explicita* n. :) quia redemptio per fidem applicatur: atqui redemptio etiam in lege naturæ & ſcripta veteri fuit fidelibus neceſſaria; ergo & fides (: *implicita* c. *explicita* n. quia myſterium redemptionis *explicite* revelatum non fuit :)

472 Ob. 4. cont. 4. concl. S. Th. *hic q. 10. a. 4. a. 3.* expreſſe dicit: Cornelium cum *fide implicita* in Chriſtum fuiſſe juſtificatum: ergo fides *explicita* non eſt ſimpliciter neceſſaria *poſt* legis Evangelicæ *promulgationem* (: ſufficientem n. *inſufficientem* c. Nam tempore Cornelii nondum fuerat ſufficienter promulgatum Evangelium quoad *omnes*, etiam in Palæſtina: cujus indicium eſt, quod non ſolum ad illum baptizandum, ſed etiam ad *inſtruendum* in fide miſſus ſit S. Petrus. *Act. 10.* :)

473 Ob. 5. Catechumenus, qui ſucceſſive inſtruitur de myſteriis fidei, prius audiens & intelligens *Deum* eſſe authorem & remuneratorem ſupernaturalem, quam quid audiat de *Chriſto*, talis ante fidem explicitam in Chriſtum poſſet elicere *actum amoris* (: perfectum n. *imper-*

imperfectum præciſe, & ad juſtificationem ex ordinatione Dei inſufficientem c. Sic actus amoris elicitus ante fidem explicitam in Deum *ut remuneratorem*, etiam juxta aa. non eſſet ſufficiens ad juſtificationem :) erga Deum ut authorem ſupernaturalem ; ergo fides explicita ad juſtificationem & ſalutem non eſt neceſſaria (: *ex natura rei* c. *ex inſtitutione* Divina n. :)

Ob. 6. Puer perveniens ad primum inſtans 474
uſus rationis, ſi ſe convertat ad Deum juſtificatur, *ex Theol. Schol. Part. 3. n. 336.* atqui talis puer juſtificaretur ſine fide *explicita in* Chriſtum ; ergo. m. p. forſan nihil de Chriſto audivit (: *externe* t. interne per illuſtrationem ſupernaturalem n. :) ergo.

Ob. 7. Ex hac ſententia ſequeretur *mul-* 475
tos adultos *relinqui* ſine mediis ad ſalutem *neceſſariis*: atqui hoc dici non poteſt. s. M. p. Multi ſunt *doli* capaces, adeoque & *peccati*, qui tamen myſteria fidei, imo nec eorum nomina, capere poſſunt (: quoad *ſubſtantiam* n. quoad aliqua *accidentalia* c. Quodſi neque quoad ſubſtantiam capere poſſent, ſalvarentur per *habitum* fidei velut parvuli :) ergo.

Ob. ult. Si res ita ſe habet, ſaltem in le- 476
ge nova via ad ſalutem foret *arctior* (: niſi *lux* revelationis & gratiæ eſſet major c. ſecus n. :) atqui hoc videtur eſſe contra ſuavitatem legis Evangelicæ; ergo. s. M. p. In lege *veteri* non *requirebatur* fides explicita in Chriſtum & SS. Trinitatem; ergo.

Deduces 1. Illos, qui myſteria SS. Trini- 477

 tatis

tatis & Incarnationis penitus ignorant, non poſſe juſtificari, ſubindeque incapaces eſſe abſolutionis, donec de illis ſufficienter inſtructi fuerint. Interim tamen non requiritur, ut illa myſteria diſtincte cognoſcant, ſed ſatis eſt quod ea credant quantum ad ſubſtantiam. *Vid.* Gonet *in Man. c. 7. §. 3. in fin.* Qualiter autem fideles in his virtutibus theologicis, aliisque doctrinis Chriſtianis per conciones & catecheſin inſtrui & exerceri debeant, abunde docent Litteræ Sanctiſſimi Domini noſtri BENEDICTI XIV. datæ Romæ An. 1742. 7. Feb. incipientes: *Etſi minime nobis dubitandum.*

478 Deduces 2. Omnes *adultos*, per ſe loquendo, teneri neceſſitate *præcepti* affirmativi ad fidem explicitam illorum, quæ in ſymbolo Apoſtolorum continentur. Ratio eſt: quia quilibet tenetur habere notitiam eorum, quæ *propria* ſunt ſui officii & *ſtatus*: atqui hominis *Chriſtiani* officio & ſtatui maxime propria ſunt, quæ continentur in Symbolo; ergo tenentur illorum notitiam comparare, majorem vel minorem pro diverſitate capacitatis, officii &c. Hoc loco ut quid in ſimul dicamus de *actu* fidei *externo.*

479 Deduces 3. Duplex eſſe præceptum profeſſionis *externæ* fidei: unum *affirmativum* de fide exterius *profitendæ*: alterum *negativum* de fide non *negandæ*. Hoc obligat ſemper & *pro ſemper*; quia negare quocunque modo fidem eſt *intrinſece* malum, cum talis aut neget

get Divinam revelationem eſſe veram, aut neget fidei dogmata eſſe revelata: illud autem, ſc. *affirmativum*, non pro ſemper obligat, ſed tantum tunc, quando *externam* fidei profeſſionem ſpecialiter exigit honor Deo debitus, vel notabilis utilitas proximi (quia fidei profeſſio tunc incipit eſſe neceſſaria ad finem charitatis tam erga Deum quam proximum) idque præcepto *divino*; nam præcepto Eccleſiaſtico ad illam obligantur ſuſcipientes curam animarum, canonicatum, aut Doctoratum, *ex Trid. ſ. 24. de reſor. c. 12.* Itaque

Deduces ult. Non eſſe licitum fugere ad 480
evitandam fidei profeſſionem cum periculo vitæ, quando fuga vergit in contumeliam Dei, aut ſcandalum proximi: bene tamen ſi *hæc* abſint. Item interrogatus à poteſtate *publica* de ſua fide, tenetur ad *ejus profeſſionem*; quamvis interrogatus à privato eam tuto declinare queat. *Simulatio* falſæ religionis in nullo caſu licita eſt: quia, ut docet S. Th. *q. 111. a. 1.* ſimulatio non aliter differt à *mendacio*, niſi quod *hoc* verbis, illa autem *factis* fiat; unde quam eſt *intrinſece malum* verbis negare veram fidem, aut falſam profiteri, ita & *factis*. Licitum tamen eſt ob grave pe- 481
riculum vitæ uti *ſignis* aut *veſtibus* infidelium ad occultandam fidem, quando hæc habent alium uſum *primarium* licitum & humanum, etſi aliqua lege humana ſint inſtituta ad diſtinguendos infideles à fidelibus: quia tunc non

 ſunt

ſunt profeſſio falſæ religionis &c. *Vid.* P. Mezger *tr. 10. d. 19. a. 3.* §. 3. *à. n.* 10. P. la Cr. *l. 2. à. n. 54.* P. Sporer *tr. 2. in. Decal. c. 2. ſ.* 4. *n. 22.* Cæterum præceptum fidei toties obligat, quoties præceptum ſpei & charitatis: de quibus infra, nempe *per ſe* probabiliſſime, in primo inſtanti uſus rationis, & in fine vitæ; & ſæpius in vita, etſi tempus adeo certum haud ſit. Interim huic obligationi ſatisfit per actus fidei, qui per accidens concurrunt in exercitio aliorum actuum bonorum, puta ſpei, charitatis, pœnitentiæ &c. P. Reiffenſt. *diſt. 2. q. 3. à n. 30.* P. Elbel *part. 2. conf. 1. n. 27.*

ARTICULUS II.

Quodnam ſit ſubjectum habitus fidei?

482 PRænot. 1. In prioribus à potiori actum fuiſſe de fide *actuali*, hic jam agi ſimiliter de *habituali*. Dividitur hæc in *formatam* (quæ ſc. informatur gratia & charitate) ac in *informem*; *quæ* gratia & charitate deſtituitur: interim tamen adhuc *vera virtus* eſt (quia potentiam intellectualem adhuc inclinat in rectam operationem, nempe ad aſſentiendum veritatibus revelatis) licet non ſit *perfecta* quoad *ſtatum* & modum; cum ejus actus non ordinetur ad ultimum finem, nec meritorius ſit. Circa ſubjectum utriusque

Præ-

Prænot. 2. In præſenti non inquiri ſubjectum *quo* ſeu proximum habitus fidei theologicæ (ſatis enim ex dictis conſtat, illud eſſe *intellectum* ut motum ac determinatum à voluntate) ſed ſubjectum *quod* ſeu remotum. Quod eſt vel Angelus, vel homo; isque vel ante vel poſt lapſum, in vita, poſt vitam, in purgatorio, inferno, patria, in ſtatu fidelitatis vel infidelitatis & hæreſis? 483

Prænot. 3. Hic ſupponi habitum *fidei* non fuiſſe in Chriſto (quia *hæc* pugnat cum viſione beatifica ex *tr. de Incarn. n. 431.*) bene tamen in ipſa B. V. (quia habuit *ſpem*, cujus fundamentum eſt fides) uti & in Angelis viatoribus, primis parentibus, & defacto in omni viatore fideli: quia hi *beatitudinem* debuerunt acquirere *propriis* actibus; quod non potuiſſent, niſi prius per fidem (quæ eſt aliorum actuum ſupernaturalium fundamentum) *eam* cognoſcerent. Porro quando & in quibus deſtruatur; docebit ſequens 484

CONCLUSIO: Habitus fidei Divinæ remanet in homine etiam poſt peccatum: modo non ſit peccatum hæreſis: in dæmonibus autem & damnatis non manet: nec in Beatis: bene tamen in animabus purgantibus. *Eſt certa & communis omnium.* 485

Prob. 1. pars: Non omne peccatum eſt *contrarium* fidei, neque *hæc* (utpote tantum *diſpoſitio* eſſentialiter requiſita ad hominis juſtificationem & charitatis actui præſuppoſita) eſſentialiter dependet à *charitate*: ergo etſi 486

hæc per peccatum deſtruatur, fides manet; ſi tamen peccatum illud non ſit *hæreſis*, nam *hæc* deſtruit *objectum* & motivum *formale* fidei (quia in actu excercito negat infallibilitatem veracitatis Divinæ) ergo & ipſam fidem.

487 Prob. 2. pars: Fides eſt tendentia ad beatitudinem, initium ſalutis, & *fundamentum* ſpei: atqui in dæmonibus & *damnatis* nec eſt *tendentia* ad beatitudinem, nec *initium* ſalutis, nec *ſpes* illius; ergo. Præcipue: quia ad fidem eſſentialiter requiritur pia *motio*, ex *n. 501.* quæ in dæmonibus & damnatis non habet locum, cum ſint *obſtinati* in malo; ergo.

488 Prob. 3. pars: In *Beatis* deſtruitur *objectum* formale fidei, quod eſt Deus *obſcure* revelans & revelatus: ergo & ipſa *fides*. Maxime: quia hæc nequit ſtare cum *ſcientia* ex *dictis* in Theol. Schol. *Part. 4. n. 478.* ergo multo minus cum *viſione* beata.

489 Prob. 4. pars: Animæ in purgatorio, licet ſint in gratia confirmatæ, adhuc tamen ſunt in *via* ad beatitudinem; neque in iis objectum fidei deſtruitur: ergo in illis manet fides. Præſertim: quia in illis manet charitas & *ſpes*; ergo & fides, quia *hæc* eſt ſpei fundamentum.

490 Objicies 1. cont. 1. part. In homine peccatore non manet charitas: ergo nec *fides* (: ℞. d. ç. *viva* & formata c. *informis* n.:) c. p. Secundum SS. PP. fides in illo ſolum eſt, in quo eſt charitas; ergo.

Ob. 2.

Ob. 2. Hæreticus diſcredens uni articulo 491
fidei retinet circa cæteros *facilitatem* aſſentiendi (: ex motivo *naturali* opinionis vel fidei humanæ c. ex motivo *Divinæ revelationis* n. Nam ſi ex *hoc* aſſentiretur, non eſſet major ratio aſſentiendi uni quam alteri articulo :) ergo circa *cæteros* retinet fidem. Deinde: fides *humana* non amittitur, ſi quis in uno vel altero diſcredat alteri: ergo nec fides *Divina* (: n. c. Quia *hæc* habet motivum *infallibile* & indiviſibile : non ſic fides humana :) *Ita* P. Viva *p. 4. d. 4. q. 3. n. 5.* *Vid.* P. Mayer *t. 1. tr. 7. à n. 711.*

Inſiſtes: Hæretici *cætera* fidei myſteria 492
credunt propter *revelationem* Divinam (: ut applicatam per *infallibilem* propoſitionem Eccleſiæ n. ut applicatam proprio judicio *fallibili* c. :) velut credit Eccleſia Romana (: ita ut hanc judicent *infallibilem* n. ſecus c. :) ergo. *Vid.* P. Wenzel *hic n. 79.*

Ob. 3. cont. 2. part. *Dæmones credunt* (: fi- 493
de ſubjective *ſupernaturali* n. naturali & propter evidentiam ſignorum *coacta* c. :) & *contremiſcunt. Jac. 2.* ergo in illis datur fides etiam ſupernaturalis (: *objective* c. *ſubjective* n. :) Singulariter: quia S. D. *q. 18. a. 3. ad 2.* ait: *In damnatis magis poteſt eſſe fides informis quam ſpes*; ergo (: n. c. S. D. enim tantum voluit in damnatis nec ſpem *naturalem* dari, eoquod *hæc* quoque ſupponat objectum futurum *poſſibile* :)

Dices: In fidelibus damnatis manet *cha-* 494
racter

racter Sacramentalis, *ex Part. 4.* ergo & *fides* (: n. c. Quoniam fides per ſe ordinata eſt ad *ſalutem* & vitam *æternam* : *quæ* cum ceſſet in damnatis, ceſſat quoque fides : econtra character ex munere ſuo *inadæquato* eſt ſignum tantummodo fidei & poteſtatis habitæ, adeoque ad majorem confuſionem manebit :)

495 Ob. 4. cont. 3. part. S. Paulus non amiſit *fidem*, etſi habuerit lumen gloriæ : ergo nec *Beati* illam amittent. c. p. Lumen gloriæ in S. Paulo & Beatis eſt *ejusdem* naturæ (: quoad *entitatem* c. quoad *ſtatum* & conditionem n. quia Paulo non fuit datum per modum habitus *permanentis*, ſicut datur Beatis :) ergo.

496 Ob. 5. cont. 3. part. Animæ purgantes ſunt *extra* ſtatum *viæ* (: ſimpliciter n. *ſecundum* quid c. :) ergo in illis non manet fides. c. p. Non poſſunt mereri : ergo nec credere (: n. c. Eoquod ad *meritum* requiratur ſtatus viæ *ſimpliciter*, non autem ad *fidem* : imo hæc animabus purgantibus neceſſaria eſt, ex dictis in Theol. Schol. *Part. 4. n. 560* :) His expeditis, quoad reſidua

497 Quæres 1. An fides Chriſtiana ejusque myſteria ſint *evidenter* credibilia? ℞. Affirmative : quia pro iis ſunt *tanta* motiva, ut nemo prudens dubitare poſſit de veritate illorum. Præcipua ſunt 1. *Authoritas* Chriſti *inſtituentis*. 2. Puritas & ſanctitas *doctrinæ*, hujusque perſeverantia uniformis inter tot hæreſes, ac cohærentia veteris & novi Teſtamenti. 3. Modus *mirabilis*, quo per univer-

ſum

ſum orbem fides propagata eſt, & confirmata tot Martyrum ſanguine, atque miraculorum patratione &c. De quibus videatur P. Mezg. *tr. 10. d. 16. a. 1. §. 1. & 2.*

Quæres 2. Utrum ad aſſenſum fidei neceſ- 498
ſario prærequiratur evidentia *credibilitatis?* ℞. Quod ſic; ex hac ratione: quia ad credendum fide Divina requiritur voluntas credendi *firmiſſima*, quæ tamen ſine *evidentia* credibilitatis haberi nequit, ſiquidem per opinionem probabilem facile mutari poſſet in contrarium absque imprudentia; ergo.

Nec obſtat, quod pueri & illiterati non 499
penetrent perfectè motiva fidei: nam ſufficientem evidentiam credibilitatis habent per hoc, quod audiant à parentibus & Parochis, illa eſſe revelata à Deo &c. Itaque aſſenſus fidei Divinæ (licet ejus certitudo non ſit ſumma *intenſive*; cum in uno ſit intenſior quam in 500
altero, ſicut actus amoris) habet tamen *omnimodam* certitudinem, ſeu eſt certiſſimus *appretiative*: quia adhæret objecto *propter* veracitatem Divinam, adeoque veritatem objecti crediti in actu exercito præfert *omni* alteri veritati, ſicque appretiat ſuper omnia; ergo. Ex quo ſequitur, quod, cum motivum Dei teſtificantis ſit fortius ac potentius omni humana ratione, etiam fides omni ſcientia ſit certior.

Quæres 3. An ad aſſenſum internum fidei 501
requiratur *pia motio* voluntatis? ℞. Quod ſic: tum quia actus *fidei* eſt voluntarius & *liber*, ex

Trid.

Trid. ſ. 6. c. 6. ſecus enim non foret *meritorius*, nec caderet ſub præceptum: ergo dependet à *voluntate* & indiget ejus determinatione; quia *hæc eſt* primum principium liberum: Sic non datur actus *vitalis*, qui non dependeat à *principio* vitali: Tum quia intellectus, cum ſecundum ſe ſit indifferens, ut aſſentiatur myſteriis fidei, debet ad aſſenſum determinari vel ab *objecto*, vel à *voluntate*: atqui ab objecto, utpote eſſentialiter *obſcuro*, non ſufficienter determinatur, ergo debet determinari à voluntate. Nec ſufficiunt ipſa *motiva* credibilitatis: quia etiam *hæc* relinquunt objectum in ſe *obſcurum*; adeoque *inſufficiens*, ut determinet intellectum ad credendum. Hoc loco, ne, quæ alii de Eccleſia ſecundum longum & latum afferunt, omnino præteriiſſe videamur,

502 Quæres 4. Quid ſit Eccleſia? ℟. Eccleſia *militans*, (de *purgante* & *triumphante* alibi agendum) eſt *ſocietas viſibilis hominum baptizatorum ſub uno capite* Chriſto in cœlis, ejusque *in terris Vicario Romano Pontifice coordinata*. Hanc errare non poſſe, ſubindeque eſſe infallibilem fidei regulam, conſtat inde, quia talis error redundaret in Chriſtum & Spiritum ſanctum, cum Chriſtus ſit caput *Eccleſiæ*; Spiritus S. autem *ejus* cor, ex S.D. *3. p. q. 8. a. 1. ad 3.* atqui *defectus* actionum internarum

503 *corporis* tribuitur *capiti* & *cordi*; ergo. Notas ſeu characteres *veræ* Eccleſiæ exprimit Concilium Nicænum in Symbolo, dum canit:

nit: *credo Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*: quæ quatuor notæ cum ſoli *Romanæ* Eccleſiæ conveniant: ſequitur, *hanc* ſolam eſſe veram Eccleſiam. De quibus plura Controverſiſtæ, ſingulariter P. Pichler *in Theol. Polem. contr. 3. c. 2. a. 1. & ſeqq.* P. Reiffenſt. *tr. 4. diſt. 3. q. 1. àn. 1.*

Quæres 5. Quid ſentiendum de viſibili Eccleſiæ capite, ſummo Pontifice? ℟. Modernum, eſſe verum & legitimum ſucceſſorem Petri, & Chriſti Vicarium, ſuppoſita ejus legitima electione & acceptatione, eſſe *de fide*: quia de fide eſt, *dari* veram *Eccleſiam*; ergo etiam, dari ejus caput viſibile: alioquin corpus Eccleſiæ foret ſine capite; ac ovile Chriſti ſine paſtore. Hunc ipſum eſſe *vivam* fidei regulam (quæ in omni republica bene ordinata eſt neceſſaria) hic ſupponimus: quia *talis regula* non eſt Scriptura aut traditiones; ſiquidem non vivant, & alias ſæpe dubiæ ſint: nec ſpiritus privatus (quem ſibi fingunt hæretici) cum hic ſit longe incertior, & ſibiipſi contrarius, prout conſtat in ipſis hæreticis: nec Princeps aut alius homo ſæcularis, ob defectum jurisdictionis in ſpiritualibus: ergo ſolus *Pontifex* Romanus: qui qua talis infallibilis eſt, ex dictis in Theol. Schol. *Part. 4. n. 444.* 504

Quæres 6. Quid inſuper hic advertendum circa S. Scripturam? ℟. Nomine S. Scripturæ intelligi Verbum Dei ſcriptum, conſtans illis libris *canonicis* quos in Trid. S. 4. & 505

alibi

alibi enumerat Eccleſia. Senſus S. Scripturæ alius eſt *litteralis* (quem verba ipſa immediate ſignificant) alius *ſpiritualis* ſeu myſticus quem verba non ſignificant immediate ſed mediate tantum, nempe per res immediate ſignificatas; ſic agnus Paſchalis *myſtice* ſignificat Chriſtum. Hic ſenſus myſticus ſeu ſpiritualis rurſum dividitur in *Allegoricum* (qui correſpondet *fidei*, & tunc habetur, quando verba præter ſenſum litteralem ſignificant aliquid pertinens ad *fidem*) in *Anagogicum*, (qui correſpondet *ſpei*, habeturque, quando verba ræter ſenſum litteralem ſignificant aliquid pertinens ad vitam *æternam*, quam *ſperamus*) & in *tropologicum* ſeu moralem, qui correſpondet *charitati*; & habetur, quando verba inſuper ſignificant aliquid pertinens ad inſtructionem morum ſeu opera *charitatis*
506 exercenda. Hi quatuor ſenſus comprehenduntur ſequentibus verſiculis: *Littera geſta docet: quod credas, Allegoria. Moralis quid agas: quo tendas, Anagogia.* Cæterum S. Scriptura ſæpius obſcura eſt, cum tractet de rebus altiſſimis, inſuper plures locutiones, & allegorias contineat. Hinc ejus interpretatio canonica ad ſolam Eccleſiam pertinet, ex *cit. Trid.* Doctrinaliter tamen eam quoque explicare poſſunt docti. Indoctis lectio ejus eſt prohibita: quæ prohibitio tamen in Germania recepta non eſt, teſte P. Layman *l. 1. tr. 1. c. 15. n. 8.* apud P. Reiffenſt. *hic n. 33.*

Quæ-

Quæres 7. Quid obſervandum ſit circa 507
traditiones? ℞. *Traditionis* nomine hic intelligi
doctrinam, quæ in S. Scriptura expreſſe non
habetur. Dividitur in *Divinam* (quæ & Verbum Dei non ſcriptum appellatur, quæque *immediate* à Spiritu ſancto vel *Christo* dictata eſt: *qualis* habetur circa materiam & formam Sacramentorum) in *Apoſtolicam* (quæ immediate ab *Apoſtolis* inſtituta eſt, ut jejunium Eccleſiaſticum) & in *Eccleſiaſticam*, quæ eſt conſuetudo quædam antiqua, ab Epiſcopis vel populo fideli in Eccleſiam introducta.
Jam certum eſt ex Trid. *ſ. 4. in decret. de can.* 508
ſcript. præter S. Scripturam admittendas eſſe *traditiones* ſeu verbum Dei *non ſcriptum* (quia multa credimus, quæ in S. Scriptura expreſſe non continentur) eſtque *ejusdem* authoritatis, cujus eſt ipſum verbum Dei *ſcriptum*; eoquod Deus non tantum in ſcriptis ſed etiam in *verbis* ſuis infallibilis ſit. Regula dignoſcendi Traditiones *Divinas* ab Apoſtolicis vel Eccleſiaſticis, ex eo habetur, ſi Eccleſia ipſa judicet, hanc vel illam traditionem eſſe Divinam: quod quidem patere poteſt vel ex definitione Eccleſiæ facta in Concilio generali, aut per Summum Pontificem loquentem (ut ajunt) ex Cathedra; vel ſi unanimis conſenſus SS. Patrum & Doctorum id *teſtetur*: prout recte docet P. Reiffenſt. *hic n. 49.*

Quæres ult. Quid hic notandum circa 509
concilia Eccleſiaſtica; ℞. Concilium generale, legitime congregatum & approbatum, in

definiendis rebus *fidei* errare non poteſt; adeoque eſt infallibilis fidei regula. Ratio eſt, quia ſi erraret, tunc ipſa *Eccleſia* erraret, utpote quam tale Concilium repræſentat: atqui de fide certum eſt, quod Eccleſia uniververſa errare non poſſit; ergo. Porro Concilia generalia legitima poſt tempora Apoſtolorum numerantur octodecim, nempe Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. Epheſinum, Calcedonenſe, Conſtantinop. II. & III. Nicænum II. Conſtantinop. IV. Lateranenſe I. II. III. & IV. Lugdunenſe I. & II. Viennenſe in Gall. Florentinum, Lateranenſe II. & Tridentinum; quorum tempus, Patres, & Acta videri poterunt in Compendio apud P. Pichler in *cit. Theol. Polem. contr. 3. c. 4. a. 2. §. 1. n. 7.* De reliquo S. Pontificem eſſe ſupra Concilium ſupponimus ceu *de fide* certum; ſiquidem Pius II. in appellantes à Romano Pontifice ad futurum Concilium *excommunicationem* latæ ſententiæ tulerit, *quæ* defacto quotannis in Bulla Cœnæ renovatur. Plura de his ſubminiſtrabit cit. author *à n. 14.* & P. Mezger *tr. 10. d. 14. a. 3. per tot.*

ARTICULUS III.

Quid & quot ſint vitia fidei oppoſita? ubi præcipue de Hæreſi.

510 PRænot. 1. Fidei opponi *infidelitatem*: quæ adæquate dividitur in *paganiſmum*, *judaiſmum*, *& hæreſin.* Ratio eſt: quia in-

infidelitas conſiſtit in renitendo *fidei*, juxta S. D. *q. 10. a. 5.* vel igitur infidelis ita renititur noſtræ fidei, ut eam objective *nullo* modo recipiat? & tunc dicitur *paganus*; quo reducuntur atheismus, Mahometismus, & idololatria: vel ut eam objective recipiat in *figura*, & quoad *vetus* Teſtamentum? ſicque eſt *Judæus*: vel ut eam quoque recipiat quoad *novum* teſtamentum cum *negatione* tamen unius aut plurium articulorum? & tunc eſt *hæreticus*. De Paganismo & Judaismo videatur P. Pichler in curſu Theologiæ Polemicæ: nos hic de hæreſi diſcurrimus. Hinc

Prænot. 2. Hæreſin ex S. Th. *2. 2. q. 11. a. 1. & 2.* recte definiri: *eſt error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam fidei Catholicæ veritatem, ſufficienter revelatam & cognitam.* Unde *hæreticus* eſt, qui baptizatus habet, vel tuetur *voluntarie* & *pertinaciter* errorem contra aliquam fidei veritatem. Quapropter negative dubius in fide, qui de aliquo fidei-articulo ſuſpendit judicium ſuum, ita ut nec affirmet, nec neget (aliud eſt de *poſitive* dubitante: quia ex fidei articulis unus eſt, eam eſſe infallibilem; quod tamen poſitive dubitans, poſitive non credit. Schmalzgrueber *l. 5. t. 7. n. 5.* Interim tamen non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ: quia non habet hæreſin plane conſummatam & perfectam Reiffenſt. *t. 4. diſt. 4. n. 23.*) Item qui ſolum *exterius* negat fidem, in *mente* tamen retinet, non eſt hæreticus: quia non habet 511

judicium intellectus *erroneum* circa fidem; quamvis poſterior peccet graviter contra obligationem *profitendi fidem.*

512 Prænot. 3. *Hæreticum*, antea definitum, dici *formalem.* Hinc opponitur *materialis*, qui quidem adhæret errori in fide, ſed ex ignorantia, ſimplicitate, ſiniſtra informatione, *paratus* interea actu vel habitu errorem *deponere*, cognita veritate. Et tales ex gravibus cauſis judico plurimos eſſe vel plerosque in Germania, qui nati & educati ſunt ab hæreticis parentibus. Stricte loquendo hi non ſunt hæretici, eoquod *generali* aſſenſu, quo credunt omnia à Deo revelata, & à vera Chriſti Eccleſia ad credendum propoſita, corrigant ſuũ errorem; ac re ipſa ad Catholicos pertinent. Ex hæreticis alii dicuntur & ſunt *interni* tantum, qui errorem ſola mente retinent: alii *externi* ſimul, qui errorem ſuum exterius produnt verbo, facto, vel alio ſigno, cum intentione eam profitendi. Circa hos

513 Prænot. 4. Pœnas in hæreticos ſtatutas alias eſſe *ſpirituales* & canonicas; alias *temporales*, & civiles quas in compendio enumerat P. Pichler *l. 5. t. 7.* Maxima & prima ex illis eſt *excommunicatio* major: quam quidem non ipſo jure Divino, ſed antiquiſſimo jure Eccleſiaſtico incurrunt. Et licet *olim* hæc excommunicatio non fuerit *latæ* ſententiæ, poſtmodum tamen, & ipſo jure incurrebatur tanquam cenſura latæ ſententiæ, & de facto eſt reſervata ſummo Pontifici per Bullam

Bullam *cœnæ Domini.* Quam ipſam excommunicationem quoque incurrunt *credentes* hæreticis, qui nempe eorum erroribus aliquo modo aſſentiuntur &c. fautores, receptores, & defenſores in cauſa hæreſis. De quibus videatur P. Sporer *hic à n. 26.* P. Schmalzgrueber *l. 5. tit. 7. §. 3.* Quid autem requiratur, dicet ſequens

CONCLUSIO. Ad excommunicationem ob hæreſin incurrendam requiruntur quinque ſequentes conditiones. 1. Ut quis ſit hæreticus *formalis.* 2. Ut quis hæreſin internam ſignis *externis* manifeſtet. 3. Ut illa actio externa ſit mortaliter peccaminoſa. 4. Ut quis hæreſin ſuam exterius manifeſtet *diſtincte*, animo eam aſſerendi ſeu profitendi. 5. Denique, ut ſciat, hæreſi annexam eſſe excommunicationem. Ita *communis Theologorum & Canoniſtarum.* 514

Prob. 1. pars: Juxta S. Aug. *in can. dixit Apoſtolus, 24. q. 3.* hæreticus *materialis tantum* inter *hæreticos* deputandus non eſt: ergo non incurrit excommunicationem, in hæreticos latam. Conſequenter talis à *quolibet* confeſſario ſacramentaliter abſolvi poteſt. 515

Prob. 2. pars: Eccleſia non ſolet punire actum mere *internum*: atqui hæreſis, niſi manifeſtetur ſignis *externis* eſt actus mere internus, ergo non punitur excommunicatione. 516

Prob. 3. pars: Ab Eccleſia punitur actus *externus* tantum: ergo ſi hic non ſit *mortaliter* peccaminoſus non punitur pœna adeo 517

 gravi,

gravi, qualis eſt excommunicatio Bullæ cœnæ. Unde excommunicatus non eſt, qui hæreſin animo conceptam alteri manifeſtat *conſilii* petendi cauſa, vel ut ab eo *melius* inſtruatur: nam hujusmodi manifeſtatio non eſt mala, ſeu peccaminoſa, quin imo actus bonus, qui ab Eccleſia puniri non poteſt.

518 Prob. 4. pars: Quia, ut mox dictum, excommunicatio lata eſt propter *externum* peccatum hæreſis, quale non eſt, niſi illud, quod ab interna hæreſi informatur, dum quis eam exterius *aſſerere*, vel adſtruere intendit. Hinc ſi quis in ſomno vel plena ebrietate proferat verba hæretica, non incurret *hanc* excommunicationem; cum deſit animus.

519 Prob. ult pars: Omnis excommunicatio tantum incurritur propter *contumaciam* ex dicendis in part 3. *n. 525.* ergo non incurritur ab *ignorante*; *ſiquidem hic* non ſit contumax. Etſi itaque manifeſtans ſuam hæreſin graviſſime peccet, ſi tamen *non ſciat* excommunicationem annexam, illam non incurrit; & conſequenter valide & licite abſolvitur à quolibet confeſſario: quia caſus Papales, juxta communem, non reſervantur niſi propter annexam excommunicationem, quæ ſi ignoratur, non incurritur. P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *tr. 4. q. 4. à. n. 35.*

520 Objicies 1. cont. 1. part. Eſt conſuetudo aliquorum locorum, juxta quam hæretici materi-

materiales, qui primum ab hæreſi tranſeunt ad Catholicos, mittuntur ad eos, qui poteſtatem abſolvendi ab hæreſi habent: ergo talis conſuetudo obſervanda eſt (: ℞. d. ç. ſub præcepto n. ſub *conſilio* c. Imo, ut ait P. Sporer hic *n. 21.* male faciunt confeſſarii, ſi quid audientes de hæreſi confitentes ſtatim remittunt ad alios habentes poteſtatem abſolvendi ab hæreſi, non ſine eorum confuſione & terrore; cum tamen ipſi prius examinare & abſolvere deberent, ſi hæreticos tantum materiales inveniant. Hæreticus formalis *relapſus*, qualis eſt *ille* tantum, qui poſt hæreſin *publice* ejuratam in illam relabitur, uti docent la Cr. *l. 6. p. 2. n. 1646.* Kazenb. c. *3. ſ. 2. n. 107.* nec à quolibet *ſpecialiter* privilegiato abſolvi poteſt:)

Ob. 2. cont. 2. part. Signum externum ſæpe eſt *occultiſſimum*, & nullo prorſus alio teſte præſente: ergo ſaltem tunc non incurritur excommunicatio (: *n.* c. Quia hoc non obſtante hæreſis interna *vere* manifeſtatur externe; adeoque poteſtati & jurisdictioni Eccleſiæ ſubjicitur. Quod autem ſignum illud nemo *advertat* prorſus per accidens eſt:) 521

Ob. 3. cont. 3. part: Qui hæreſin internam in *ſomno* vel plena ebrietate manifeſtat, non *peccat*, ut ſupponitur; & tamen talis incurrit excommunicationem: ergo non requiritur actio *mortaliter* peccaminoſa, a. p. quoad 2. part. Occidens hominem in ebrietate, poteſt puniri & excommunicari; ergo 522

quoque proferens hæreſim (: n. c. Quia hæreſis conſiſtit & *completur* in intellectu, & per verba *externa* ſolum ſignificatur; non poſſunt autem verba ſignificare hæreſin niſi *præſentem*, & conſequenter prolatio hæretici dogmatis non poteſt eſſe peccatum externum hæreſis, niſi ab *interno* peccato hæreſis *directe* procedat, & imperetur. Neque hic ſufficit voluntariũ indirectum: licet enim quis ſciat, ſe in ebrietate ſolere ſuas hæreſes effutire, quia tamen hæc prolatio in plena ebrietate à *præſenti* peccato non procedit, nec conſequenter peccans peccatum hæreſis ſignificat, non eſt formalis hæreſis externa. E-contra homicidium *completur* opere *externo*, & ideo eſt *verum* peccatum externum homicidii, etſi indirecte tantum ſit voluntarium: conſequenter quoque punibile &c. *Vid.* P. Sporer *hic tr. 2. c. 3. ſ. 2. n. 24.* :)

523 Ob. 4. Si quis diſputat de tali hæreſi, quam revera intus habet, ita tamen ut ex ipſius diſputatione non appareat, ipſum vere ex animo & propria mente aſſerere vel approbare velle talem hæreſin, ſed ſolum *diſputative* loqui, talis non eſt hæreticus externus, nec conſequenter excommunicatus, ut cum communi docet P. Sporer *hic cit. n. 24.* ergo non ſufficit manifeſtatio *externa* (: quæcunque *confuſa* c. *diſtincta* n. :) Quis ab hac excommunicatione poſſit abſolvere, dicemus *Part.* 3. *n. 507.* Circa lectionem librorum hæreticorum

Quæ-

Quæres 1. Quinam libri ſint prohibiti ? 524
Ubi pro compendioſa reſponſione nota, libros prohibitos commode ad duas claſſes revocari poſſe. Ad *primam* claſſem pertinent 1. Illi, qui ab ipſis *hæreſiarchis* facti ſunt. 2. Illi, qui compoſiti ſunt ab aliquo *hæretico*, ita ut vel ex mente & inſtituto authoris hæreſin expreſſe *contineant*, vel ſaltem de *Religione* tractent. Ad *ſecundam* claſſem ſpectant libri hæreticorum *non* tractantes de religione ; quales ſunt juridici, medici, philoſophici, politici, hiſtorici, etſi ſubinde *obiter* per accidens unam vel alteram hæreſin contineant. Item huc ſpectant libri Catholicorum, qui ſpecialiter prohibentur propter *materiam* vel *modum*, quo ſcripti ſunt ; aut quia ſunt de rebus *ſacris*, & prodeunt ſine nomine authoris vel impreſſoris &c. *Vid.* la Cr. *l.* 7. *n.* 36. Jam

℞. Libri hæretici *primæ* claſſis tam quoad 525
lectionem quam retentionem, impreſſionem, & defenſionem ſub excommunicatione Bullæ cœnæ prohibiti ſunt. Hinc libri *Hæreſiarcharum*, de *quacunque* demum materia agant, nunquam poſſunt legi &c. Similiter nec libri *aliorum hæreticorum*, continentes hæreſin, aut tractantes de *religione*, quamvis non contineant hæreſin : quia Eccleſia non vult, ut fideles ex turbido adeo fonte bibant, aut inſtituantur ab hæreticis.

℞. Libri hæretici ſecundæ claſſis, & prohi- 526
biti ſub hac ſecunda claſſe probabiliter poſſunt

legi & retineri (ſecluſo alio periculo) abs-
que cenſura & peccato: ut loquitur P. Spo-
rer *hic n. 40.* P. Pichler *l. 5. t. 7. n. 6.* P.
Schmalzgruber *l. 5. t. 7. à n. 51. 59.* P. Elbel
confer. 4. n. 111. &c. Adducunt pro ſe notoriam
praxin etiam proborum, qui ſimiles libros
ſine ſcrupulo legunt, & retinent. Nam In-
dex horum librorum prohibitorum in Ger-
mania *non* eſt *receptus*; nec ejus obſervatio
à quoquam cum authoritate urgetur, ut
ait P. Wex *Part. 4. à n. 20. pag. 104. mihi.*
P. la Croix *l. 7. n. 371.* citatum authorem
referes, nec tamen refutans: P. Wieſtner
hic n. 25. referente, nec contradicente P.
527 Schmalzgrueber *à n. 59.* Et licet liber hære-
tici, continens etiam *obiter* hæreſin, in *rigo-
re* eſſet prohibitus: quia prohibetur lectio
librorum *hæreticorum* non ſolum illorum, qui
de *religione* tractant, ſed etiam eorum, qui
hæreſin continent; quique manerent tales,
etſi hæreſin ex illis expunxeris, quia *particu-
laris* expunctio non tollit communem libri
prohibitionem: nihilominus huic rigori Ger-
maniæ noſtræ uſu videtur *derogatum* in pluri-
bus ejus provinciis, ubi ſine cenſuræ metu
viri *timorati* & *docti* legunt, & in Bibliothecis
ſuis retinent opera hæreticorum authorum,
profanum argumentum tractantia; licet er-
rores aliquos, ab Eccleſia damnatos, con-
tineant, modo iſti non ſint *frequentes*, aut
in *odium fidei* ab illis authoribus conſcripti.
Ita P. Schmalzgrueb. *l. 5. t. 7. n. 52.* cum ſep-
tem

tem aliis authoribus ibi adductis. A fortiori hoc procedit de lectione & retentione librorum ab hæreticis editorum, qui nec de *religione* ex profeſſo tractant, nec *hæreſin* ullam inſperſam habent. P. Pichler *n. 6.*

528 Dixi: *ſecluſo alio periculo*; nam ubi eſt periculum *perverſionis*, talem lectionem non tantum prohibet *jus* poſitivum humanum, ſed etiam Divinum & naturale. Hinc certum videtur, etiam in Germania plures libros, qui inter *ſecundæ claſſis* prohibitos in Indice recenſentur, licite legi *non* poſſe: quales ſunt, qui etiam à Catholicis authoribus ſcripti ſunt de rebus *obſcœnis*, de ſortilegiis, de maleficiis, incantationibus practicandis, de aſtrologia *judiciaria* &c. ut recte obſervat P. Schmalzgr. *n. 60.* Huc reducitur Thalmud Hebræorum, Alcoranus Machometis &c. quamvis alias de libris *gentilium* & *veterum* hæreticorum, nominatim Origenis, & Tertulliani (quorum errores jam extincti ſunt) nulla extet Eccleſiæ prohibitio: ut communiter aſſerunt authores antea citati; admittentes tam in lectione, quam retentione librorum prohibitorum parvitatem *materiæ*, quæ tamen non ad certa folia, ſed ad magnitudinem *periculi* determinari debet, juxta P. Sporer *n. 44.*

529 Quæres 2. Qualis *communicatio* ſit licita cum hæreticis? ℟. Etſi hæretici *formales* ſint excommunicati, ſi tamen non ſint nominatim *denuntiati*, cum ipſis communicari in *ci-*

vilibus

vilibus & politicis eſt licitum: quia id Martinus V. in Bulla, *Ad evitandam*, fidelibus conceſſit. Imo ubi Catholici promiſcue vivunt cum *hæreticis*, licitum eſt comitari *horum* funera, intereſſe eorum nuptiis, agere ibi paranymphum &c. quia talis comitatus potius ſpectat ad communionem *politicam*; nec eſt approbatio hæreſis; ut ait P. Reiff-
530 fenſt. *à n. 46.* Similiter licitum eſt Catholicis famulari apud hæreticos, ſi abſit *periculum* perverſionis, & permittantur ſervare præcepta Eccleſiæ: interim tamen ſimilis famulatus (niſi ſubſit gravis cauſa) ſemper diſſuaderi debet. *Vid. l. c. addit. 2.* Cum hæreticis *diſputare* etſi alias prohibitum ſit *laicis*, in Germania tamen hæc prohibitio non ſtringit; quia in his terris non eſt uſu recepta, aut per contrariam conſuetudinem abrogata. P. Schmalzgr. *n. 66. cum ibi citatis.* Modum cum illis diſputandi ſuggerit P. Pichler *l. 5. t. 7. n. 10.* Quia hæreticis affines ſunt Apoſtatæ; ideo

531 Quæres 3. Quid ſit Apoſtaſia? ℞. Apoſtaſiæ tres ſunt ſpecies. 1. Apoſtaſia à *fide*; quando quis *totaliter* recedit à fide Chriſtiana amplectendo Judaiſmum, Paganiſmum, vel Atheiſmum. 2. Apoſtaſia à *Religione*, quando quis Statum religioſum, quem profeſſus eſt, deſerit, ſine animo redeundi. Eſtque perinde ſive deſerat *habitum*, ſive retineat, ſicut enim habitus ſuſceptio non facit monachum, ita neque ejus retentio excuſat

à crimi-

à crimine apoſtaſiæ. 3. Apoſtaſia ab *Ordine*, nimirum clericali, quando quis in majoribus Ordinibus conſtitutus, dimiſſo habitu & tonſura clericali, ad ſtatum laicalem vel matrimonialem tranſire attentat. Pœnas apoſtaſiæ afferent Canoniſtæ. *l. 5. decretal. t. 9.*

QUÆSTIO II.

DE SPE THEOLOGICA.

ARTICULUS I.

Quodnam ſit objectum Spei Theologicæ?

PRænotandum: Spem bene definiri: Eſt *virtus theologica, qua voluntas viatoris tendit in Deum ut Beatitudinem noſtram, obtentu arduam, Divino tamen auxilio acquiſibilem.* Eſt autem Beatitudo alia *objectiva* (quæ eſt ipſe Deus) alia *formalis*, quæ eſt ipſa viſio Dei. Similiter objectum aliud eſt materiale, aliud formale; hoc ſubdividitur in objectum formale *quod*, & in formale *quo*. 532

CONCLUSIO I. Objectum formale *quod* & per ſe terminativum ſpei theologicæ eſt *DEUS*, ut eſt beatitudo noſtra *objectiva*: beatitudinem *formalem* non tanquam conſtitutivum ſed tanquam *conditionem* requiſitam in obje- 533

objecto connotans. *Ita communis TT. ex S. D. hic q. 17. a. 2. in c.*

534 Prob. 1. pars: Spes per ſe primo tendit in *Deum*, quatenus eſt *beatitudo* noſtra objectiva; quia hic ſolus, utpote bonum infinitum, eſt adæquatum *ſatiativum* noſtræ voluntatis, per actum ſpei tendentis in illud: ergo hic ſolus eſt objectum ſpei formale *quod*; cætera autem ſunt objecta tantum materialia & ſecundaria, quia ſperantur ſolum ut *media* ad beatitudinem conducentia.

535 Prob. 2. pars: Viſio *formalis* eſt quid creatum; utpote actus intellectus: ergo non poteſt ingredi rationem formalem objecti Spei; quia de ratione virtutis theologicæ eſt habere pro *objecto* formali adæquato aliquid formaliter *Divinum*. Interim tamen quia beatitudo *objectiva* eſt objectum Spei, quatenus *poſſidenda*, viſio *formalis* autem prima hujus conſecutio & poſſeſſio, ideo *hæc* ad objectum Spei ſpectat tanquam *conditio* neceſſaria.

536 CONCLUSIO II. Objectum *motivum* ſeu formale *quo* Spei eſt *auxilium* Dei *active* ſpectatum, ſive Deus ut auxiliator omnipotens nos adjuvans in ſuperanda *arduitate* occurrente in tendentia ad æternam beatitudinem: quæ arduitas tamen eſt *connotatum* duntaxat, non motivum Spei. *Eſt communis TT.* ex S.Th. *l.c.*

537 Prob. 1. pars: Spes in attingendo ſuo objecto *quod* innititur *auxilio* Divino tanquam motivo; hoc enim *confortat* voluntatem in proſequendo bono *arduo*, & munit contra

deſpe-

deſperationem, dum ſuggerit, quod Deus auxilio ſuo nobis *poſſit* ſuccurrere per potentiam, & ſimul *velit* per *miſericordiam*: ergo. c. p. Sic objectum quo *fidei* eſt *veracitas* Divina; quia *huic* in credendo innititur, ex dictis *n. 449.* ergo.

Prob. 2. pars: Actus ſpei non reſolvitur in *arduitatem* objecti & boni ſperati; non enim ideo ſperamus beatitudinem, quia eſt bonum arduum (cum *taliter* potius moveat ad deſperandum) ſed quia Deus auxilio ſuo me *poteſt* & *vult* perducere ad vitam æternam: ergo *arduitas* illa eſt *connotatum* ſolummodo; quale quoque eſt *obſcuritas* in ordine ad objectum fidei, ex dictis *l. c.* Idem dicendum eſt de *bonitate* objecti ſperati: etenim etſi *hæc* poſſit movere ad ſui amorem vel deſiderium, non tamen movet ad ſui *ſpem*, niſi innitatur motivo *conſequendi*: ideoque multa deſideramus, quin illa ſperemus; ergo. 538

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 2. Etiam bona *creata* ſunt objectum *formale quod* ſpei: ergo. a. p. Speramus non tantum Deum ſed quoque *viſionem*, perſeverantiam finalem, & auxilia efficacia (: R. d. a. tanquam objecta *primaria* n. *ſecundaria* præciſe c. :) ergo. 539

Inſiſtes: Objectum ſpei debet eſſe *futurum* (: quantum ad *aſſecutionem* & poſſeſſionem, in *obliquo* connotatam c. quantum ad ſeipſum n. Sic equus, ut ſperetur in præmium, quantum ad ſeipſum non debet eſſe futurus:) 540

turus :) atqui Deo repugnat eſſe *futurum*; ergo Deus non poteſt eſſe objectum ſpei.

541 Ob. 2. cont. 2. part. Spes fertur in Deum, prout eſt bonus homini : atqui Deus non eſt bonus *homini* niſi ratione *viſionis* (: ſe habentis *ut quo* & per modum conditionis *applicativæ* c. per modum *objecti* n. Sic bonum non amatur niſi *cognitum*, & tamen *cognitio* non eſt objectum amoris :) ergo beatitudo *formalis* ſpectat ad objectum ſpei.

542 Ob. 3. cont. 2. concl. Actus, quo amamus & deſideramus nobis Deum ut noſtram beatitudinem, eſt actus *ſpei*; non enim eſt actus fidei, aut charitatis (: *amicitiæ* & primarius c. *concupiſcentiæ* & ſecundarius n. :) atqui actus ille non habet pro motivo Deum ut *auxiliantem*; ergo. m. p. Pro objecto habet bonitatem ut *nobis* convenientem; ergo.

543 Inſtabis : *Auxilium* Dei ſe habet *extrinſece* ad *beatitudinem* (: ſpectatam in eſſe *rei* c. in eſſe *objecti* difficulter obtinibilis n. :) quæ eſt objectum ſpei : ergo non pertinet ad objectum formale. a. p. *Beatitudini* eſt quid accidentale, ſive per hæc ſive illa media obtineatur; ergo.

544 Deduces 1. Auxilium divinum, *active* ſpectatum, formaliter & in recto conſiſtere in actu *omnipotentiæ* Divinæ (quia eſt actus virtualiter tranſiens, *cauſansque* gratiam & auxilia ; *qui* utique ſpectat ad *omnipotentiam* auxiliantem) *connotante* tamen in obliquo *miſericordiam* & *fidelitatem*: quia ut quis vere

ſpe-

ſperet, non ſatis eſt; quod ſciat, alterum poſſe benefacere, ſed etiam velle, & *promiſiſſe* benefacere. Sic objectum formale *quo fidei* in recto dicit ſolam veritatem *in dicendo*; licet neceſſario præſupponat veritatem *in cognoſcendo.*

Deduces 2. Objectum *materiale* ſpei eſſe quodlibet bonum ſupernaturale abſens & arduum, Divino auxilio *aſſequibile*. Ratio eſt: quia quodlibet bonum ſupernaturale *abſens arduum* participat formalem rationem ſpecificativam, nempe *aſſequibilitatem* virtute *auxiliantis* Dei, & refertur ad beatitudinem noſtram; ergo. 545

Deduces 2. Quamvis *bona creata*, quæ conducunt ad beatitudinem, ſint objectum ſpei *materiale* & ſecundarium (quemadmodum objecta *creata*, quæ nobis innoteſcunt ex Divina revelatione, dicuntur eſſe objecta fidei materialia, & ſecundaria) ſi tamen *non* deſiderentur & petantur à Deo in ordine ad *beatitudinem* æternam, nec eſſe objecta materialia & ſecundaria. Ratio eſt: quia tunc nullo modo cadunt ſub objectum *formale* ſpei; ergo. Sic *veritates* creatæ nec ſunt objectum materiale & ſecundarium fidei, ſi non ordinantur ad Deum & veritatem increatam primario creditam. 546

(o)

ARTICULUS II.

An ſubjectum ſpei ſit quilibet homo? aut Angelus?

547 CONCLUSIO: Habitus ſpei remanet in *omni* homine viatore fideli, etiam poſt peccatum mortale; modo non ſit deſperationis: ſed non in infidelibus, hæreticis, & deſperantibus: nec in dæmonibus aut damnatis: nec in Beatis: bene tamen in animabus purgantibus. *Eſt communis TT.*

548 Prob. 1. pars: *Objectum* formale *ſpei* non deſtruitur per quodlibet peccatum mortale, ſed per ſolam *deſperationem*, quæ cenſet beatitudinem obtentu *impoſſibilem*: ergo *ſpes* manet etiam in peccatore fideli, ſicut manet *fides*: *quæ* ſunt ſemina gratiæ, quibus peccatores ad juſtificationem diſponuntur juxta Trid. *ſ. 6. c. 6.*

549 Prob. 2. pars: Quia *infideles* & *hæretici* carent *fide*, quæ eſt fundamentum ipſius ordinis ſupernaturalis, adeoque & ſpei; *deſperantes* autem actu contrario deſtruunt formale objectum, & expellunt habitum ſpei: ergo. Ex quo etiam

550 Prob. 3. pars: In *dæmonibus* & aliis *damnatis* non remanet *fides*; ex dictis *n. 487.* ergo nec ſpes. Præcipue: quia ſunt certi de impoſſibilitate ſuæ ſalutis, ideoque in continua deſperatione perſiſtunt: ergo.

Prob. 4.

Prob. 4. pars: In Beatis non manet *obje-* 551
ctum formale ſpei, quod eſt bonum *arduum* poſſibile; quia beatitudinem actu & *inamiſſibiliter* poſſident: ergo nec ſpes.

Prob. 5. pars: In animabus *purgantibus* 552
adhuc eſt *fides* ex *n. 489.* & reſpectu *illarum* beatitudo adhuc eſt *abſens* & *ardua*; utpote non niſi per multos cruciatus obtinibilis: ergo in illis quoque eſt ſpes.

Objicies 1. cont. 1. part. In homine pec- 553
catore non manent virtutes *morales* infuſæ: ergo nec Theologicæ vid. fides & ſpes (: n. c. Quia *fides* & *ſpes* ſunt ſemina gratiæ & aliarum virtutum: eas proinde Deus voluit remanere in peccatoribus velut *duas* poſt naufragium *tabulas*, ut earum ope facilius poſſent redire ad gratiam, & à peccato reſurgere :) c. p. Sunt quoque *proprietates* gratiæ (: n. hoc; ſed ſunt *communia* tantum gratiæ *accidentia* :) ergo.

Ob. 2. cont. 2. part. Hæretici æternam 554
beatitudinem ſperant (: ſpe aliqua *humana* & naturali c. *ſupernaturali* n. Nam fides falſa nunquam fundat ſpem veram; ſicut cognitio falſa nunquam parit ſcientiam :) æque ac nos: ergo in illis manet habitus ſpei.

Ob. 3. cont. 3. part. Plures ex illis, quos 555
Apoſtoli & alii Sancti ſuſcitarunt à mortuis, fuerunt damnati (: *abſolute* n. *conditionate* c. :) quia mortui ſunt in peccato; & tamen æternam ſalutem conſecuti ſunt: ergo quoque

 pote-

poterant illam ſperare (: n. c. Spes enim innititur Divinæ *promiſſioni*, qua illi caruerunt:)

556 Ob. 4. cont. 4. part. Virtus pœnitentiæ & temperantiæ manent in Beatis, etſi hi non poſſint exercere earum *actus*: ergo in illis etiam manet virtus *ſpei*, etſi hujus actum exercere nequeant (: n. c. Quoniam virtutibus *moralibus* tantum deficit aliquid ex parte *materiæ*, circa quam verſantur: econtra *ſpei* deficit aliquid ex parte *objecti formalis*, quod eſt beatitudo *futura*, ardua, & poſſibilis:) *Vid.* P. Mezger *hic n. 12.*

557 Ob. 5. cont. ult. part. Animæ purgantes non ſunt amplius in *via* (: prout *via* denotat *tendentiam meritorum* c. prout denotat tendentiam *deſiderii* ad beatitudinem nondum poſſeſſam n. :) ergo in iis non manet ſpes. Maxime: quia habent perfectam *certitudinem* ſuæ beatitudinis (: ita ut tollat *arduitatem* n. ſecus c.:) ergo.

558 Quæres 1. Quænam ſint præcipuæ dotes ſpei Theologicæ? ℞. Inprimis, quod ex parte *motivi* (*quo* nempe repræſentatur omnipotens Dei miſericordia, ſerio volens omnes homines ſalvos fieri) habeat ſummam & infallibilem certitudinem: quamquam fallibilis ſit ex parte conditionis *connotatæ*; quæ eſt libera arbitrii humani *cooperatio*, ubi ſimul intrinſeca ipſius defectibilitas connotatur. Deinde, quod ſpes ſaltem in eſſe *virtutis* ſit perfectior *fide*: quia animam magis perficit quoad rectitudinem affectus & conjunctionem cum ultimo

mo fine. Ubi tamen fatendum eſt, quod fides ſit nobilior ſecundum *ſpeciem*, ab *objecto* acceptam; quia fides fertur in Deum modo magis depurato & univerſaliori quam *ſpes*; hæc enim in objecto patitur limitationem abſentiæ & arduitatis; ergo.

Quæres 2. Qualis ſit *neceſſitas* & *obligatio* ſpei? ℞. 1. Spes *habitualis* eſt hominibus *omnibus* neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. Ratio eſt: quia nemo conſequitur ſalutem ſine *gratia* & *charitate*; hæ autem non infunduntur ſine fide & ſpe; ergo ſicut fides habitualis ita & ſpes eſt omnibus neceſſitate medii neceſſaria ad ſalutem. 559

℞. 2. Præceptum ſpei *negativum* de non *deſperando*, & de non *præſumendo* obligat ſemper; quia utroque modo irrogatur Deo gravis injuria. Præceptum tamen *affirmativum* tunc ſolum obligat, quando adultus tenetur per pœnitentiam ſeſe convertere ad Deum; nam inter prævias diſpoſitiones ad gratiam requiſitas eſt quoque una *actus ſpei*, ex Trid. *ſ. 6. c. 6. & ſ. 14. c. 14.* Etenim niſi adultus à Deo ſperaret veniam & auxilia non poſſet eniti ad efficacem converſionem & *juſtificationem*, utpote quæ ſine auxiliis & venia peccatorum non obtinetur. Item ad eliciendum *actum* ſpei eſt obligatio, quoties urget gravis tentatio vel periculum deſperationis, quæ non niſi per elicitos actus ſpei ſuperari poteſt. P. Mezger *hic n. 9.* 560

561 Quæres 3. Quænam, & quot ſint peccata virtuti ſpei oppoſita? ℞. duo ſc. *deſperatio* (quæ ſpei opponitur per *defectum*, dum nihil ſperat) & *præſumptio*, quæ ſpei opponitur per *exceſſum*, dum nimis multa ſperat. Utraque eſt graviſſimum peccatum, & quidem in Spiritum ſanctum; eoquod donis ejus abutatur. Diſinitur autem deſperatio, quod ſit *poſitivus receſſus voluntatis à beatitudine æterna, apprehenſa tanquam nimis difficili & ardua vel*
562 *nunquam futura, vel impoſſibili.* Illum, cui certo facta eſt revelatio abſoluta damnationis, nec poſſe nec teneri theologice ſperare ſuam beatitudinem; adeoque poſſe deſperare non quidem *contrarie*, per odium & deteſtationem ipſius beatitudinis, aut potentiæ & miſericordiæ Divinæ (quia hoc eſſet intrinſece malum & nunquam licitum) ſed *negative*, non ſperando illam beatitudinem, vel dejiciendo animum à conſecutione illius (in quo conſiſtit proprius conceptus deſperationis) jam decidimus in Theol. noſt. Schol. *part. 4. à n. 628.* Circa alterum

563 Quæres ult. Quid ſit *præſumptio?* ℞. Eſt actus voluntatis, quo *bona ſupernaturalia*, præſertim ſalus animarum, exſpectantur à Deo *inordinate*; id eſt, aliter quam DEUS *obtinenda* ſtatuit. Poteſt committi dupliciter, 1. Cum quis præſumit, ſed divinam gratiam aut æternam gloriam poſſe adipiſci ex ſeipſo aut propriis *naturæ* viribus, uti fecere Pelagiani. 2. Cum quis econtra præſumit, ſe *ſola*

DEI

DEI miſericordia, Chriſtique meritis, absque propria cooperatione per bona opera, beatitudinem æternam conſecuturum: qualiter præſumunt Lutherani, à Concilio *Trid. ſ. 6. c. 9.* & alibi damnati. De utraque ſubminiſtrabit plura P. Babenſtuber *tr. 5. d. 1. a. 3. §. 2. à n. 11.* Reverendiſſ. *DD. Franc. tr. 2. ſect. 1. a. 3. §. 1. à n. 6.* P. Sporer *tr. 2. c. 4. ſect. 4. à n. 17.* P. Elbel *part. 2. confer. 6. à n. 179.*

QUÆSTIO III.

DE CHARITATE THEOLOGICA.

ARTICULUS I.

Utrum habitus charitatis augeatur etiam per actus remiſſos?

PRænotandum 1. Charitatem Theologicam recte definiri: eſt virtus Theologica, *qua voluntas DEUM diligit tanquam ſummum bonum propter ſe, & proximum propter DEUM.* Ex qua definitione patefit, *ſubjectum* proximum charitatis eſſe *voluntatem*; *objectum* autem ejus primarium eſſe DEUM ſub ratione *ſummi boni*, ita tamen ut proximus ſit objectum *ſecundarium.* Et quidem ſi velimus loqui de objecto formali, tunc in communi TT. ſententia *objectum formale* charitatis tam terminativum quam motivum ſit bonitas *Di-*

564 565

vina in *ſe ipſa*. Nam charitas pro objecto formali reſpicit *bonum*; ſed non aliud niſi *Divinum* (cum ſit virtus Theologica) neque ut eſt *noſtrum* bonum; quia eſt amor *amicitiæ*; ergo. Idque non tantum terminativum ſed etiam *motivum*: quia bonitas eſt motivum amoris. Objectum *materiale* primarium eſt Deus; *ſecundarium* autem *proximus*: velut jam inſinuavimus. Ex his

566 Prænot. 2. In *via* & patria fore *eamdem* ſpecie & numero charitatem: quia utrobique eſt *idem* objectum *formale*; *charitas* itaque *nunquam excidit*, teſte Apoſtolo *1. ad Cor. 13. & S. D. 1. 2. q. 6. a. 6. in c.* Sic fuit idem formaliter actus charitatis, quô Angeli in *ſecundo* & *tertio* inſtanti ferebantur in bonitatem Divinam, & quô ferebantur in primo, ex *tr. de Ang. n. 224.* Ex quo ſequitur, charitatem non ſolum moraliter & in eſſe *virtutis*, ſed etiam phyſice & in *genere entis* eſſe præſtantiorem omni alia virtute

567 ſupernaturali, & Theologica. Ratio primi eſt: quia charitas ſubjecto tribuit *majorem* rectitudinem & conjunctionem cum *ultimo* fine; eoquod ipſa *perſe* & ab intrinſeco attingat ultimum finem, & omnes aliæ virtutes ratione ipſius; ergo. Ratio ſecundi eſt: quia Charitas habet *nobilius* objectum, quam omnes *aliæ* virtutes; ſiquidem iſtæ ſint unice circa *media*; ergo. Jam appropiando quæſtioni

Præ-

Prænot. 3. Veluti certum hic ſupponi, quod charitas ſemper poſſit intenſive augeri, quamdiu homo eſt in via: quia de ratione *viatoris* eſt, magis ac magis accedere ad terminum; quod fit per *charitatem*, quæ eſt via ad Deum juxta Apoſtolum *1. ad Cor. 12. Adhuc excellentiorem VIAM vobis demonſtro*, ſc. charitatem. Pariformiter ſupponitur, charitatem poſſe augeri in infinitum: quia non eſt repugnantia ex parte *Dei*, cujus virtus eſt infinita; nec ex parte *ſubjecti*, cum iſtud augmentum recipiatur in potentia obedientiali; nec ex parte ipſius *charitatis*, quoniam virtutes ſupernaturales ceu *participationes* infinitarum perfectionum Dei ex parte ſui non habent terminum. 568

Prænot. 4. Charitatem per actus *noſtros* augeri non tantum moraliter ſed etiam *phyſice* (quia actus noſtri phyſice concurrunt ad augmentum *gratiæ* & ad augmentum *charitatis*, quæ eſt inſeparabilis proprietas gratiæ) non quidem *effective* (taliter enim à ſolo Deo intenditur ſicut primo producitur, ac voluntati infunditur) ſed *diſpoſitive* tantum: quia actus charitatis *ad primam* gratiæ & charitatis infuſionẽ etiam phyſice diſponunt: ergo & ad *augmentum.* Hæc omnia ſatis certa ſunt, ſi actus ſint intenſiores habitu; at non ita, ſi *remiſſiores* ſint, dum nempe *habitus* charitatis eſt intenſus *ut ſex*, *actus autem tantum ut duo.* Loco reſolutionis ſit 569

570 CONCLUSIO I. Quilibet actus charitatis etiam remiſſus *meretur* de condigno augmentum gratiæ & charitatis. *Eſt communis ex* S. D. *hic q.* 24. *a.* 6. *ad* 1.

571 Probatur: Quilibet actus remiſſus meretur aliquem gradum *gloriæ*; ut conſtat *ex Matth.* 10. *& Marci* 9. ubi dicitur, eum, qui dederit *calicem aquæ frigidæ* in nomine Chriſti, non fore privandum *mercede ſua*: ergo quoque meretur gradum *gratiæ* & charitatis: quia *hæc eſt* menſura gloriæ. Nihilominus quoque notanda eſt ſequens

572 CONCLUSIO II. Actus remiſſi merentur augmentum gratiæ & charitatis in *eſſe morali* ſeu juris tantum non in eſſe *phyſico*, entis, habitus, & qualitatis *ſtatim* conferendum. *Eſt expreſſa mens* S. D. 1. 2. *q.* 114. *a.* 8. *ad* 3.

573 Probatur: Actus *remiſſus* non poteſt eſſe diſpoſitio *phyſica* ad augmentum gratiæ & charitatis; quia ad hoc ut aliqua diſpoſitio ſit *phyſica & ultima*, debet habere tantam intenſionem in eſſe *actus* & diſpoſitionis, quantam habet habitus in eſſe *habtus* & formæ: atqui actus *remiſſus* non habet *tantam* intenſionem; ergo non auget gratiam & charitatem *phyſice*, ſed tantum moraliter, in quantum fundat *jus* ad *majorem* gradum etiam *phyſicum* gratiæ & charitatis, eoque mediante ab majorem gradum gloriæ ſuo *tempore* conſequendum.

574 Objicies 1. cont. 1. concl. Qui cum habitu charitatis *intenſo* elicit actum *remiſſum*, non *bene* utitur habitu; ergo non meretur hujus

hujus augmentum. a. p. Non elicit actum *proportionatum intenſioni* habitus: ergo (: ℞. n. c. Quia non poteſt oſtendi obligatio operandi ſecundum *totam* intenſionem habitus. Sic qui bene operatur ſervando *præcepta*, meretur præmium, etſi non faciat, quod eſt melius, ſervando *conſilia*:)

Ob. 2. Actus remiſſus *ſtatim* auget gratiam & charitatem *in eſſe morali*: ergo quoque *in eſſe phyſico*. c. p. Gratia in eſſe morali eſt *ipſum jus* ad gloriam: atqui hoc fundatur in *entitate* gratiæ (: ſemper *ſtatim* conferenda n. conferenda poſt *proportionatam* diſpoſitionem c. *Vid.* Theol. Schol. *tr. de pœnit. n. 100.* :) ergo. 575

Ob. 3. Actus intenſus *ut ſex* utique eſt *æqualis*, imo majoris dignitatis quam actus intenſus *ut duo*: ergo ſicut *iſte* in ſubjecto, *habente* charitatem ut *unum*, meretur *phyſicum* augmentum gratiæ *ſtatim* conferendum, ſic ille in ſubjecto habente charitatem *ut octo* (: n. c. Nam quod actus *intenſior* non mereatur augmentum gratiæ *phyſice* & ſtatim conferendum, non eſt *defectus* dignitatis ſed *diſpoſitionis* :) 576

Ob. 4. In *naturalibus* actus *remiſſi* nullo modo *augent* habitum præexiſtentem, ut habet S. D. *1. 2. q. 52. a. 3. in c.* ergo nec in *ſupernaturalibus* (: n. c. Quia actus remiſſi *ſupernaturales* ad augmentum gratiæ & charitatis concurrunt non ſolum diſpoſitive *phyſice* verum etiam *meritorie*: conſequenter etſi 577

non

non poſſint augere gratiam & charitatem in eſſe *qualitatis* ac habitus, poſſunt tamen augere in eſſe *gratiæ* & charitatis:) *Vid. cit.*
578 P. Wenzl. *n. 73.* Verum hæc relinquamus Theologis ſpeculativis, cum quibus inferimus, eo proportionaliter modo, quo *charitas* per opera meritoria augetur, etiam augeri habitus *aliarum* virtutum per ſe infuſos. Ratio eſt, quia habitus iſti in prima ſui infuſione commenſurantur quantitati gratiæ & charitatis, ceu proprietates ipſius: ergo facta intenſione ac augmento gratiæ etiam ipſi augentur. Pro praxi utilius

579 Quæres 1. An & quomodo præceptum amandi *Deum* obliget? ℞. Certum eſſe, dari præceptum charitatis ſeu dilectionis Dei, non tantum *negativum*; nunquam odio habendi Deum (quod ſemper obligat) ſed etiam *affirmativum*, de Deo appretiative ſuper omnia diligendo. Exprimitur hoc *Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et Matth. 30.* Hoc eſt *primum* & *maximum* mandatum &c. eoquod cætera præcepta in ipſo eminenter contineantur; ſitque omnibus præſuppoſitum tanquam *radix* & *finis* om-
580 nium. Obligat *per accidens*, quoties obligat aliud præceptum, quod ſine dilectione Dei ſuper omnia impleri non poteſt; ut ſi extra Sacramentum Pœnitentiæ tenearis te diſponere ad juſtificationem.&c. *Per ſe* autem etſi non ſemper (cum ſit præceptum *affimativum*) frequenter tamen, & certe ſæpius quam

quam ſingulis quinquenniis obligat; prout conſtat ex propoſitione 6. damnata ab Innoc. XI. Nominatim probabiliſſime obligat in *primo* inſtanti uſus rationis, ex dictis *in Theol. Schol. part. 3. n. 338.* & in articulo *mortis*, ut oſtendit P. Sporer *tr. 2. in 1. præcept. Dec. c. 5. ſ. 3. n. 35.* Reliqua tempora minus certa ſunt: de quibus videri poterunt cit. P. Sporer. P. Mezger *hic n. 7.* P. la Cr. *à n. 132.*

Quæres. 2. An & quomodo obliget præceptum amandi *proximum*? ℟. Pariter certum eſſe, dari præceptum affirmativum amandi *proximum*, expreſſum *Matth. 22. Secundum autem ſimile eſt huic: diliges proximum tuum ſicut teipſum. Et 2. Jo. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* In quo præcepto implicite continetur præceptum *negativum*, nunquam *odio habendi* proximum, ſemper & pro ſemper obligans. Præceptum affirmativum rurſus vel *per ſe* (hoc eſt ratione *ſui*) vel per *accidens* obligat, hoc eſt ratione *alterius* præcepti, quod ſine actū aliquo charitatis erga proximum impleri non poteſt. *Proximi* autem nomine non tantum venit amicus ſed etiam inimicus: *diligite inimicos veſtros Matth. 5.* Unde non ſolum prohiberis inimico optare aliquod *malum* (id enim adverſatur præcepto *negativo* charitatis) ſed inſuper obligaris inprimis exhibere *omnia* charitatis officia aliis *communiter* exhiberi ſolita. Deinde teneris, eidem

581 582 583

eidem in *extrema* neceſſitate conſtituto ſucurrere, velut alteri cuicunque. Denique adſtringeris eidem veniam petendi ex corde remittere *offenſam* (non tamen *ſatisfactionem* debitam; nam hanc petere, ſecluſo malo affectu, etiam in judicio eſt licitum. Reifſenſt. *n. 20.*) ex præcepto Domini *Matth. 18. & Luc. 17. &c.* Cæterum hoc præceptum extendit ſe etiam ad perſonam *propriam*: quia dum dicitur, *diliges proximum tuum SICUT teipſum*, præceptum diligendi ſeipſum ſupponitur.

584 Quæres 3. Quandonam, & qualiter quis teneatur ex charitate cum inimico ſuo *reconciliationem* incipere petendo veniam verbo, facto, vel ſpecialibus quibusdam ſignis? & quando alter veniam petitam teneatur dare, ſique reconciliationem complere?

℟. 1. Ad prius: *inprimis* tenetur, qui alterum innocentem graviter offendit, ut conſtat ex materia de reſtitutione. Excipe tamen 1. niſi læſus fuerit abſens, nec facile conveniri queat. 2. Si hoc deberet fieri cum graviore tuo damno. 3. Si prævideatur, quod læſus petitionem veniæ non ſit acceptaturus, aut inde magis irritandus.

585 ℟. 2. Si duo *mutuo* ſeſe offenderunt, & inimici facti ſunt, offenſæque *æquales* ſunt, tunc utrique æque incumbit, data occaſione opportuna, inchoare reconciliationem, Si autem offenſæ *inæquales* ſunt, tunc tenetur reconciliationem incipere, qui *gravius* offendit; alias vero, qui *prius*.

℟. 3.

℞. 3. Si offendens *ſincere*, & *congruo* tempore reconciliationem incepit, tenetur offenſus reconciliationem complere, remittendo *offenſam*; juxta illud *Luc. 17. Si peccaverit in te frater tuus, &c. pœnitentiam egerit, dimitte illi &c.* Talis obligatio nihilominus non foret ſi offendens peteret veniam tantum ſimulatorie; *aut incongruo* tempore, dum nempe offenſa eſt atrox & adhuc recens, ut docet P. Sporer *hic n. 43.* modo nullam malevolentiam in pectore retineat. *Vid.* P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *hic ſub n. 25.* 586

Quæres 4. Quinam ſint *actus*, vel potius effectus charitatis erga proximum? ℞. Plures; inter quos alii ſunt *interni*, ut dilectio, gaudium, pax, miſericordia &c. alii *externi*, ut beneficentia, eleemoſyna, *correctio* fraterna. Ut *hæc* ultima (quæ hoc loco ſpecialiter ventilari ſolet, uti & eleemoſyna, de qua n. ſequenti) graviter obliget, requiritur 1. Ut ſit peccatum *mortale*, aut graviter periculoſum. 2. Ut adſit moralis *certitudo illius*. 3. Ut non ſit *alius*, qui commodius poſſit corrigere. 4. Ut ſit ſpes probabilis *emendationis*. 5. Ut pro hic & nunc ſit *tempus* commodum corrigendi. 6. Ut ex tali correctione *corrigenti* non immineat majus malum. Quodſi ex his circumſtantiis aliqua deficiat, tunc non obligare præceptum correctionis, communis eſt DD. ſententia. Quoad penultimum 587

Quæ-

588 Quæres 5. An & quando ſit obligatio dandi *eleemoſynam* ? ℞. Datur præceptum grave dandi eleemoſynam: quia non *dantes damnabuntur* per illam ſententiam: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* &c. Interim ut obliget ſub gravi, requiritur, *ut dans* habeat bona ſuperflua naturæ (id eſt non neceſſaria ad vitam ſuam, ſuorumque ſuſtentandam) & ut *accipiens* ſit in *gravi* neceſſitate. Nam ſi ſit in neceſſitate *communi* ſolum, obligatio tantum erit ſub *veniali*: imo neque ſub *hoc*, ſi adſit aliqua ratio negandi ſaltem *aliquibus*. Etenim ſi dives omnes omnino pauperes à ſe repellat, cenſetur eſſe in malo ſtatu, & cum divite epulone vi charitatis Dei & proximi exutus, ut loquitur P. Reiffenſt. *hic n. 44.* Plura ſubminiſtrabit P. Elbel *Part. 2. conſ. 9. à n. 271.*

ARTICULUS II.

Quænam ſint vitia charitati Theologicæ oppoſita?

589 PRænot. 1. Charitati Dei opponi *odium* Dei, qui licet *ſecundum ſe*, ut ſummum bonum, à nullo poſſit haberi odio (nam ubi nulla eſt ratio mali, ibi nullus poteſt eſſe actus odii) ſi tamen conſideretur ſecundum effectus ſuos, quatenus ſc. punit pecca-

peccatores, ponit leges carni repugnantes &c. taliter à dæmonibus & aliquibus perverſis hominibus odio habetur. Eſt peccatum omnium graviſſimum; quia in *ipſo per ſe* importatur averſio ab ultimo fine, quæ in aliis peccatis tantum participative, & per modum *generalis* conditionis involvitur.

Prænot. 2. Charitati proximi juxta diverſitatem actuum, quos charitas operatur, diverſa vitia & peccata opponi. Sic dilectioni opponitur *odium*, de quo ſtatim plura; gaudio *invidia*, qua de ipſius bono triſtamur; paci *diſcordia*, qua diſſentimus voluntati proximi, ubi conſentire tenemur. *Hæc* ſi verbis manifeſtetur, erit *contentio*, ſi in opus prodeat, & pugnam cieat inter privatos, erit *rixa*; ſi inter cives erit *ſeditio*; ſi ſit diſceſſio ab unione Eccleſiæ, erit *ſchiſma*, hoc eſt ſciſſio pacis & unionis eccleſiaſticæ &c. quæ omnia eſſe ſpecialia peccata charitati oppoſita, clare & late perſequitur D. Th. *1. 2. q. 39.* 590

Prænot. 3. Circa vitia enumerata non eſſe magnam difficultatem; aliquam tamen in praxi facere primum vitium, nempe *odium*. Eſt duplex: unum *odium perſonæ*, quo perſonæ cuipiam, nobis diſplicenti, malum volumus, quatenus ipſi malum eſt: quod alio nomine vocatur *odium inimicitiæ*. Alterum appellatur *odium qualitatis*, quo perſonam averſamur duntaxat *ſecundum malum* ipſi adjacens quod nobis vel aliis contrarium eſt; & hoc 591

vocatur odium *abominationis.* Circa prius ſit

592 CONCLUSIO I. Odium proximi quoad perſonam, ſeu odium inimicitiæ, eſt ex genere ſuo peccatum mortale. *Communis & certa apud nos.*

Probatur: Odium hoc immediate & directe opponitur virtuti præſtantiſſimæ, nobisque graviter præceptæ: ergo eſt peccatum grave & mortale.

593 CONCLUSIO II. Odium proximi quoad *qualitatem*, ſeu odium abominationis, interdum culpa vacat, interdum etiam laude dignum eſt. *Iterum omnes.*

Probatur: Odium *hoc* eſt odium *qualitatis*, tantum: atqui non tenemur amare proximum ſecundum omnes *qualitates*, ſed aliquas, nempe vitioſas laudabiliter abominamur; ergo hoc odium culpa vacat interdum; imo & laudabile eſt.

594 Objicies 1. cont. 1. concl. Homines in confeſſione ſæpe ſe accuſant, quod habuerint *faſtidium* & indignationem erga *perſonam* proximi, & tamen confeſſarii in hoc frequenter non agnoſcunt peccatum grave: ergo odium proximi quoad perſonam non eſt peccatum mortale (:℟. d. c. per accidens, ob *parvitatem* materiæ, vel ob imperfectam *advertentiam* c. ex genere ſuo n. :)

595 Ob. 2. In odio quoad *Deum* non datur *parvitas* materiæ; ergo neque in odio quoad

pro-

proximum (: n. c. Quia Deus eſt ſumum bonum : non item homo :)

Ob. 3. cont. 2. concl. Ille non peccat graviter, qui de alicujus *infirmitate* vel morte lætatur, eoquod ſic non amplius poſſit nocere communicati, aut ſibi eſſe occaſio peccandi: Item non peccat, qui triſtatur, dignitates conferri indignis, impios exaltari &c. ut habet communis DD. ergo proximo *velle malum*, non ſemper eſt peccatum grave; conſequenter neque ejus *odium* (: ſi ſit odium præciſe quoad *qualitatem* c. ſi quoad *perſonam*, quæ eſt ad imaginem DEI formata & capax beatitudinis) n. Quinimo probabiliter non peccat mater, quæ mortem filiarum exoptat, eoquod non habeat, unde eas honeſte nuptiis tradat. Item neque ille, qui cum debita *reſignatione* ſibi à DEO mortem exoptat ad ſubterfugiendas multiplices miſerias hujus ſæculi, & multo magis ob metum peccati, aut deſiderium videndi DEUM. *Vid.* P. Reiffenſt. *hic n. 9.* P. la Cr. *l. 2. n. 186.* :) 596 597

Ob. 4. Filius poteſt deſiderare & gaudere de *morte patris* ob accipiendam inde hæreditatem: ergo velle alteri malum non eſt prohibitum. a. p. Filius licite deſiderat & gaudet de ipſa *hæreditate*; ergo quoque licite deſiderat & gaudet de morte, cauſante illam hæreditatem (: n. c. Quia deſiderium vel gaudium de morte patris non habet objectum *honeſtum*; *quale* tamen habet deſiderium vel gaudium de *hæreditate*; nam utique de *hac* non debeo tri- 598

 ſtari?

ſtari ? ergo licite poſſum gaudere. Ita expreſſe tenet P. la Cr. *l. 2. n. 187.* Cardenas, Viva, Babenſtuber, Sporer, Elbel *conf. 11. n. 335.*

599 Deduces 1. *Maledicere* ſeu imprecari alteri malum grave, v. g. ut fulmine, laqueo pereat, diabolus rapiat &c. eſſe ex genere ſuo peccatum mortale, ſi *ſerio* fiat, & ex animo *deliberato*, ut eveniat: Imo ſi fiat in faciem, talis maledictio contrahit duplicem malitiam *ſpecie* diſtinctam, nempe *charitati*, & *juſtitiæ* repugnantem, adeoque in confeſſione neceſſario exprimendam. Excuſat tamen à mortali 1. Materiæ levitas. 2. Imperfectio actus, utpote ex ſubito motu &c. 3. Defectus malæ intentionis ſeu voluntatis, ut eveniat? ſi nempe tantum fiat ad expreſſionem ſuæ indignationis, vel doloris de nocumento, vel ad terrorem alterius &c. etſi mala gravia ſint, & deliberate optentur. P. Sporer *tr. 2. c. 6. ſect. 2. n. 11.* Nunc, ut etiam quid de reſiduis vitiis charitati oppoſitis dicamus,

600 Deduces 2. Correctioni fraternæ, de qua *n. 587.* directe opponi *ſcandalum*, quod deſcribitur: eſt *dictum, vel factum, vel etiam omiſſum, minus rectum, præbens proximo occaſionem ruinæ ſpiritualis.* Dividitur in *activum* (eſtque ipſum *dictum* vel *factum* præbens occaſionem *ruinæ*) & *paſſivum*; quod eſt ipſa ruina. Scandalum activum ſubdividitur in *directum* (quando ruinam directe *intendo*) &

indi-

indirectum quando ruinam quidem non intendo, interim tamen quid *minus rectum* ago ex quo prævideo talem ruinam ſecuturam : item in *datum* (quod oritur ex dicto vel facto, *re ipſa* minus recto) & *acceptum*) quod accipitur ex dicto vel facto de ſe recto vel ſaltem *non-malo*) & hoc poſterius in ſcandalum *puſillorum* (ſi ex re indifferente ſumitur ſcandalum ob ignorantiam vel fragilitatem) & *Phariſæorum* : ſi ex tali re indifferente ſumitur ſcandalum ob propriam *malitiam*, uti fecere Phariſæi. Jam certum eſt, ſcandalum *activum* non tantum directum ſed etiam indirectum ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, quoties quis *tenetur abſtinere* ab illo minus bene dicto vel facto, præbente occaſionem ruinæ. Interim quoque datur *parvitas* materiæ, ut ſi quem inducam ad leve mendacium : & quemadmodum non ſemper datur *obligatio* abſtinendi à tali actione, ita ſæpius datur cauſa excuſans à peccato ſcandali. Hinc

Deduces 3. Ad evitandum ſcandalum 602
vel impediendum peccatum proximi 1. nunquam licet ponere actionem *intrinſece* malam : quia nullatenus ſunt facienda mala ut eveniant bona. *c. 8. & 10. XXXII. q. 4.* & quilibet magis tenetur vitare peccatum in *ſe ipſo*, quam in altero. S.Th. *4. diſt. 38. q. 2. a. 2. ad 2.* 2. Nemo tenetur per ſe loquendo, omittere actionem ſeu opus *præceptum* : imo neque opus *conſilii*, aut etiam *indifferens* ; ſi fiat ex cauſa *rationabili*. Ratio eſt : quia nemo nos obli-

gare poteſt ad *abſtinendum* ab actione ſecundum ſe *honeſta*, aut permiſſa; ergo ſi quis inde ſcandalizetur, id adſcribat ſuæ vel fragilitati vel malitiæ: nam taliter operans utitur jure ſuo, nec cooperatur peccato alterius, ſed tantum permittit; quod ex rationa-
603 bili cauſa utique licitum eſt. Sic excuſari poſſunt caupones vinum præbentes illis, qui timentur ſe inebriaturi; vel præbentes cœnam eis, qui eamdem in die jejunii petunt: item & famuli parantes menſam, inſervientes, coquentes &c. Idem proportionaliter dicendum eſt de mercatoribus, vendentibus ornamenta, fucos &c. P. Sporer, la Cr. apud P. Elbel *n. 363.* P. Reiffenſt. hic *n. 23.* Ubi videri poterit Appendix continens ſex utiles caſus circa materiam ſcandali 3. Denique ad ſcandalum non ſufficit (ut bene advertit P. Mezger *tr. 10. d. 22. a. 5. §. 3. n. 19.*) quod peccatum coram aliis committatur; neque quod ob aliquod dictum vel factum deterius alii *malam* opinionem de *peccante* concipiant; quod *vulgari* modo vocant *ſcandalizari*: ſed omnino requiritur, ut ſit *periculum* ne ii, coram quibus peccatum committitur, per illud ad peccatum *inducantur*. Pro coronide hujus Partis primæ, circa bellum, quod opponitur charitati & paci *publicæ*, breviſſime

604 Deduces ult. Bellum (ſive mere defenſivum ſit, ſive etiam offenſivum) ſi debitis conditionibus veſtiatur, licitum eſſe. Illæ con-

conditiones autem ſunt 1. *Authoritas* legitima Principis, Superiorem non agnoſcentis. 2. Juſta *cauſa.* 3. Tandem recta *intentio.* Eſt poſſibile, ut bellum ſit ex *utraque* parte juſtum *formaliter* (quia ſæpe ob ignorantiam, vel diverſarum opinionum probabilitatem jus incertum eſt) non tamen materialiter: eoquod *à parte rei* uni tantum jus competat. Subditi in *dubio* de juſtitia belli pro Principe præſumere poſſunt, eique parere, & militare: nam in dubio ſubditus tenetur obedire Principi vel Superiori ſuo. Milites *extranei* tamen & *voluntarii* juſtitiæ cauſam magis examinare tenentur. Porro in bello juſto licite 605
occiduntur omnes *nocentes*, non ſolum in ipſo pugnæ congreſſu ſed etiam poſt partam victoriam, ſi eorum mors neceſſaria videatur: non tamen innocentes (quales ſunt pueri, mulieres, religioſi, clerici, peregrini, ruſtici &c.) ſaltem per ſe; etſi ſubinde per accidens occidi poſſint, ſi nempe victoria aliter obtineri nequeat, uti fit in oppugnatione urbium &c. quippe tunc ratio boni *communis* præponderat privato. Inſuper: in bello *juſto* bona temporalia *mobilia* ab hoſtibus capta, jure gentium fiunt *occupantis* (quod verum eſt, niſi conſuetudo vel leges particulares locorum contrarium ſtatuant) bona *immobilia* autem fiunt Principis vel Reipublicæ, juſtum bellum indicentis. In bello *injuſto* omnia ſunt obnoxia reſtitutioni. Quin etiam in bello *juſto* bona *ſpiritualia* ablata, ut

ut ſunt calices, paramenta pretioſa &c. debent reſtitui. Ratio eſt: quia non fiunt capientium; cum ſint extra commercium humanum. De quibus plura P. Kreſslinger apud P. Reiffenſtuel *tr. 4. diſt. 7. q. 4.* ſub *n. 50.* P. la Croix *l. 3. p. 1. à n. 848.* Hic nunc ſit belli, Partisque hujus primæ

FINIS.

Ut in omnibus glorificetur DEUS.

CURSUS
THEOLOGIÆ
MORALIS
ABBREVIATUS,

Id eſt,

Tractatuum Theologico-Moralium omnium Summa

Seu

COMPENDIUM,

Quod

In uſum SS. Theologiæ Studioſorum, pro Gradu, Ordinibus, Cura &c. examinandorum, imo & in ipſorum Examinantium, aliorumque Theologorum commodum è ſuis Prælectionibus nuper fuſius traditis

Collegit

R. P. ANSELMUS SCHNELL,

O. S. B. in Imper. Monaſt. Weingartenſi Profeſſus ac Profeſſor emeritus; nunc Prior ibidem.

PARS II.

Complectens Tractatus de Religione, horis canonicis, juramento, voto, juſtitia, cæterisque virtutibus cardinalibus, uti & de contractibus.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſtatis ſpeciali ac Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus Joan. Jacobi Mauracher, Bibliopolæ, 1744.

INDEX TITULORUM
PRO PARTE II.
THEOLOGIÆ MORALIS.
TRACTATUS I. DISPUTATIO I.
De Religione & vitiis oppoſitis.
QUÆSTIO I.
De ſpeciebus ſeu actibus religionis.

Numerus eſt Marginalis.

ART. I. An, & quo cultu afficiendi ſint Sancti, horumque imagines, & reliquiæ? *n. 1.*

2. Quæ, & quot ſint vitia religioni oppoſita per exceſſum? *n. 35.*

QUÆSTIO II.

De vitiis Religioni oppoſitis per defectum.

Art. 1. Quale peccatum ſit tentatio Dei, ſacrilegium, & blaſphemia? *n. 55.*

2. Quid ſit ſimonia? *n. 71.*

3. Quæ ejus pœnæ? *n. 98.*

DISPUTATIO II.
De horis canonicis, voto, & juramento.

QUÆSTIO I.
De horis canonicis.

Art. 1. Quinam teneantur recitare horas canonicas? *n.* 124.
2. Qualiter dicendæ ſint horæ canonicæ? *n.* 142.

QUÆSTIO II.
De juramento.

Art. 1. Quænam conditiones requirantur ad juramentum licitum? *n.* 171.
2. Quomodo obliget juramentum promiſſorium? *n.* 187.

QUÆSTIO III.
De voto.

Art. 1. Quomodo votum obliget? *n.* 203.
2. Quomodo votorum obligatio deſinat? *n.* 225.

TRACTAT. II. DISPUTATIO I.
De juſtitia, cæteriſque virtutibus Cardinalibus.

QUÆSTIO I.
De objecto, diviſione, & ſubjecto juſtitiæ.

Art. 1. Quid & quot ſint virtutes cardinales? ubi etiam de Martyrio. *n.* 249.

2. Quot

2. Quot ſpecies proprie tales juſtitia habeat? n. 264.

QUÆSTIO II.

De jure & dominio.

Art. 1. Quid ſit dominium plenum & perfectum? n. 284.
2. Quid, & quotuplex ſit dominium ſemiplenum? ubi de uſu rerum conſumptibilium. n. 296.

DISPUTATIO II.

De ſubjecto dominii, modisque illud acquirendi.

QUÆSTIO I.

De ſubjecto remoto dominii.

Art. 1. An Clerici ſint domini redituum ſuperfluorum? n. 314.
2. An, quale, & qui Religioſi habeant dominium? n. 336.
3. An, & quale dominium habeat filiusfamilias? maritus? uxor? ſervus? n. 360.

QUÆSTIO II.

De modis acquirendi dominium.

Art. 1. Quomodo abquiratur dominium per occupationem? ubi de venatione. n. 384.
2. Quomodo per inventionem & acceſſionem? n. 403
3. Quomodo acquiratur dominium per præſcriptionem? n. 417.

TRACTAT. III. DISPUTATIO I.

De contractibus gratuitis.

QUÆSTIO I.

De promiſſione, donatione, commodato, precario, & depoſito.

Art. 1. Quid ſit promiſſio, & quomodo obliget? n. 438.

2. Quid ſit donatio, commodatum, precarium, & depoſitum? n. 458

QUÆSTIO II.

De teſtamentis & ultimis voluntatibus.

Art. 1. An teſtamentum non ſolemne valeat in foro conſcientiæ? n. 479

2. Quid ſit codicillus, legatum, fideicommiſſum, & donatio mortis cauſa? n. 500.

3. Quinam teſtari queant? n. 515.

DISPUTATIO II.

De contractibus oneroſis.

QUÆSTIO I.

De mutuo, uſura, aliiſque contractibus huc pertinentibus.

Art. 1. Quo jure uſura ſit prohibita? & num licita fieri poſſit? n. 531.

2. Utrum emptio cenſus, cambium, montes pietatis &c. involvant uſuram? n. 554.

QUÆSTIO II.

De emptione, venditione, ludo, & ſponſionibus.

Art. 1. An licitum ſit quolibet pretio vendere, & emere? n. 580.

2. Utrum ludus & ſponſiones ſint licitæ? n. 598.

CUR-

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS ABBREVIATI PARS II. COMPLECTENS

Tractatus de Religione, horis canonicis, juramento, voto, juſtitia, cæteriſque virtutibus cardinalibus, uti & de contractibus.

VIrtutes Theologicas proxime inſequuntur *Morales*: taliter nominatæ, quia pro objecto immediato non habent ipſum *DEUM*, aut perfectionem Divi-

 nam,

nam, ſed bonitatem quamdam *moralem*, ſimulque in formandis hominum *moribus* occupantur. Ex his præcipua eſt Religio, quam cum virtutibus ad illam reducibilibus, vitiisque oppoſitis, contemplabimur in Tractatu primo per duas Diſputationes: in ſecundo deinde juſtitiam, cæterasque virtutes cardinales: in tertio demum materiam de contractibus in compendium contracturi.

TRACTATUS I.

DE RELIGIONE, HORIS CANONICIS, VOTO ET JURAMENTO.

DISPUTATIO I.

DE RELIGIONE, ET VITIIS OPPOSITIS.

RELigio hic non ſumitur pro formula *cultus* Divini omnibus *communi*, qualiter dicitur religio Chriſtiana, religio Catholica: nec pro ſtatu religioſo, qualiter dicitur religio Benedictina, Seraphica &c. Sed pro *virtute*, qua DEO debitum cultum exhibemus. De qua proinde, vitiisque eidem oppoſitis, in hac prima Diſputatione per Quæ-

Quæſtiones duas diſcurremus: in altera poſtmodum de horis canonicis, voto, & juramento.

QUÆSTIO I.

DE SPECIEBUS SEU ACTIBUS RELIGIONIS.

ARTICULUS I.

An? & quo cultu afficiendi ſint Sancti? eorumque imagines & Reliquiæ?

PRænotandum 1. Religionem definiri, 1
quod ſit *virtus moralis, inclinans ad debitum cultum DEO tanquam primo rerum principio exhibendum.* Objectum ejus materiale immediatum eſt ipſe *cultus* DEO exhibendus; per hoc enim diſtinguitur à virtutibus theologicis, quod DEUM immediate non reſpiciat, ſed tantum *mediante* cultu. Objectum *formale* vel eſt ipſa Divina *excellentia*, vel *debitum* in ea fundatum, indeque conſurgens *honeſtas* colendi DEUM. Adeoque religio 2
inter virtutes *morales* eſt præſtantiſſima, quia habet objectum præſtantiſſimum, & actus omnium aliarum virtutum imperat; eoquod omnes aſſumi poſſint, ut medium colendi DEUM. Actus religionis univerſim ſunt un-

decim, videlicet *devotio*, *adoratio*, *oratio*, *ſacrificium*, *oblatio*, *primitiæ*, *decimæ*, *votum*, *juramentum*, *adjuratio*, & *laus Dei.* Ex his aliqui ſunt mere interni, ut oratio, aliique affectus mere *mentales*: alii autem in- & externi *ſimul*, ut ſacrificium, oblatio &c. Ut de ſingulis quid dicatur, eſt

3 Prænot. 2. *Devotionem*, prout hoc loco ſumitur, eſſe piam affectionem, ſeu *promptam voluntatem faciendi ea, quæ ad cultum Divinum pertinent*, ut ſunt orationes, laudes Dei &c. Adeoque eſt actus religionis immediatus, *elicitus*, ac ſemper *internus*: reliqui vero ſunt actus ejus ſolum mediati & imperati. Sacrificium (de adoratione agetur *n. 5.* & de oratione *n. 32.*) eſt *oblatio externa, Deo facta per deſtructionem vel notabilem immutationem rei ſenſibilis in proteſtationem ſupremi dominii Dei & noſtræ ad eum ſubjectionis.* De quo aliqua in Theol. noſt. Schol. *Part. 7. à n. 691. Oblatio* eſt *ſpontanea donatio* ad *cultum* Dei: de qua dicitur quid in *Part. 3. n. 423. Primitiæ* vocantur *primi fructus* agrorum, arborum &c. Deo in ſignum gratitudinis, noſtræque ſub-
4 jectionis oblati. *Decimæ* ſunt pars *decima* omnium *fructuum* juſte acquiſitorum, Deo in recognitionem ſui dominii univerſalis debita, atque Eccleſiæ miniſtris *quotannis* exſolvenda. De quibus quoque plura in cit. *Part. 3. à n. 422. Adjuratio* eſt *rei ſacræ conteſtatio* ad permovendum alterum. Fit vel *præcipiendo*; ut faciunt Exorciſtæ: vel *deprecando*; qualiter

facit

facit Eccleſia in ſuis *precibus* ſupplicans
exaudiri per Chriſti adjurationem, dum in
earum fine ſolet ſubjungere: *per Chriſtum dominum noſtrum, amen. Laus* Dei eſt ejus exaltatio præſertim in oratione.

Prænot. 3. Adorationem in genere à S. 5
Damaſceno *orat. 1. de imag.* definiri: eſt *nota ſeu ſignificatio ſubmiſſionis erga alterius perſonæ dignitatem.* Quæ definitio quatuor importat. 1. Internum judicium *intellectus* de alterius excellentia. 2. Affectum & propoſitum *voluntatis* externe ſignificandi talem exiſtimationem. 3. Ipſam *externam* ſignificationem: in qua formaliter ſita eſt eſſentia adorationis. 4. Dignitatem ſeu Superioritatem; nam *adoratio* eſt erga ſolos ſuperiores; *laudatio* autem, *honoratio*, & *glorificatio* erga pares &
inferiores. Dividitur in *politicam* ſeu civilem 6
(quæ defertur alicui propter excellentiam *naturalem*) & *ſacram* ſeu canonicam, quæ alicui defertur propter excellentiam *ſupernaturalem*: & ſubdividitur in *latriam* (quæ ob *ſupremam* excellentiam *increatam* debetur ſoli *Deo*) in *Hyperduliam* (quæ ob excellentiam, *creatam* quidem, ſed in gradu *eminentiori*, quam habent omnes aliæ creaturæ, debetur Beatiſſimæ Virgini) & in *duliam*, quæ propter excellentiam *participatam* debetur *reliquis* Sanctis. Quod ſi quid adoretur propter excellentiam & ſanctitatem ſibi *intrinſecam*, dicitur adoratio *abſoluta*: ſi propter excellentiam & ſanctitatem non ſibi, ſed *alteri* ine-

xiſtentem, ad *quod* importat reſpectum, dicitur adoratio *reſpectiva.* Jam

7 Prænot. 4. *Objectum* adorationis eſſe diſtinguendum in *motivum*, & *terminativum*: motivum eſt illa ratio, quæ *movet* ab exhibendum alteri adorationem: objectum *terminativum* autem eſt, quod adorationem terminat. Sic in homine docto & pio objectum *motivum* eſt ratio *doctrinæ*, & *pietatis*: objectum *terminativum* autem eſt *homo*, tali doctrina & pietate præditus. Modo certum eſt, non tantum Deum, totamque SS. Trinitatem, ſed etiam *Chriſtum*, ut hominem debere adorari cultu latriæ, ly *ut homo* ſumendo ſpecificative, ita ut *humanitas* ſit objectum terminativum hujus adorationis: non vero, ſi ly *ut homo* ſumatur in ſenſu *reduplicativo*; tunc enim adorari poteſt cultu duliæ excellentis ſeu hyperduliæ.

8 Ratio primi eſt hæc: Chriſtus ut homo, ſive *humanitas* Chriſti unita Verbo, adorari debet *eodem* cultu, quo adoratur Verbum Divinum, uti docet Concil. Epheſ. Anath. 8. atqui *Verbum* adoratur, & debet adorari cultu *latriæ*, & quidem *abſoluto*; ergo & humanitas, utpote cui Divinitas, ceu motivum formale per unionem hypoſtaticam ineſt *intrinſece*: Ratio ſecundi eſt: quia Chriſtus *ut* homo, ly *ut* reduplicante *humanitatem*, non importat aliquam *excellentiam Divinam*, formaliter talem: ergo hoc modo conſiderata non debet adorari cultu & adoratione latriæ, conſequen-

quenter cultu aliquo inferiore: num ſolo? decidimus in Theol. Schol. *Part. 6. à n. 629.* Nunc loco reſponſionis ad quæſtionem, factam in titulo, ſit

CONCLUSIO I. Sancti omnes pie coluntur & adorantur cultu *duliæ*: Beatiſſima Virgo autem etiam cultu hyperduliæ. *Ita omnes Catholici.* 9

Prob. 1. pars: Omnes Sancti, Angeli nempe & homines Beati, habent *ſingularem* quandam *eminentiam* & dignitatem ſupernaturalem; quia ratione gratiæ habitualis, quæ in ipſis reperitur, ſunt membra Chriſti, filii, & amici Dei: ergo ratione *illius* cultu duliæ pie coluntur, & adorantur. Maxime: quia hoc licitum, piumque eſſe, oſtendunt S. Scripturæ exempla, atque S. Eccleſiæ praxis conſtans & antiquiſſima. 10

Prob. 2. pars: Sanctitas Beatiſſimæ Virginis habet ſingularem prærogativam, & *præeminet* excellentiæ *omnium aliorum* Sanctorum: ergo huic debetur cultus & adoratio eminentior, ſc. cultus hyperduliæ. Taceo authoritates S. Scripturæ, exemplum ipſius Chriſti, & conſenſum SS. PP. totiusque Eccleſiæ Catholicæ tam Græcæ quam Latinæ, ergo. 11

CONCLUSIO II. Imagines Sanctorum ſunt honorandæ cultu *reſpectivo* duliæ: uti & eorum Reliquiæ. *Ita iterum omnes Catholici.* 12

Prob. 1. pars. Imagines repræſentant ipſos *Sanctos*; ergo propter *hos* honorandæ ſunt, adeoque cultu duliæ *reſpectivo*: nam honor ima- 13

imagini exhibitus redundat in honorem ſui prototypi.

14 Prob. 2. pars: Lumen naturale dictat, honeſtum & æquum eſſe, venerari id, quod fuit *organum* ad opera bona & virtutes exercendas, *inſtrumendum* Dei ab patranda miracula, *deſtinatum* ad perennem in cœlo gloriam & *incitamentum* ad varias virtutes, patientiæ, charitatis, fortitudinis &c. atqui tale quid ſunt *Reliquiæ* Sanctorum; ergo quoque honorandæ ſunt cultu duliæ reſpectivo. Præcipue: quia etiam ipſe Deus *illas* honorat, mediantibus illis patrando miracula, &c. ergo.

15 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. In S. Scriptura *Deut. 6.* ſoli Deo appropriatur *adoratio* (: R̸. d. a. *latriæ* c. hyperduliæ vel *duliæ* n.:) ergo Sancti non poſſunt adorari.

16 Dices: Hunc *numero* hominem, qui dicitur *Sanctus*, eſſe in cœlo, non eſt de fide (: abſtrahendo à *determinatione* Eccleſiæ t. ſuppoſita hujusmodi determinatione n. *Vid.* Theol. Schol. Part. *3. à n. 427.* :) ergo neque de fide eſt, eſſe adorandum.

17 Ob. 2. cont. 2. part. Cruci Chriſti, ob contactum membrorum Chriſti, debetur cultus *latriæ* reſpectivus: ergo etiam Beatiſſimæ Virgini (: n. c. Quia cultus hyperduliæ abſolutus eſt *major*, quam cultus *latriæ reſpectivus*: nam *hic* alicui exhibetur tantum ex motivo *extrinſeco*, ſeu ratione dignitatis in *alio* exiſtentis: ille autem exhibetur ob dignita-

nitatem *intrinſecam*, & quidem *ſummam* inter creaturas:)

Ob. 3. Mater Regis debet *eodem* cultu 18
affici, quo ipſe Rex (: ſi ſint *ejusdem* ordinis, ut ſit in *humanis* c. ſi *diverſi* n. Chriſtus autem habet excellentiam *infinitam*, Beatiſſima Virgo finitam tantum :) atqui Chriſto debetur cultus latriæ; ergo & ejus Virgineæ Matri.

Ob. 4. cont. 2. concl. part. 1. S. Scrip- 19
tura proſcribit uſum *imaginum* (: ſi colantur ratione *ſui* & tanquam *dij* c. ſecus n. :) ergo non eſt licitus. a. p. *Exod.* 20. dicit: *non facies tibi ſculptile*; ergo.

Oggeres: *Deus* & *Angeli* ſunt aliquid ſpi- 20
rituale & incorporeum; ergo ſaltem horum imagines non ſunt ſuſtinendæ. c. p. Materiale non poteſt repræſentare *ſpirituale* (: prout eſt in ſe c. prout *apparuit*, vel quatenus habet *analogiam* cum re corporea n. :) ergo.

Ob. 5. Cultus, quem Catholici exhi- 21
bent imaginibus, eſt idololatricus: ergo. a. p. Faciunt quod Iſraelitæ, vitulum aureum adorantes: ergo. a. p. Iſraelitæ non credebant; vitulum illum eſſe Deum, ſed in illo volebant colere *verum Deum* (: n. hoc; ſecus enim Aaron, intendens in vitulum aureum, non potuiſſet exprobrare populo: *hi ſunt dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Exod.* 32. :)

Ob. 6. Imago *qua imago* eſt reſpectiva: 22
ergo non poteſt coli qua *imago* (: *inadæquate* ſumpta c. *adæquate* ſumpta n. Quippe *imago*, *cum* ſit quid reſpectivum, dicit fundamentum & termi-

terminum; conſequenter ſumpta *inadæquate*, videlicet ſine termino, non eſt capax honoris :) deinde: Homo eſt imago Dei: ergo juxta nos debebit *coli* religioſe (: n. c. Quia homo communiter non conſideratur ut *imago* Dei: & ſi taliter conſideraretur, poſſet etiam taliter coli :)

23 Ob. 7. cont. 2. concl. part. 2. Si Reliquiæ Sanctorum colendæ ſunt, tunc etiam colenda forent eorum *ſepulchra*: atqui *hæc* non poſſunt coli; ergo. m. p. Chriſtus *Matth.* 22. reprehendit Phariſæos quod *ædificent & ornent ſepulchra Prophetarum & monumenta juſtorum* (: quatenus hoc fecerunt ex *hypocriſi* & mala alioquin *intentione* c. ſecus n. :) ergo.

24 Ob. 8. In Epiſtola S. Judæ Apoſtoli legitur, quod S. Michaël reſtiterit, & habuerit altercationem cum *ſathana*, *qui* volebat, ut corpus Moyſis defuncti revelaretur: ergo Reliquiæ Sanctorum colendæ proponuntur ex inſtinctu diaboli (: ubi eſt *periculum* idololatriæ, quale tunc temporis fuit apud Judæos, c. ſecus n. ſi enim Reliquiæ Sanctorum non forent honorandæ, corpus ejusdem *Moyſis* non fuiſſet ſepultum miniſterio Angelorum; quod tamen factum legimus *Deut. ult.* :)

25 Inſtas: Concilium Elberitanum *can.* 4. prohibet, ne cerei accedantur ad ſepulchra Martyrum (: ſi fiat ex vana *ſuperſtitione* ad evocationem manium c. ſecus n. :) ergo cenſet, Reliquias SS. non eſſe colendas.

Ob.

Ob. ult. In Reliquiis *Sanctorum* nihil ſupe- 26
reſt quod ad *eosdem* pertineat, quam *materia* prima (: cum connotatione tamen ad *unionem* habitam & *habendam* cum *anima*, nunc inſuper DEO *fruente* c. ſecus n. Imo ad cultum illatum ſufficeret, quod fuerint inſtrumenta ad gloriam; ut jam pridem diximus in *Phyſ. noſt. n. 152.*:) ergo nullo cultu ſunt afficiendæ. a.ſp. In morte Sancti cujuscunque datur *reſolutio* usque ad *materiam* primam velut cum communi TT. docuimus in cit. Phyſ. particulari; ergo &c. Qui plura de his deſiderat, Theologos Polemicos conſulere poterit, nominatim Clariſſ. P. Pichler *in Curſ. Theol. Polem. Part. poſt controverſ. 2. a. 2. per tot.*

Quæres 1. Quo cultu adorandus ſit SS. 27
ſanguis Chriſti, in terra relictus? *NOMEN JESU*? Cruces, & imagines Chriſti? ℞. 1. Sacroſanctum de latere cordeque JESU profluum, & in Vinea noſtra aſſervatum ſanguinem adorandum eſſe cultu latriæ *abſoluto*, ſi ſupponeretur adhucdum unitus Divinitati: de quo aliquid in Theol. noſt. Schol. *Part. 6. n. 264.* Si autem Divinitati *non* amplius unitus ſit, tunc adorandus eſt cultu *latriæ reſpectivo* tantum, *immediato* tamen, ob unionem præcedentem; adeoque majore illo, *qui* cruci exhibetur; cum *hic* duntaxat mediatus ſit, nempe ratione contactus.

℞. 2. SS.^mum *NOMEN JESU* adorandum eſſe 28
cultu *latreutico* reſpectivo: quia hoc SS. Nomen adoramus propter dignitatem Chriſti,

quem

quem repræſentat; hinc præcipit Apoſtolus: in *NOMINE JESU omne genu flectatur &c.* ad *Philipp.* 2. ergo. Inſuper Cruces & imagines Chriſti quoque adorandæ ſunt cultu *latriæ* reſpectivo: quia ſi ſpectentur *formaliter*, in iis tanquam *medio* objectivo & repræſentativo colitur & adoratur ipſe Chriſtus. Interim Crux Chriſti *originalis* & inſtrumenta Paſſionis *originalia* adhuc poſſunt adorari cultu *latriæ* reſpectivo, etſi amittant ſuam *formam*; non item cæteræ cruces & inſtrumenta, ſi *hanc* amittant: quia *illa*, ratione realis contactus, adhuc repræſentant Chriſtum: non ſic cætera.

29 Quæres 2. An, & quo cultu licitum ſit colere Homines vitæ ſanctitate vel Martyrii fama *inſignes*, ſi *necdum* canonizati, vel beatificati ſunt? ℟. 1. Poſſumus eos colere cultu *privato*; non tamen ſolemni & *publico*. Ratio eſt: quia *in c. 1. & ult. de Reliquiis & Venerat. Sanct.* prohibetur, aliquem *publice* venerari pro Sancto absque authoritate Eccleſiæ Romanæ; ergo à ſenſu contrario *privatus* honor permittitur. Intelligitur autem per *cultum privatum* ille, qui non exhibetur tanquam *inſtitutus* ab Eccleſia, neque *nomine* Eccleſiæ, ſed fit ex *peculiari* devotione colentis, ſive deinde talis cultus fiat privatim, ſive *publice* aliis vi-
30 dentibus. Hinc poſſumus *talium* imagines *domi* retinere, oſculari, Reliquias aſſervare, in eorum honorem jejunare, preces ad DEUM fundere, etiam coram aliis: quia hu-

jus-

jusmodi cultus eſt privatus, & non ſit *nomine* Eccleſiæ; qualiter tamen fieret, ſi in litaniis vel officio *Divino* invocarentur, aut Miſſa *propria* de iis legeretur. Quare ſi petatur Miſſa in honorem alicujus Sancti nondum canonizati, debet legi de feſto vel feria occurrente, ſine ſpeciali oratione de tali Sancto; licet ex *privata* ſacerdotis intentione (quæ potius ſit ex *privata* devotione) poſſit applicari quodammodo ad honorem illius. P. Elbel *confer.* 14. *n.* 443. P. Reiffenſt. *num.* 41. Cum quo ex ſequenti numero

℟. 2. *Similibus* Sanctis, nondum beatificatis aut canonizatis, inſuper licitum eſſe exhibere cultum quoque *publicum* vel quoad *aliqua*, vel quoad *omnia* ex prædictis. 1. Si habeatur *ſpeciale* indultum Apoſtolicum; prout ſubinde dari ſolet. 2. Si talis cultus fuerit exhibitus per tempus *immemoriale*, aut centum annos *ante* Decretum Urbani VIII. Quam ob cauſam magna illa Sueviæ Patrona, *B. Eliſabetha Bona Reutenſis*, paſſim ab omnibus ſine omni ſcrupulo ceu Beata colitur, cum præſcitu *Ordinarii*, cum appenſione *publica tabellarum* votivarum, cum expoſitione ſtatuarum & Imaginum illius cum radiis, etiam in locis publicis: prout oſtendimus in *Devotione* ad illam, nuper edita in vernacula, & *Pietati* noſtræ *Benedictinæ* inſerta. 31

Quæres 3. Quid & quotuplex ſit *oratio?* & qualiter ſit *neceſſaria?* ℟. Orationem *largius* ſumptam definiri quidem ex S. Jo. Da- 32

maſc. *l. 3. de fid. c. 24.* Quid ſit elevatio mentis in DEUM? in *rigore* tamen, prout hic ſumitur, recte deſcribi, quod ſit *rationabilis alicujus boni à DEO poſtulatio.* Dividitur in *mentalem* (quæ fit in mente tantum) & *vocalem*; quæ ſimul verbis fit: item in *publicam* (quæ fit per miniſtros *Eccleſiæ* nomine totius populi in Miſſa & horis canonicis) ac in *priva-*
33 *tam*, quæ à quolibet privatim peragitur. Dari præceptum *orandi*, conſtat ex eo, quia auxilia Divinæ gratiæ, ſine quibus homo nequit conſequi ſalutem, communiter à DEO non conferuntur niſi ad humiles preces, juxta illud Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis.* Adeoque hoc præceptum urget 1. Tempore, quo peccator tenetur ſe *reponere* in ſtatum gratiæ. 2. Tempore *gravis* tentationis, quæ *aliter* repelli nequit. 3. Tempore manifeſti *periculi* mortis. 4. Tempore gravis *preſſuræ* reipublicæ aut proximi. 5. Tandem, quoties aliquod auxilium Divinum *ſpeciale* neceſſarium eſt ad ſalutem ſpiritualem vel corporalem.

34 Quæres ult. *Quid* ſit orandum? & *quomodo?* ℟. Recte petimus à DEO non tantum *bona* ſpiritualia, ſed etiam temporalia, uti conſtat ex oratione Dominica. Interim *temporalia* non omnino abſolute, ſed ſub *conditione* quatenus conducunt ad ſalutem animæ, petenda ſunt: ſiquidem ſæpe ſint occaſio ruinæ. Orandum autem eſt 1. *Humiliter*; nam oratio *humiliantis ſe nubes* penetrabit. *Eccl. 35.* econtra

tra *ſuperbis DEUS* reſiſtit. *1. Pet. 5.* 2. *Pie* ſeu *devote*: ſecus enim oratio non foret actus religionis ſed irreverentiæ; adeoque indignationem potius mereretur quam gratiam. 3. Inſtanter ſeu *perſeveranter*: quoniam oportet *ſemper orare*, & non deficere. *Luc. 18. Orationi inſtate. ad Coloſſ. 4.*

Quæ conditiones ſi obſerventur, oratio habebit *infallibilem* effectum, juxta promiſſionem Chriſti Jo. 16. *Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem* in nomine meo, *dabit vobis.* *Vid.* P. Reiffenſt. *hic à num. 53.*

ARTICULUS II.

Quæ & quot ſint vitia Religioni oppoſita per exceſſum? ubi de ſuperſtitione, ejusque ſpeciebus.

PRænot. 1. Duobus modis poſſe peccari 35
contra religionem, nempe per *exceſſum* (& nomine generico dicitur *ſuperſtitio*) ac per *defectum*; vocaturque *irreligioſitas*. Utraque harum varias ſub ſe ſpecies complectitur. *Superſtitio*, idololatriam, divinationem, vanam obſervantiam, & magiam: quæ contingunt ex *exceſſu* cultus *indebiti*, de quibus in præſenti articulo. *Irreligioſitas* autem continet tentationem DEI, ſacrilegium, ſimoniam, blasphemiam, perjurium, ac vio-

violationem voti, quæ fiunt ex *defectu* cultus DEO debiti: de quibus ob amplitudinem materiæ partim in Quæſtione ſequenti, partim in Diſputatione altera.

Nunc ordiendo à ſuperſtitione ejusque ſpeciebus in genere.

36 Prænot. 2. Superſtitionem in genere definiri, quod ſit vitium religioni oppoſitum *per exceſſum*, quo *quis Divinum cultum vel illi exhibet, cui non debet; vel eo modo, quo non debet.* Itaque ſuperſtitio continet & cultum *falſorum* deorum, & *exceſſum* in cultu veri DEI, quoad *modum* incongruum: ſic poteſt dari exceſſus etiam in amore DEI, ſi v. g. me ipſum vellem interficere. Adeoque ſuperſtitionis ſunt duæ ſpecies *immediatæ* 1. Ex parte *rei cultæ*, dum colitur falſus DEUS: & ſubdividitur in idololatriam, divinationem, obſervantiam vanam, & magiam. 2. Ex parte *modi* colendi, dum DEUS modo incongruo colitur: & dividitur in ſuperſtitionem cultus *falſi* (quando cultus eſt mendax) ac in ſuperſtitionem cultus *ſuperflui*: qui eſt contra conſuetudinem & Rubricas Eccleſiæ: quique ſecluſo ſcandalo & contemptu ordinarie tantummodo peccatum veniale eſt. Nunc quoad ſpecies primi membri.

37 Prænot. 3. *Idololatriam* ſtricte ſumptam, eſſe ſuperſtitionem, qua cultus *Divinus* tribuitur *creaturæ.* Metaphorice ſumitur quoque pro peccato *mortali*; ſiquidem per *hoc* peccator cenſeatur pluris facere creaturam quam

quam Deum. Hoc ſenſu *avaritia* vocatur *idolorum ſervitus*, ad *Philipenſ.* 5. *Divinatio* eſt ſuperſtitio, qua ex *pacto* implicito vel *explicito* cum dœmone *occulta* prædicuntur vel *manifeſtantur.* Divinationis cum *explicito* pacto ſeu expreſſa invocatione ſpecies ſunt *haruſpicum* (dum inſpiciuntur exta animalium) *oraculum* (dum dæmon reſpondet ex idolo) & *pytonismus*; dum loquitur per homines arreptitios &c.

Divinationis autem cum pacto *implicito* 38
ſpecies ſunt ſequentes; Aſtrologia *judiciaria* quæ certo prædicit eventus à *libero* arbitrio pendentes ex aſpectu ſiderum) *chiromantia* (qua ex inſpectione manuum) *obſervantia ſomniorum* (qua ex ſomniis) *augurium* (dum ex garritu; volatu avium &c.) & *ſortilegium*, dum occultæ veritatis notitia per media improportionata, v.g. ſigna nullam connexionem habentia cum eventu futuro, præterito, vel præſenti, exquiritur.

Prænot. 4. *Vanam obſervantiam* definiri: eſt 39
ſuperſtitio, qua media inutilia & *improportionata* adhibentur in ordine ad aliquem effectum *extraordinarium.* Differt à *divinatione*, quod *hæc* ſiſtat in pura ſpeculatione. Ejus ſpecies ſunt, ars *notoria* (dum talibus mediis *improportionatis* exſpectatur *ſcientia* infuſa absque labore) obſervantia *ſanitatum* (dum *taliter* exſpectatur ſanitas) & obſervantia *eventuum*: qua ex ſubito caſu v.g. picæ clamore, aliquid proſperi vel adverſi conjectatur. Qualia

peccata ſint hæ ſpecies, uti & præcedentes ac ſequentes, dicetur in concluſione. Interim circa ultimam ſpeciem

40 Prænot. 5. Magiam communiter dividi, in *naturalem* (quæ eſt *ars operandi mira* per cauſas *naturales*) & in ſuperſtitioſam ſeu *diabolicam*, quæ mira operatur ope *dæmonis*. Quodſi pro fine ſuo habeat tantum propriam oſtentationem, aliudve *commodum* ſuum aut alienum, vocatur communi nomine *magia*. Si autem alicui damnum inferat, nomine proprio dicitur *maleficium*, vel *veneficium*. Et quidem *maleficium*, ſi damnum inferatur incantationibus, carminibus, characteribus &c. *Veneficium* vero, quando malis pharmacis, ſive venenis, v. g. veneno amatorio ſeu philtro id fit. Nunc de ſingulorum gravitate ſit

41 CONCLUSIO: Superſtitio, & omnes ejus enumeratæ ſpecies ſunt ex *genere ſuo* peccata *mortalia*. *Ita in re omnes.*

Probatur: Singulæ opponuntur, & quidem per exceſſum, virtuti ex moralibus præſtantiſſimæ, nempe religioni: ergo ſingulæ ſunt peccata mortalia; ſiquidem DEO ſemper inferatur graviſſima injuria: maxime ob *pactum* cum dæmone vel expreſſum (dum expreſſe invocatur) vel ſaltem *tacitum*, dum adhibetur medium ex ſe nullam *vim* habens ad effectum deſideratum; nam tunc talis vis tacite à dæmone deſideratur, cum certum ſit ejusmodi ſigna *vanitatis* à DEO inſtituta non eſſe;

eſſe; ergo. Dixi: *ex genere ſuo*; de quo ſtatim aliqua in ſequentibus objectionibus. Hinc

Objicies 1. Non poteſt peccari contra virtutem religionis per *exceſſum*; ergo enumeratæ ſpecies nulla prorſus peccata ſunt. a. p. DEUS eſt dignus omni *cultu*; ergo in *hoc* non poteſt dari *exceſſus* (: ℞. d. ç. ex parte *objecti* c. ex parte *modi* incongrui aut cultus *indebiti* ratione rei cultæ n. ç. & ç. Sic etſi in amore DEI non detur exceſſus ex parte objecti *amati*; datur tamen ex parte *modi* & *actus*, ſi meipſum v. g. vellem interficere amore DEI; uti jam fuit præoccupatum ſupra *n. 36.*:) 42

Ob. 2. Quamvis ſacerdos ſæpius in *Miſſa* dicat *Alleluja*? aut faciat *plures* cruces, quam ſint præſcriptæ &c. per hæc tamen nondum peccat mortaliter (: ſi abſit *contemptus* vel ſcandalum c. ſecus n.:) ergo ſaltem cultus ſuperfluus non eſt peccatum grave. 43

Ob. 3. Quicunque mortaliter peccat, ille committit *idololatriam* (: proprie n. *metaphorice* c.:) & tamen nullus in confeſſione de *hac* ſe accuſat: ergo non eſt peccatum *diſtinctum*. *Vid.* Theol. Schol. *Part. 3. n. 238.* 44

Ob. 4. Aſtrologi ex concurſu & influxu aſtrorum ſine omni ſcrupulo multa præſagiunt: ergo aſtrologia (: *judiciaria* n. naturalis c. Idem proportionaliter dicendum eſt de chiromantia naturali, dum ex manuum linteamentis de hominis propenſione, morbis venturis &c. aliqua prædicuntur; nam tales 45

eventus non ſunt *libere* contingentes. Quod ipſum quoque ſentiendum eſt de ſomniis *naturalibus*.) non eſt illicita.

46 Inſtabis: Ex avium cantu, piſcium in mari occurſu, poſſunt naturaliter colligi pluviæ, tempeſtates &c. ergo *augurium* non eſt *prohibitum* (: quoad aliquos effectus *naturales*, quos animalia ſæpius præſentiunt citius quam homines c. quoad eventus *liberos*,, vel caſus mere *fortuitos* n.:)

47 Ob. 5. Sortes *diviſoriæ*, quæ applicantur ad dividendas hæreditates &c. uti & *conſultoriæ*, quibus à DEO petitur manifeſtatio veritatis occultæ, vel conſilii directio, ſunt *licitæ*; præterquam in *electionibus*, in quibus debet eligi perſona dignior, non autem reſpici ſors melior: ergo quoque licitæ ſunt *divinatoriæ* (: n. c. Quia *hæc* ſemper includunt *pactum* ſaltem implicitum cum *dæmone*. Interim, experientia teſte, fateri cogimur, quod non tantum *in ſortibus*, ſed etiam in cæteris ſuperſtitionis ſpeciebus, quæ fiunt cum pacto *implicito* duntaxat, ſubinde non peccetur niſi *venialiter*: idque vel quia *ſimpliciores* non ita apprehendunt *malitiam* hujus taciti commercii cum dæmone; ideoque exeuſari poſſunt à culpa gravi ratione ignorantiæ: vel, quia prudentiores non adhibent veram *fidem*: vel denique quia ex mera *levitate* ac joci cauſa ſubinde tentant aliquid de futuro aut præterito *occultum* indagare per *vanum* medium, quo caſu non tam ſuperſtitionis, quam vanitatis

cujus-

cujusdam, de ſe venialis condemnandi ſunt. *Vid.* P. Reiffenſt. *hic n. 28. 37.* P. Elbel *confer. 16. n. 485. 499. &* ibi citati:)

Quæres 1. Cum res quam plurimæ habeant varias virtutes naturales, non raro hominibus ignotas, unde colligi queant, an ſint ſuperſtitioſæ? ℟. Potiſſimum ex ſequentibus circumſtantiis. 1. Si adhibeantur characteres, verba, vel ſigna ignota, falſa, apocrypha, aut diabolorum nomina &c. 2. Vel; ſi adhibeantur nomina & verba de ſe ſancta, nihilominus admiſceantur circumſtantiæ vanæ, *inutiles* & omnino impertinentes ad ejusmodi effectum. 3. Si adhibeantur media improportionata, & nullam vim aut *connexionem* cum effectu habentia: vel ſi aliquam habeant, nihiloſecius accedant nonnullæ circumſtantiæ, per modum neceſſariæ conditionis obſervandæ, e. g. quod medicina contra febrim debeat eſſe confecta tali *hora*, tali loco, à tali perſona &c. *Vid.* P. Sporer *tr. 2. c. 9. ſ. 3. n. 33.* 48

Quæres 2. Utrum ergo damnandæ ſint quædam conſuetudines, quibus nonnulli aliquid facere, vel omittere ſolent *certis* diebus feſtivis? ℟. Negative: ſi hæc faciant, ut ſe magis excitent ad devotionem propter diem Sancto dedicatum, vel propter *affectum*, quem ſpecialiter habent erga Sanctum, ſecluſo tamen ſcandalo, vel alia *prava* intentione. Similiter ſuperſtitioſum non eſt, notare *tempora*, vel dies, quibus major vel mi- 49

nor influxus cœlorum reperitur: ſeu *quæ* ap- tiora ſunt v.g. ad certas *herbas* medicinales colligendas, ad ſcindenda ligna, ne corrum- pantur &c. Hoc enim vires naturæ non ex-
50 cedere conſtat quotidiana experientia. *In dubio* num hujusmodi effectus excedat vires cauſæ *naturalis*? præſumendum eſt, non ex- cedere: quia dubium in mitiorem partem ex- plicandum eſt; præſertim cum multæ res na- turales habeant tales virtutes, quas vel non cognoſcimus, vel explicare non valemus. Quapropter excuſandi ſunt, qui ſimilibus re- bus dubiis utuntur; dummodo proteſtentur, ſe nolle effectum conſequi, ſi aliqua virtus ſuperſtitioſa ſubſit. P. Reiffenſt. *n.* 40. El- bel *n.* 501. Sporer *n.* 31. Denique ut etiam quid dicamus de magia, & maleficio;

51 Quæres 3. Quænam remedia ſint adhi- benda adverſus homines *maleficos* & malefi- cia? ℞. Spiritualia eſſe optima, ut ſunt mag- na *fiducia* in DEUM, confeſſio, SS. Euchari- ſtiæ ſumptio, exorcismus, aqua benedicta, Reliquiæ SS. ſignum ſanctæ crucis, invoca- tio SS. Nominis JESU, B.V. & aliorum SS. oratio, præſertim conjuncta cum jejunio, ut patet ex verbis Chriſti, *Matth.* 17. Signa magica, v.g. ligaturæ, nodi &c. *licite* poſ- ſunt tolli (ſi nullum *novum* maleficium adhi- beatur) etiam per ſigna poſitiva, ut ſi ſagam, te percutientem, repercutias: quia ſimilia ſigna ſunt indifferentia, & evertunt peſſi- mum pactum. Hinc non poſſum projicere pul-

pulvinar, ut ſaga deſuper ſedere cogatur (quia ſaga ſic non redigitur præciſe in ſtatum *naturalem*, ſed præterea de *novo aliquid* facere cogitur) bene tamen lac emulſum vaccæ reinfundere: quia per hoc dæmon ſolummodo cogitur ab infeſtatione deſiſtere, & lac in ſuo ſtatu naturali relinquere &c. *Vid.* P. Elbel *hic n. 552.*

Quæres 4. Quid agendum confeſſario cum malefico pœnitente? ℟. Ante omnia inquirendum, an pactum cum dæmone inierit? qnod inprimis diſſolvi *debet*, & *poteſt* per ſolam veram pœnitentiam & renuntiationem: nec opus eſt *chyrographum* datum reſtitui à dæmone: ſi tamen *aliquod* maleficus apud ſe habeat, perfringat, aut confeſſario tradat. 2. Quia magia ordinarie multa *alia* peccata annexa habet, ut ſunt *hæreſis*, abnegatio DEI & SS. *idololatria*, blaſphemia in DEUM & Sanctos, *profanatio* & abuſus rerum *ſacrarum*, maxime SS. Euchariſtiæ, luxuria, & nefariæ cnm dæmone commixtiones &c. inſuper, quia inferre ſolet maxima damna in bonis temporalibus proximorū, homicidia præſertim infantium, intoxicationes pecorum, vaſtationes ſegetum &c. ideo, quænam ex his commiſſa ſint, indagandum eſt: quibus intellectis, procedendum eſt, prout cæteroquin ad confeſſionem ſacramentalem neceſſe eſt. 3. Tamen bene notandum, quodſi magus vel ſaga abnegationem DEI & Sanctorum fateatur, ulterius inveſtigan-

gandum eſſe, an *vere* & ex animo DEUM abjuraverit? nimirum ita, ut *judicaverit*, diabolo potius, quam DEO & Sanctis honorem eſſe tribuendum? an vero id fecerit ex mera *malitia* & perverſitate voluntatis, ita ſc. ut bene *apprehenderit*, honorem *non* diabolo ſed potius DEO & Sanctis tribuendum? Non ſi hoc poſterius judicavit, non eſt hæreticus, nec incurrit caſum Bullæ cœnæ; bene vero ſi illud prius: ut bene notat P. Elbel *hic n. 547.*

54 Quæres ult. Quid ultra agendum? ℞. Talem magum poſtea diſponendum ad abſolutionem, monendumque de reſtitutione, ubi neceſſe fuerit. Accepta à *diabolo* tenetur ſimiliter reſtituere, ſi diabolus illa *homini* abſtulit; ut ſæpe contingit. Secus, ſi ex occultis theſauris, aut ex rebus mari deperditis &c.. Denique ne maleficus pœnitens iterum ad vomitum redeat, ſimulque ut is à dæmoniacis vexationibus, non raro redituris, magis præſervetur, eundem confeſſarius muniat remediis ſpiritualibus, nimirum Agnis DEI, aut aliis rebus conſecratis; unaque exhortetur ad ſæpius eliciendos actus virtutum Theologicarum, ad meditationem Paſſionis Dominicæ, deteſtationemque ſuorum graviſſimorum peccatorum, nec non & aliarum virtutum exercitium, præſertim autem ad frequentiorem Sacramenti pœnitentiæ atque Euchariſtiæ receptionem. Quin etiam poterit quandoque adhibere exorciſmos con-

convenientes, quales pro hujusmodi hominibus tum in Ritualibus Diœceſanis, tum in aliis Benedictionum libellis, paſſim reperiuntur. Ita propemodum in terminis P. Reiffenſtuel *l. cit. n. 56.*

QUÆSTIO II.

DE VITIIS RELIGIONIS OPPOSITIS PER DEFECTUM: NEMPE DE IRRELIGIOSITATE, EJUSQUE SPECIEBUS.

ARTICULUS I.

Quale peccatum ſit tentatio DEI, Sacrilegium, & Blasphemia?

PRænotandum 1. Ex jam dictis ſupra *n. 35.* 55
vitia aliqua opponi Religioni per *exceſſum*, quorum genus eſt *ſuperſtitio*; de qua in priori articulo: aliqua per *defectum*, quorum genus eſt *irreligioſitas*, utpote quæ eſt defectus cultus DEO debiti. Species hujus ibi jam enarravimus, ſuntque *tentatio* DEI, *Sacrilegium*, *ſimonia*, *blasphemia*, *perjurium*, & *violatio* voti. De duobus primis uti & de blasphemia agemus in præſenti articulo: de ſimonia in ſequenti: de juramento & voto autem, horisque canonicis in Diſputatione ſequenti, itaque in ordine ad primam

Præ-

56 Prænot. 2. Tentationem DEI, prout hic ſumitur, eſſe *dictum vel factum, quo quis absque juſta cauſa vult habere experimentum de aliqua perfectione Divina*, v.g. de omnipotentia: aut ſaltem petit *opus extraordinarium*, vel auxilium DEI *ſupra communem rerum ordinem* præſtandum. Adeoque eſt duplex: *formalis* dum quis quaſi *dubitans* petit experimentum Divinæ perfectionis v.g. omnipotentiæ; uti fecere judæi pſal. 77. *Tentantes DEUM in cordibus ſuis, dicentes: nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam in deſerto*? Et *interpretativa*, quando quis ex alio fine facit aliquid, quod requirit *extraordinarium* DEI auxilium, illudque *temere* exſpectat: ut ſi te immittas igni, confidens non comburendum te. Nunc in ordine ad ſpeciem alteram

57 Prænot. 3. *Sacrilegium* bene deſcribi, *eſt rei ſacræ violatio*, ſeu indigna tractatio. Eſt triplex 1. *Perſonale*; quando violatur ſeu indigne tractatur perſona ſacra: huc itaque pertinet percuſſio clerici, fornicatio Ordine ſacro initiati, ſive Religioſi, & cujuslibet votum *caſtitatis* habentis; item tractio perſonarum Eccleſiaſticarum ad tribunal ſæculare, & exactio tributorum ab illis &c. 2. *Locale*; dum violatur, ſeu indignè tractatur *locus* ſacer: quod fit per malitioſam ejus deſtructionem, aut invaſionem, per injurioſam ſanguinis humani aut ſeminis effuſionem, per extractionem reorum ad *illum* confugientium &c. 3. *Reale*; dum *rei* ſacra violatur, vel

vel indigne tractatur. Sunt autem res ſacræ inprimis Sacramenta; deinde vaſa ſacra, veſtesque benedictæ, Reliquiæ & Imagines SS. & denique omnia, quæ ritibus eccleſiaſticis ad cultum Divinum conſecrata ſunt: quorſum quoque ſpectat S. Scriptura. Quoad tertiam ſpeciem

Prænot. 4. Blaſphemiam definiri, quod 58
ſit *contumelioſa* in DEUM locutio: negando nempe ex pravo affectu, quod ipſi proprium eſt; vel imponendo aliquid, quod ei minime convenit. Poteſt fieri etiam *interne*, item *ſignis* contumelioſis, ut ſi exſpuatur in cælum; & contra B. V. & SS. quia contumelia erga hos redundat in DEUM. Blaſphemia dividitur præcipue in *hæreticalem*, & non *hæreticalem* ſeu ſimplicem. Illa eſt, quæ articulis fidei directe opponitur, ut ſi quis dicat: DEUS eſt *injuſtus* &c. ſimplex autem ſeu *non-hæreticalis* eſt, quæ articulis fidei diſtincte non opponitur, ſed aliquid vituperabile per modum deteſtationis & quaſi imprecationis in DEUM profert; ut ſiquis DEO *maledicat*, aut optet, *non eſſe* DEUM.

CONCLUSIO: Tentatio DEI, ſacrilegium, & blaſphemia ſunt peccata ex *genere* 59
ſuo mortalia. *Ita in re Moraliſtæ omnes.*

Prob. 1. quoad 1. part. Tentans *formaliter* 60
DEUM eſt *incredulus*, aut ſaltem dubius de aliqua DEI perfectione: ergo præter malitiam *infidelitatis* irrogat DEO graviſſimam injuriam. Tentans autem DEUM *interpretative*

ve petit à DEO auxilium *extraordinarium* ſine juſta cauſa; quod arguit gravem audaciam; & inſuper eſt contra ſapientiſſimam DEI *ordinationem*, qua vult ordinarie ſervari ordinem naturalem: hinc Chriſtus diabolo ſuadenti præcipitium è templi pinnaculo (unde tamen per ſcalas deſcendere poterat) dixit: *Scriptum eſt, non tentabis Dominum DEUM tuum. Matth. 4.* ergo.

61 Prob. 2. quoad 2. part. *Sacrilegium* opponitur *excellentiſſimæ* virtuti morali; ſimulque habet peculiarem & *gravem* repugnantiam cum ſanctitate *rei ſacræ*; adeoque huic infert gravem injuriam: ergo eſt peccatum mortale; ſaltem ex *genere* ſuo. De quo aliquid infra *n. 67.*

62 Prob. 3. quoad 3. part. Quælibet blasphemia infert DEO graviſſimam injuriam; nec admittit *materiæ* parvitatem: ergo de ſe eſt peccatum *mortale* graviſſimum

63 Objicies 1. cont. 1. part. Utique non foret peccatum, ſi concionator aliquis zeloſus v. g. peteret à DEO miraculum manifeſtum, ut converteret *hæreticos* præſentes (: ℞. n. a, quia non eſt cauſa *neceſſitatis*; cum non deſint alia ſigna & argumenta veritatis cognoſcendæ: neque *utilitatis*; cum *hi* miracula paſſim excludant, & eludant:) ergo non omnis tentatio eſt peccatum. a. p. Talis habet *optimam* intentionem (: & ſimul cauſam *ſufficientem* n. ſecus c.:) ita petendi: ergo.

Ob. 2.

Ob. 2. In purgationibus *vulgaribus*, quæ olim fiebant contactu ferri igniti &c. nullum eſt peccatum atque ibi erat tentatio DEI; quia modo *extraordinario* petebatur & exſpectabatur incolumitas; ergo. M. p. DEUS illis *purgationibus* quandoque favit miraculo, ut conſtat in ſancta Chunegunde (: tempore, quo *nondum* fuerant ab Eccleſia *prohibitæ*, vel ſuſceptæ ex neceſſitate c. ſecus n. Non tamen negamus, tentationem *interpretativam* ſæpe excuſari à *gravi* peccato non tantum ratione inconſiderationis, aut ignorantiæ, ſed etiam ex levitate materiæ, aut periculi; ut ſi quis in levi morbo reſpuat medicinam, confidens à DEO ſanitatem conſequi *generali* providentia, nullo prorſus petito miraculo. Imo ſi *tale* quid peteretur ex *ſpeciali* inſtinctu aut ex *juſta* cauſa neceſſitatis vel utilitatis *gravis* ad noſtram vel aliorum ſalutem, atque ad ipſam voluntatem DEI implendam, tunc non eſſet peccatum tentationis, ſed actus ſpei & fiduciæ in DEUM :) ergo. *Vid.* P. Sporer *hic n. 10.* 64

Ob. 3. cont. 2. part. Irreverentia perſonæ, loco, aut rei ſacræ illata poteſt eſſe levis, ut ſi clericus tantum modice percutiatur, ſi è templo unica candela parva v. g. auferatur &c. ergo ſacrilegium non ſemper eſt mortale (: ſi adſit *parvitas* materiæ c. ſecus n. Imo etiam à peccato mortali hic excuſat inadvertentia, vel ignorantia, prout in omni alia materia :) 65

66 Dices: Si quid auferam Clerico, aut contra ipſum graviter iraſcar &c. non committo ſacrilegium: ergo neque ſi ipſum percutiam (: n. c Quia furtum, aut iracundia non repugnat directe clerici ſanctitati, bene tamen percuſſio. Hanc ob cauſam, inebriatio, ſuberbia, mendacium & hujusmodi quoque non ſunt ſacrilegia, ſi committantur à perſona ſacra :)

67 Ob. 4. cont. 3. part. In *ſacrilegio* datur parvitas materiæ: ergo quoque in *blaſphemia* (: n. c. Eoquod in hac attingatur & lædatur *immediate* aliqua perfectio Divina :) Deinde: poteſt contingere, ut quis verba blaſphema proferat animo nec *actualiter*, nec *virtualiter* advertente: ergo ſaltem tunc blaſphemia non eſt peccatum (: per ſe n. per *accidens*, ratione inadvertentiæ c. Nam ſi quis verba *blaſphema* proferat ex mera *præcipitantia*, prout ſæpe contingit, quando quis ſuper homines vel jumenta indignatur, non attendendo ad vilipenſionem Dei aut rei ſacræ, adeoque non conſiderando perfecte malitiam actus, à peccato *mortali* excuſatur :) *Vid.* P. Reiffenſt. *hic n. 59.* Ex quo

68 Deduces 1. Non eſſe proprie blaſphemiam, dum quis in ira vel rixa cum aliquo pronuntiat quidpiam de Deo, quod verum eſt; ut dum ex indignatione dicit: *ſacramenta! Dei ſacramenta! Dei crux! Dei chriſma* &c. quia, etſi talia irreverenter dicantur, non tamen proferuntur per modum *contumeliæ*, nec

nec aliquid *falſum* Deo tribuunt; ſicque ordinarie non ſunt peccata *mortalia*: quamvis ob ſcandalum vel periculum formaliter blaſphemandi *talia* fieri poſſint. Econtra pro veris omnino blaſphemiis hadendæ ſunt formulæ illæ Germanis uſitatæ, dum *centum*, *mille* ſacramenta effutiunt: item dum ſacramenta contemptibiliter conbinant cum *fulgure*, *ſtellis*, *ſagis*, *furibus* &c uti fuſius explicat & probat P. Spor. *tr. 2. 10. ſ. 3. à n. 13.*

Deduces 2. In praxi ergo, quando pænitens confitetur ſe blaſphemaſſe, interrogandus eſt 1. Quibus verbis blaſphemaverit? nam homines maxime plebei, ſolent ſæpius confundere hæc tria, *blaſphemare*, *imprecari*, & *jurare*, germanice *Schelten*, *Fluchen*, & *Schvvören*! cum tamen ſpecie diſtinguantur. 2. Auditis verbis *blaſphemiam* ſignificantibus, quæratur, an hæc forſan ex *mera* præcipitantia protulerit, & ſine intentione *inhonorandi* Deum, aut ſine maligno in ipſum affectu? Si *ita* fateatur, ulterioribus interrogationibus non erit opus; ſupponendumque peccatum grave haud interceſſiſſe. 3. Si tamen ſuſpicio eſſet, quod illa præcipitantia longius durarit, ulterius inquiri poterit, an ſub illa præcipitantia *longiore* ſaltem inconfuſo recogitaverit de gravi offenſa Dei? & tamen perrexerit? ſi iterum ita fateatur, tunc fere præſumendum eſt, fuiſſe blaſphemiam *gravem*. Proinde hoc ſuppoſito inquirendum foret ultimo, quod dicit ſequens 69

70 Deduces ult. Si blaſphemia ſit *hæreticalis formaliter* talis, certum eſſe, quod hæc ſpecies hæreſis explicari debeat; adeoque non à quocunque confeſſario abſolvi queat, niſi forſan *excommunicatio*, hæreſi annexa, fuiſſet ignorata, juxta dicta ſuperius in Part. 1. à *n.* 511. *De cæteris* ſpeciebus controverſia eſt; in hoc tamen conveniens, quod nec *particulares* blaſphemiæ in *Deum*, nec particulares in B. V. aut SS. debeant ſpecialiter & in particulari explicari. Inſuper probabile eſt, blaſphemiam in *Deum* non diſtingui *ſpecie* à blaſphemia in Sanctos.: quia opponuntur *eidem* virtuti religionis, & quidem ſub *eadem* ratione *formali*, ut licet colligere ex *n.* 58. & quoque agnoſcit toties laudatus P. Reiffenſt. hic *n.* 64. P. Sporer *n.* 23. P. Babenſt. *tr.* 5. *d.* 3. *a.* 1. *à n.* 32. De imprecationibus locuti ſumus in *cit. Part.* 1. *n.* 599. De juramento autem loquemur in diſputatione ſequenti *à n.* 171.

ARTICULUS II.

De Simonia: ubi concluſive, quid intelligatur per mercem, pretium, & pactum ſimoniacum?

71 PRænot. 1. Cum *ſimonia* ſit ſpecies ſacrilegii (eoquod per illam res *ſacra* indigne tractetur) hoc loco recte de *illa* agi. Habet nomen à Simone mago, qui oblatis

latis pecuniis voluit ab Apoſtolis emere poteſtatem conferendi aliis dona Spiritus ſancti. Definitur: *eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid Spirituale*, vel *ſpirituali annexum*, *pretio temporali*, Senſus eſt, quod ſit ſacrilegium, quo res *ſpiritualis*, vel ſpirituali annexa comutatur pro re temporali per conventionem ſeu *pactum* vel contractum *oneroſum*, & non mere gratuitum. Unde ad illam eſſentialiter tria requiruntur. 1. *Res ſpiritualis*, vel ſpirituali annexa, quæ quaſi *merx* eſt 2. Res *temporalis*, quæ datur pro ſpirituali tanquam *pretium*. 3. Conventio aliqua & *pactum*, ſive explicitum, ſive implicitum ſaltem tale, vi cujus unus intendat alterum *obligare* ad dandum ſpirituale pro temporali. Eſt crimen graviſſimum, ut patet ex verbis S. Petri ad Simonem magum: *pecunia tua ſit tecum in perditionem.* Nec patitur *parvitatem materiæ*; ſiquidem hæc non poſſit dari ex parte *pretii* (quo enim vilius pretium datur eo *magis* res ſpiritualis vilipenditur. Interim ſi quid *modicum* detur, præſumitur non dari vel accipi animo ſimoniaco. la Cr. *l.* 3. *p.* 1. *n.* 73.) Nec ex parte *rei ſacræ*; hæc enim quantumcunque parva ſit in ſuo genere, eſt nihilominus adhuc donum Dei, & altioris ordinis; adeoque nullo pretio temporali adæquabilis. Quod tamen de ſimonia juris naturalis tantum eſſe intelligendum, bene notat P. la Cr. *l. c. n.* 198.

72

73 Prænot. 2. Simoniam *ut ſic* dividi 1. In eam, quæ eſt juris *Divini* ac naturalis, utpote ab ipſo Deo ob intrinſecam malitiam prohibita; ut ſi quid temporale detur pro re intrinſece ſpirituali, pro ipſo *Sacramento* v. g. Et in eam, quæ ſolum eſt juris *Eccleſiaſtici*, quæ tantum prohibita eſt ab Eccleſia, quin temporale detur pro ſpirituali, ut eſt *permutatio* Beneficiorum eccleſiaſticorum *ſine* authoritate ſuperioris &c. 2. Dividitur in *mentalem*, *conventionalem*, & *realem*. Mentalis non ſumitur hic pro mero actu *interno*, quo quis *intendit* committere ſimoniam (quamvis & hoc jam peccatum ſit) ſed pro ea ſimonia, quæ quidem aliquem actum externum habet, v. g. dationem pecuniæ, malitia tamen ejus non ſe prodit *exterius*, ſed in ſola mente manet; eoquod nullum pactum
74 externum neque tacitum interveniat. *Conventionalis* conſiſtit in mutua conventione, ſeu *pacto* expreſſo vel tacito: quæ, ſi ex neutra parte facta eſt traditio rei temporalis, vel ſpiritualis, dicitur *pure* conventionalis: ſi autem ex alterutra *parte* traditio facta eſt, *mixta* appellatur. *Realis* demum & *completa* eſt, quæ præter pactum involvit traditionem ex *utraque* parte.

75 Prænot. 3. Ultra tres has ſpecies communiter à DD. recenſeri ſimoniam *confidentialem*, quæ committitur circa Beneficia Eccleſiaſtica, dum quis alteri procurat Beneficium cum certa *confidentia*, id eſt pacto vel expreſſo vel tacito, ut alter viciſſim *illud* Bene-

Beneficium procuratori aut alteri tertio *reſignet*, vel certam penſionem ex eodem Beneficio præſtet. Verum hæc ſpecies (de qua dicitur *n. 106.*) commode reduci poteſt ad unam ex tribus mox recenſitis: nam ſi talis procuratio fit cum *ſolo* animo confidentiæ, tunc reducitur ad *mentalem*: ſi cum *pacto*, ſed ab una parte duntaxat impleto, reducitur ad ſimoniam *conventionalem*; ſi denique ſupponitur facta cum pacto *utrinque* adimpleto, tunc *ad realem completam*, reducitur. His diviſionibus ſuppoſitis, nunc circa tria eſſentialia ſimoniæ ſupra *n. 71.* enumerata, ſtatuendæ ſunt tres concluſiones. E quibus ſit quoad primum.

CONCLUSIO 1. Nomine *rei ſpiritualis*, 76
vel *ſpirituali annexa*, hic intelligitur *illa res*, quæ aliquo modo eſt *ſupernaturalis* & ad *ſpiritualem* animæ ſalutem, vel ex inſtitutione Divina, vel ex deſtinatione Eccleſiæ ordinata eſt; adeoque pro hac *qua tali* non poteſt aliquid recipi, aut exigi ſine ſimonia per modum *pretii*, aut etiam *motivi*, aut *finis*: bene tamen per modum *ſtipendii*, ad ſuſtentationem neceſſarii: vel titulo laboris extrinſeci: vel titulo gratitudinis: vel ad redimendam vexam injuſtam. Ita *quoad rem omnes.*

Prob. 1. pars: Non tantum res *formaliter* 77
& intrinſece ſpirituales (ut ſunt gratia ſanctificans, dona Spiritus S. & virtutes ſupernaturales) vel ſpirituales *cauſaliter* (ut

ſunt ſacramenta & officia eccleſiaſtica) vel ſpirituales *effective* (ur ſunt functiones ſacræ, preces &c.) ſed etiam *res* rei ſpirituali *annexa*, qua tales & in concreto ſunt vere aliquid *ſacrum* & ordinis *altioris*: ergo eas velle adæquare pretio temporali, *ſacrilega* vilipenſio eſt; conſequenter & ſimonia, utpote quæ in dicta vilipenſione conſiſtit.

78 Prob. 2. pars: Dare aliquid temporale *ut motivum* conferendi aliquid ſpirituale, jam involvit pactum *virtuale* & implicitum, quo alter ad ſpirituale *obligetur*: Item dare temporale *ut finem* rei Spiritualis, eſt ſaltem virtualiter paciſci, & intendere temporale tanquam pretium: ergo eſt ſimonia, ut liquide conſtat ex propoſitionibus damnatis 45. & 46. ab Innoc. XI. videndis apud P. Reiffenſt. *n.* 45.

79 Prob. 3. pars: Unusquisque meretur ſuſtentari ab illo, in cujus licito miniſterio occupatur: unde Chriſtus *Matth.* 10. ait: *dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et S. Paulus 1. *ad Cor.* 9. *ſi vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt. ſi nos carnalia veſtra metamus?* quaſi diceret, id magnum non eſt, ſed *debitum.* Quin ex hujusmodi textibus colligitur, quod talis ſuſtentatio debeatur ex *juſtitia*: adeoque (quantum eſt ex natura rei, & jam etiam per *conſuetudinem*) licitum ſit de ejusmodi congruo ſuſtentationis ſtipendio, ob ſpiritualia miniſteria perſolvendo, paciſci: ut oſtendit P. Reiffenſt. *hic n.* 29.

Prob.

Prob. 4. pars : Labor *extrinſecus* ex ſe eſt *pretio* æſtimabilis, & *per accidens* ſolum hic & nunc annectitur ſpirituali miniſterio : ergo pro hoc labore, v. g. itinere ad celebrandum, cantu in Miſſa, aut alio incommodo, pretio æſtimabili, licitum eſt aliquid exigere : quod tamen non licet pro labore *intrinſeco*, qui nempe per ſe ac neceſſario conjunctus eſt cum ſacro miniſterio : ut conſtat *ex c. ad noſtram. de ſim.* Videatur *n. 85.* 80

Prob. 5. pars : Si quid detur per modum *gratitudinis* aut gratuitæ compenſationis, tunc *nullum* prorſus *pactum* intervenit : ergo neque ſimonia : ſiquidem ſic deficiat pars eſſentialis. Si tamen *gratuita* compenſatio fuiſſet deducta in *pactum* oneroſum, dandi nempe aliquid titulo *gratitudinis*, foret manifeſta ſimonia, ut certum eſt ex cit. propoſitione 45. damnata. Nam taliter exceduntur limites obligationis antidoralis, utpote quæ non determinat aliquid temporale ſed poteſt aliunde ſuppleri, prout bene notat P. Carden. in hanc propoſitionem *n. 37. & ſeqq.* 81

Prob. ult. pars : Dans *pecuniam* ad redimendam vexam, non dat *illam* pro re ſpirituali, & tanquam *pretium* ipſius, ſed dat pro tollenda vexa injuſta, & malitia alterius : ergo non committit ſimoniam v. g. ille, qui juſte petit, ſibi adminiſtrari ſacramenta, ſi obtinere non poſſet ſine pecunia. 82

CONCLUSIO II. Nomine *rei temporalis*, ſeu pretii hic non intelligitur ſola pecunia, 83

 ſed

ſed quælibet res temporalis, quæ affert utilitatem temporalem. *Iterum communis in re.*

Probatur: Quælibet talis *res* eſt *pretio* æſtimabilis, & æquivalet pecuniæ: ergo poteſt eſſe pretium ſimoniacum. Hoc pretium autem in Jure Canonico vocatur *munus*; & eſt triplex. 1. Munus à *manu*; per quod intelligitur non ſolum pecunia, ſed etiam quæcunque *res* pretio æſtimabilis, ut contradiſtincta à precibus & ſervitiis. 2. Munus *à lingua*; per quod denotantur *preces*, interceſſiones, recommendationes &c. factæ ex pacto, & intentione obligandi alterum ad obtinendum aliquid ſpirituale. 3. Munus *ab obſequio*: per quod veniunt ſervitia ſeu obſequia temporalia cuipiam præſtita ſeu præſtando ſub pacto ſeu *obligatione* conferendi Beneficium eccleſiaſticum. Non tamen ſimonia foret, ſi gratis ſervires, & *ſine* intentione *obligandi* alterum ad dandum ſpirituale, licet ſperares inde conſequi &c. *Vid.* P. Pichler *hic n. 9.*

84 CONCLUSIO III. Denique nomine *pacti* intelligitur pactum ſeu contractus *verus*, & onerosus. *Rurſum communis.*

Probatur: Simonia eſt *ſtudioſa* voluntas emendi vel vendendi: adeoque pactum vel contractus verus & oneroſus eſt ejus forma *ſubſtantialis*: ergo absque hoc pacto, ſaltem implicito, non datur ſimonia; conſequenter intelligitur pactum verum & oneroſum.

Proinde

Proinde ſimoniam non facit *tranſactio* impropria, ſeu compoſitio *amicabilis*, qua gratis alteri aliquid conceditur: eo ipſo, quod proprie pactum oneroſum haud ſit. P. Pichler *hic n. 10. Compend.*

85 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Videmus experientia, quod Canonici quid accipiant pro *præſentia* in choro: Parochi pro adminiſtratione Sacramentorum: Religioſi pro ſuis orationibus (: R. d. a. accipiunt tanquam *pretium* n. tanquam *ſtipendium* vel eleemoſynam gratis oblatam, c.:) atqui hæc omnia ſunt res ſpirituales, vel rei ſpirituali annexæ; ergo. *Vid.* P. Buſenbaum *l. 3. p. 1. d. 3. reſol. 1.*

86 Ob. 2. urg. In ipſa Curia Romana exiguntur pecuniæ pro *diſpenſationibus* ad forum *externum* pertinentibus (: tanquam pretium n. ad ſuſtentandos officiales; vel titulo *pœnitentiæ*, illis injunctæ, qui ob delictum contraxerunt inhabilitatem aliquam, & ab ea liberari volunt per diſpenſationem; vel ut applicentur in cauſas *pias*, in *quas* commutatur per diſpenſationem obligatio, per eam tollenda; vel ut rarius petantur diſpenſationes, utpote quæ ſunt odioſæ, & vulnera legum, c.:) atqui hæ utique aliquid ſpirituale ſunt; ergo.

87 Ob. 3. Praxis & conſuetudo, à nemine improbata, nos convincit, quod absque ſcrupulo vendantur, & emantur res ſacræ, numiſmata, ceræ, roſaria Jeroſolymitana &c. (: quoad materiam, & ſumptus factos quoad aſpor-

aſportationem c. ſecus n. :) Imo etiam ipſi *calices benedicti* paſſim venduntur (: in *abſtracto*, quoad materiam vel formam pretioſam c. ſecus n. :) atqui hæ res omnes ſunt connexæ rei ſpirituali, ergo. *Vid. cit.* Pichler *n. 6.* la Cr. *l. 3. p. 1. n. 154.*

88 Ob. 4. cont. ult. part. In Jure Canonico c. *Matthaus. de ſim.* cenſetur ſimoniacus, qui ad redimendam *vexam* voluit dare pecunias: ergo hoc eſt ſimoniacum (: ſi nondum habeatur jus *quæſitum* c. ſecus n. :)

89 Ob. 5. cont. 2. concl. Non committitur ſimonia, ſi aliquid temporale detur officialibus pro præbendo duntaxat *aditu*, vel mediatori pro labore illo, quem in ſe ſuſcipit adeundo collatorem Beneficii, aut ratione alicujus damni, v. g. periculi diſgratiæ avertendi: ergo ſimoniam non facit *munus* omne (: ſi non ſit *pretio* æſtimabile c. ſecus n. :) *Vid.* P. Reiffenſt. hic *n. 39.* cum ibi citatis.

90 Repones: Pro impetranda re ſpirituali licite interponuntur *preces*: ergo & *pretium* (: n. c. Quia cum res ſpirituales ſint omni *veneratione* dignæ, nihil indecens eſt, ut earum intuitu preces & ſupplicationes fundantur: ſicut nihil inconveniens eſt, ut aliquis pro indulgentiis aut *diſpenſatione* ſupplicem libellum porrigat. *Vid.* P. Schmier à *n. 43.* :)

91 Ob. 6. cont. 3. concl. Ad ſimoniam non requiritur pactum *oneroſum*: ergo. a. p. Simoniacum eſt quid promittere, dare, exhibere, ſub

ſub obligatione *gratitudinis* per *pactum* impoſita (: ſub pacto & obligatione *gratitudinis* in *genere*, & exhibendæ pro *libitu* n. quia alter jam *aliunde* obligatur ad aliquam gratitudinem in genere, cui ego ſatisfacio per ſpirituale: ſub obligatione gratitudinis *determinato modo*, non prout alteri libuerit, ſed exhibendæ determinate *pro* ſpirituali c. :) ergo.

Ob. 7. Pactum non facit ſimoniam; ergo. a. p. Non eſt ſimoniacum temporalia promittere, vel dare ſub *conditione* vel modo, *ſi* alter, vel *ut* exerceat pia opera, v. g. quando parentes promittunt liberis munera, *ſi* vel *ut* obeant Sacramenta aut templa: quando alitur Studioſus ea conditione, ut ingrediatur Religionem: quando pauperi conſtituitur pecunia, ut fundat certas preces &c. ut comprobat communis ſenſus DD. & piorum fidelium praxis; imo & ipſum Jus Canonicum c. *2. de ſepult. 4. de condit. appoſit.* atqui in his omnibus intervenit *pactum* (: n. hoc; nam ſimilia dantur vel promittuntur per modum aut *invitationis*, aut *ſtipendii* ad ſuſtentationem, aut ex titulo ſuſceptæ *obligationis* in alterius gratiam. Manent proin donationes aut liberales *remunerationes*, licet ſub *conditione* vel *modo*, & ſpectantes non utilitatem *dantis*, ſed accipientis, & Dei honorem: prout optime diſcurrit P. Pichler *n. 12.* :) ergo. *Vid.* Magnif. P. Schm. *l. 5. tr. 2. c. 1. ſ.* 3. §. 5. *n. 191.* la Cr. *l. 3. p. 1. n. 163.* 92

Ob

93 Ob. ult. Si pactum facit ſimoniam ; tunc hanc non committit, qui alteri ſine pacto dat *honorarium* ad captandam duntaxat ejus *benevolentiam*, vel ad conciliandam *amicitiam*, ut poſtea ſui memor ex benignitate conferat Beneficium, vel aliam rem ſpiritualem: Item, qui inſervit Epiſcopo gratis ad conſequendam ejus benevolentiam, vel ut is ſuam ſcientiam atque dexteritatem perſpectam habeat, ſicque citius alliciatur ad conferendum ſibi Beneficium. atqui hoc non videtur verum; ergo. m. p. Ex tali honorario aut obſequio oritur obligatio quædam *antidoralis*, id eſt talis, qua dans alterum naturaliter *obligat* ad remunerandum ex virtute gratitudinis: ergo eſt ſimonia (: n. ç. & c̱. Quia ad ſimoniam requiritur obligatio ex juſtitia & pacto: *obligatio* antidoralis autem ſeu *remuneratoria* ſolum eſt ex *decentia* & honeſtate, & procedit ex liberalitate: ſimulque ex ſe non determinat ad reddendam rem *ſpiritualem*; quia *alia* ratione remunerando poteſt eidem ſatisfieri, nec proprie eſt obligatio :)

94 Deduces 1. In ordine ad diſcernendum, an quis commiſerit ſimoniam, præſertim *mentalem*, attendendum eſſe principaliter (ſaltem pro foro *interno*) *quo ſine* quis dederit temporale bonum? ſi enim dedit eo fine, ut in hujus recompenſationem ſeu pretium vel quaſi pretium obtineret aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum, condemnandus eſt ſimoniæ, quibuſcunque demum verbis uſus ſit.

ſit. Econtrà ſi illud principaliter dedit *ex alio* motivo & fine,etſi minus principaliter& *ſecundario* ac quaſi per accidens ſperaverit aliquid ſpirituale; imo etſi ſpes aſſequendi ſpirituale fuerit *aliquo* modo cauſa impulſiva & *excitativa* ad dandum illud temporale, non debet condemnari ſimoniæ: quia non dedit temporale pro ſpitituali velut pretium. Ita P. Elbel *hic n. 617.*

Deduces 2. Non eſſe ſimoniam pro *doctrina* Theologiæ Scholaſticæ, vel Moralis, vel interpretatione S. Scripturæ, aut SS. Canonum &c. *mercedem* recipere & exigere: quia talis *inſtructio*, etſi tractet de rebus ſupernaturalibus, *non* tamen ordinatur ad felicitatem ſupernaturalem, ſed potius ab inſtructore ordinatur ad illuminandum intellectum. Nec refert, quod forſan diſcipulus aut inſtructor doctrinam hanc & ſtudium ordinet ad finem altiorem & ſupernaturalem, nam *particularis* ejusmodi ordinatio non conſtituit illam intra genus materiæ ſpiritualis, pretioque inæſtimabilis. Sic quamvis etiam alias noſtras actiones referamus *particulariter* in finem ſupernaturalem, per hoc tamen non fiunt *invendibiles.* P. Babenſt. *hic n. 35.* Elbel *n. 620.* la Cr. *l. 3. n. 183.* 95

Deduces 3. Etiam pro *Reſponſo* ſeu Conſilio *Morali* poſſe pretium accipi. Ratio eſt: quia ejusmodi Reſponſum ſeu Conſilium per ſe ac directe nil aliud eſt quam quædam doctrinalis inſtructio; etſi per accidens conducat 96

cat petentibus ad tranquillitatem conſcientiæ, & aſſecurationem ſalutis: imo recipiatur ob hunc talem finem. Pari ratione Ludimagiſtri pro ſimplici doctrina Chriſtiana, pueris tradenda, licite exigunt mercedem; quia non tradunt modo exhortatorio, aut tanquam miniſtri Verbi Dei, ſed tantummodo doctrinaliter informando rudem intellectum. la Cr. *n. 182.* Babenſt. *n. 36.*

97 Deduces ult. Etiamſi pro *quibusdam* functionibus accipi non poſſit pretium, ſi mere *ſpirituales* ſint; aut *tales* eſſe judicentur: poſſe tamen pro omnibus & ſingulis etiam ex pacto accipi *ſtipendium* pro ſuſtentatione, uti dictum eſt *n. 79.* Ratio eſt: quia non datur tanquam commenſuratio, æſtimatio, vel æqualitas boni ſpiritualis: quod tamen ad emptionem & venditionem requiritur; & conſequenter non datur ut pretium rei ſpiritualis, ſed pure ut neceſſarium vitæ & ſuſtentationi illius. la Cr. *n. 184. l. c.*

ARTICULUS III.

Quænam pœnæ ſint à Jure in ſimoniacos ſtatutæ?

90 PRænot. 1. Quia in priori articulo egimus de eſſentia ſimoniæ quaſi in *genere*, nunc in hoc ſeparato articulo (ob materiæ amplitudinem) agi de ſimonia quaſi in *ſpecie*; dubiisque quibusdam accidentalibus: ubi

ubi ſpecialiter de pœnis ſimoniæ. In ordine ad has jam

Prænot. 2. Tres duntaxat dari ſpecies ſimoniæ, quas Jura ſpecialibus pœnis perſequuntur. Eſt, quæ committitur in collatione *Ordinum*. 2. Quæ ob ingreſſum in Religionem. 3. Quæ in proviſione Beneficiorum committi poteſt. Circa primam ſtatuitur 99

CONCLUSIO I. Pœnæ ob *Ordinationem* ſimoniacam ſunt 1. Excommunicatio Pontifici reſervata, quæ tam ab ipſo ordinante, quam ordinato incurritur. 2. *Suſpenſio*, vi cujus ordinans à collatione omnium Ordinum & munerum Pontificalium; ordinatus autem à ſuſceptione Ordinum, nec non ab exercitio ſuſceptorum, ſuſpenditur. *Eſt communis.* 100

Prob. 1. pars: *Ex extrav. cum deteſtabile.* 2. de *ſim. inter com.* ubi omnes, qui pro Ordinum ſuſceptione aliquid dant aut recipiunt, ipſo facto excommunicantur; ergo. 101

Prob. 2. pars: Tum ex *c. ſi quis ordinaverit.* 45. ubi ſtatuitur ſuſpenſio à collatione *Ordinum.* Tum ex *c. ſi quis. 8. I. q. 1.* cum concordantiis: ubi *ordinatus* ab Ordinibus tam receptis quam recipiendis ſuſpenditur; ergo. 102

CONCLUSIO II. Pœnæ ob ingreſſum *Religionis* ſimoniace obtentum ſunt 1. Excommunicatio reſervata tam in dantes, quam accipientes, ſi perſonæ ſunt ſingulares: ſi *ac-* 103

cipiens ſit integrum Capitulum, ſuſpenditur ab officio. 2. Detruſio taliter profeſſi in arctius monaſterium. *Communis Canoniſtarum.*

104 Prob. 1. pars: Ex *extrav. 1. de ſim. inter commun.* ubi tam dicta excommunicatio quam ſuſpenſio infligitur: ergo. *Vid.* P. Schmalzgrueber *l. 5. t. 3. n. 251.*

105 Prob. 2. pars: *Ex c. 25. de Regular. c. quoniam 40. h. t.* & *extrav. cit.* ubi tam recipientes quam recepti jubentur *expelli* è monaſterio, & in arctius detrudi; niſi cum ipſis Epiſcopus diſpenſet. Adeoque (prout omnes pro indubitato tenent, ſunt verba P. Schmier *hic n. 220.*) profeſſio *valida* eſt; poteſtque profeſſus tamdiu in monaſterio perſiſtere, ac commodis temporalibus licite frui, donec cognito ſimoniæ crimine *per ſententiam* expellatur. Schmalzgrueber *l. c. n. 252.* Schmier *n. 221. &c.*

106 CONCLUSIO III. Pœna in Simoniacos circa proviſionem *Beneficiorum*, officiorum, dignitatum, & Prælaturarum eccleſiaſticarum ſunt ſequentes. 1. Nullitas *proviſionis*, adeo ut ante *omnem* ſententiam in conſcientia nec Beneficium v. g. retineri, nec fructus licite percipi queant. 2. *Excommunicatio* reſervata in omnes ad talem ſimoniam cooperantes. 3. *Inhabilitas* proviſi ad *idem* Beneficium, de novo obtinendum. 4. Item ad *alia* Beneficia obtinenda. 5. Imo & privatio Beneficiorum prius *habitorum*, ac depoſitio ab altaris miniſterio; ſed ultimæ duæ non incurrun-

runtur *ante ſententiam* condemnatoriam. Ita cum communi P. Pichler *hic n. 21. cum ibi citatis.*

Probatur: Ex textibus Juris Canonici, ibi adductis. Quocirca ſpecialiter obſervandum 1. Concluſionem hanc etiam extendendam & intelligendam eſſe de ſimonia Juris *Eccleſiaſtici*, ſi committatur circa beneficia ſtricte dicta: non item ſi circa *minus ſtricte* dicta, uti ſunt Penſiones, Vicariæ temporales &c. 2. Simoniam *confidentialem* fere easdem pœnas habere: niſi quod inhabilitas ad *alia* Beneficia, & privatio prius *habitorum* incurrantur ipſo facto? utut opus ſit ſententia *declaratoria* criminis &c. *Vid.* P. Pichler *l. c.*]

Objicies 1. cont. 2. concl. part. 1. Noſtro 107
ævo omnia fere monaſteria, præſertim *Monialium*, ab ingreſſuris *exigunt* absque omni ſcrupulo ſæpe ſat magnam ſummam pecuniarum (: R. d. a. pro *admiſſione* aut *profeſſione* n. titulo *ſuſtentationis*, ſi monaſterium ſit inops: aut *titulo dotis* ſeu *legitimæ*, ubi monaſterium ſatis dotatum eſt, c. :) ergo pœnæ illæ ſunt fruſtraneæ.

Ob. 2. cont. 2. part. *Beneficium* à ſimoniaco 108
invalide acquiritur: ergo & profeſſio invalide emittitur à ſimoniaco (: n. c. Quia jura nullibi annullarunt *profeſſionem*, utpote per quam quis vitam pœnitentialem aggreditur: bene tamen *acquiſitionem* Beneficii, quæ plurimos favores ſecum fert :)

Ob. 3. inſtando: Adeptus ſimoniace *Be-* 109

neficium tenetur hoc relinquere *ante* omnem *ſententiam*: ergo & *profeſſus* ſimoniace tenetur ante *hanc* relinquere ſuum monaſterium, & adire arctius (: n. 5. Quippe talis detruſio eſt pœna *poſitiva*, & profeſſus, ob validitatem profeſſionis, habet jus *in re*: utrumque eſt contrarium in Beneficiario ſimoniaco :)

110 Ob. 4. Etſi profeſſio facta ſimoniace ſit valida, non tamen tribuit jus præbendæ Capitularis, aut regularis, ut refert P. Schmier *hic n. 220.* ex Leſſio & Phœbeo, ibi citatis; ergo neque tribuit jus *manſionis* in eodem monaſterio (: n. 5. Quia *non-manſio* eſt pœna poſitiva, eo ipſo, quod ſine *aditu* alterius monaſterii fieri nequeat: econtra illa *non-tributio*, ſeu privatio *juris* ad præbendam capitularem aut regularem eſt *pœna* tantum *negativa*; & quædam inhabilitas, *quæ* nullam ſententiam de ſe requirit. Interim etiam *hæc* inhabilitas ad jus præbendæ capitularis aut regularis non incurritur ab *ignorante*. Ratio eſt: quia nulla *pœna* eccleſiaſtica ab *ignorantibus* jus incurritur, ut probat P. Pichler *l. 4. t. 7. à n. 4.* :) Sed contra hoc ultimum

111 Ob. 5. urg. Etiamſi quis in proviſione ſimoniaca ignoret *nullitatem* proviſionis, & *inhabilitatem* ad illud Beneficium, nihilominus *illam* incurrit: ergo eſt profeſſus ſimoniace inhabilitatem ad *jus præbendæ* incurrit, etſi illam inhabilitatem ignorarit eſſe annexam profeſſioni ſimoniacæ (: n. 5. Quia nullitas & inhabilitas quoad *Beneficia* reſpectu ignorantis

non

non ſunt *pœna* propter delictum ; ſed ideo *præciſè* ſtatutæ , ne aditus minus *legitimus* ad Beneficia detur cum detrimento Eccleſiarum: econtra in profeſſo ſimoniace illa privatio & *inhabilitas* ad præbendam eſt vere pœna eccleſiaſtica (utpote conſequens ad actum *validum* ob illicitatem : ſicut ſuſpenſio ob ordinationem ſimoniacam validam & *illicitam* eſt vere pœna; idem eſt de irregularitate ex delicto) ergo non incurritur ab *ignorante* : ſicut ab ignorante non incurritur cenſura aut irregularitas ex *delicto* ; etſi hæc ſit pœna tantum ſecundaria; ut tenet P. Schmalzgrueber *l. 5. t. 37. n. 109.* contra P. Pichler *l. 5. t. 37. n. 8.* qui tamen etiam ſententiam contrariam admittit ut probabilem, eo ipſo quod ſuam dicat probabiliorem :) cum quo contra hoc

Ob. 6. Inſt. *Inhabilitates* pœnales & irregularitates etiam ex *delicto* deſcendentes, principaliter & *per ſe* non ſunt introductæ in *pœnam*, ſed ex alia cauſa, ſc. irregularitates v. g. in reverentiam SS. Euchariſtiæ : ergo incurruntur etiam ab *ignorante* (: n. c. Nam etſi forent pœnæ tantum ſecundario , ſunt tamen vere *pœnæ*: ergo ſi *nulla* pœna *eccleſiaſtica* incurritur ab ignorante, nec ſimiles inhabilitates incurrentur. Inſtantia eſt in irregularitate ex delicto; pro qua P. Schmalzgrueber *l. c.* dat hanc rationem : etſi conſenſus delinquentis in *pœnam* non requiratur ad *ſuſtinendam* illam , requiritur tamen illius conſenſus in *culpam* , prout eſt cauſa *talis* pœnæ; 112

quod fieri nequit abſque notitia pœnæ, quando pœna eſt *extraordinaria.* Talis autem eſt irregularitas, delicto annexa: quia obligat delinquentem, ut eam in ſe ipſo exequatur (quod ipſum quoque fit in inhabilitate ad præbendam &c.) ergo non incurritur ab igno-
113 rante. Ex quo habes, quod *profeſſus* ſciens aliquid fuiſſe datum ab alio pro admiſſione vel profeſſione, ideoque timens, ne ſimoniace? ſe poſſit reſolvere, quod fuerit datum 1. Tantummodo tanquam *honorarium*: de quo *n.93.* 2. In gratiarum actionem. 3. Pro labore *extrinſeco*: de quibus *n. 80.* & *n. 81.* 4. Quod non fuerit *datum* animo ſimoniaco: 5. Vel ſaltem non taliter acceptum: adeoque ſit ſimonia ad ſummum incompleta, nulliſque pœnis obnoxia. 6. Si utrinque completa fuiſſet, quod profeſſio tamen ſit valida: adeoque poſſit gaudere non tantum emolumentis *temporalibus*, ex *n. 105.* ſed etiam *ſpiritualibus* ex *n. 112.* ſiquidem pœnam illam de inhabilitate ad præbendam capitularem, aut regularem plerique etiam doctiſſimi ignorent? quin in dubio non eſt faciendus ſcrupulus; in oſtendit P. la Cr. *l. 3. p. 1. àn. 195.*:)
114 Ob. 7. cont. 3. concl. Adeptus ſimoniace Beneficium plerumque nequit illud deſerere ſine ſui *infamia*: ergo ſaltem tunc illud *poterit* retinere (: cum *diſpenſatione* c. ſine *hac* n. Poteſt autem *illam* dare Epiſcopus, ſi Beneficium ſimoniace receptum ſit ſimplex, & ſimonia ab *aliis* commiſſa ſit, ignorante [reci-

piente

piente Beneficium, nec illam ratihabente: ſecus à majore Pœnitentiaria ſpeti debebit. Modum docet P. Reiffenſt. *tr. 11. d. 1. q. 5. à n. 80. in Append.* P. Kreſsling. :)

Quæres 1. Utrum enarratas in concluſione tertia pœnas incurrat quoque ſimoniace promotus, at *ignoranter*; quia v. g. alius, ipſo inſcio, dedit pretium? 115

℟. Nullam incurrit, niſi *nullitatem* proviſionis & inhabilitatem ad *idem* Beneficium: quia reſpectu talis non ſunt *pœna* propter delictum, ex dictis *n. 111.* Et hinc fructus, *bona fide* conſumptos, non tenetur reſtituere; imo poſt triennium quo bona fide poſſidet *Beneficium*, nec *iſtud*, nec ullos fructus etiam formaliter extantes; quia præſcripſit. P. Pichler *n. 22.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. à n. 204.*

Quæres 2. An autem dictas pœnas incurrat ille, qui ignoravit, *illas* eſſe ſtatutas à Jure? ℟. Talem certe *non* incurrere excommunicationem, utpote quæ fertur tantum in *contumaces.* Interim tamen incurrere reliquas pœnas, eſt fere *communis* DD. Contra *quam* nihilominus contrariam defendit ſolide, ut ſolet, P. Pichler, *hic cit. n. 22.* Rationes producit *l. 4. t. 7. à n. 4.* quæ revera adeo ponderoſæ ſunt, ut me omnino convincant. De quibus *Part. 4. n. 901.* 116

Quæres 3. Nam præfatæ pœnæ incurrantur ob *quamlibet* ſimoniam? ℟. 1. Ob ſimoniam *mentalem* nulla incurritur pœna Eccleſiaſtica: quia Eccleſia non judicat de internis; 117

& quia jura, ubi has pœnas ſtatuunt, ſemper faciunt mentionem *dationis* & *acceptionis*. Similiter nec ob ſimoniam *conventionalem*; etiamſi *mixta* foret: quia nullibi in Jure reperitur pœna in *hanc* clare expreſſa; ergo ſi tantum ex *una* parte traditio facta eſt, non incurruntur pœnæ; cum in *pœnalibus* pars *benignior* tenenda ſit *c. 49. de R. J. in 6.* & verba intelligenda ſint cum ſuo *effectu* ex *utraque* parte. P. Pichler *n. 18.* P. Elbel *n. 628.* Excipitur tamen ſimonia *confidentialis*, quæ pœnis illis obnoxia eſt, licet ex *una* parte duntaxat completa ſit, ex Bulla S. Pii V. *intolerabilis* §. 3.

118 ℞. 2. Adeoque ob ſolam & omnem *ſimoniam* realem utrinque *completam* in ſuſceptione Ordinum, in ingreſſu Religionis, & in proviſione Beneficiorum commiſſam, ipſo jure & facto incurruntur pœnæ contra ſimoniacos ſtatutæ; etſi ſimonia *occulta* foret, ut clare deciſum *in extrav. cum deteſtabile. de ſim.* Cæterum etiam *aliæ* ſimoniæ, in aliis materiis commiſſæ, ſi ad Judicem deferantur, utique *plecti* poſſunt ac debent arbitrarie (licet vel nullæ in eas pœnæ, vel ſaltem non ipſo jure incurrendæ, ſint decretæ) cum graviſſimum crimen ſint.

119 Quæres 4. Quis poſſit abſolvere à cenſuris, & diſpenſare in pœnis ſimoniæ? ℞. Per ſe ſolus ſummus Pontifex: ſi tamen delictum ſit occultum & ad forum *contentioſum* non deductum, à cenſuris abſolvit Epiſcopus, juxta

Trid. *ſ. 24. c. 6. de reform.* & Religioſi mendicantes ex privilegio, pro foro interno. Idem Epiſcopus *diſpenſat* cum eo, qui Beneficium, ſimoniace obtentum, *ſponte* & ante ſententiam condemnatoriam dimiſit, uti & cum eo qui per *alienam* ſimoniam ſe inſcio, obtentnm dimiſit. *c. penult. de elect.* An vero Epiſcopus vi Trid. *l. c.* diſpenſare poſſit ad obtinendũ rurſus *idem* Beneficium, prius ſimoniace obtentũ, vel potius *retinendum* (ſi delictũ manſit occultum, & ad forum contentioſum non deductum) diſputatur utrinque. P. Pichler *n. 26.* Cum quo

Quæres 5. An res ſimoniace acceptæ debeant reſtitui? & cui? ℞. 1. Si ex *utraque* parte facta eſt *traditio*, & præter ſimoniam non intervenit injuſtitia, ſpectato *jure naturali* nulla datur obligatio reſtituendi. Ratio eſt: quia reſtitutionem non imperat violata virtus Religionis, ſed tantum virtus *juſtitiæ* læſa: in materia tamen Beneficiali de jure *eccleſiaſtico* datur obligatio, at non *ante* ſententiam condemnatoriam. *c. 11. c. 39. de ſim.* Ante *hanc* ſervari poſſe, quæ ob ingreſſum Religionis obtenta ſunt, certum eſt ex *extrav. ſanc. de ſim.* P. Elbel *n. 635.* 120

℞. 2. Si intervenit *injuſtitia*, ut ſi quis accepit pretium temporale pro re ſpirituali, nullum temporale, pretio æſtimabile, commodum afferente, v. g. pro Reliquiis ſacris, Sacramentis &c. aut aliunde jam fuit obligatus ad dandum ſpirituale, licet ſit *connexum* cum commodo temporali, tunc ſtringit jus naturale ad reſtituendum temporale, utpote 121

acceptum ſine ullo juſto titulo. Inſuper ſi dans temporale iterum reddat ſpirituale, vel viciſſim dans ſpirituale reddat pretium temporale, ad repetitionem reddi debet acceptum, ſaltem poſt ſententiam Judicis, reſtitutionem præcipientis in pœnam.

122 ℟. 3. Si vero *una* tantum pars tradidit, tunc is quidem qui accepit *temporale*, ſpirituale tamen non dedit, tenetur jure naturali ad reddendum temporale, utpote nullo jure vel titulo acceptum. Similiter etiam is, qui accepit ſpirituale, non tamen dedit temporale, tenetur ad reddendum *illum* ſpirituale: quia *hoc* non eſt datum animo donandi, ſed ſub conditione, quantumvis illicita, recipiendi aliquid temporale. Cæterum ſimoniace accepta per ſe forent quidem reſtituenda *danti*, utpote læſo: per ſententiam tamen Judicis poteſt pretium applicari pauperibus, vel cauſis piis in pœnam delinquentis; & in Beneficialibus debet applicari Eccleſiæ, in qua Beneficium exiſtit *c. 11. & 41. de ſim. Vid.* P. Pichler *n. 24.* P. Elbel *à n. 632.*

123 Quæres ult. Utrum etiam Papa poſſit committere ſimoniam? ℟. Affirmative quoad ſimoniam, quæ eſt juris Divini, vendendo v.g. Sacramenta. Ratio eſt: quia etiam Papa ſubjectus eſt legi *Divinæ.* Nihilominus in ipſo non habet locum ſimonia *juris* duntaxat *eccleſiaſtici*, qualis reperitur in *iis*, quæ ſunt ſimoniaca, quia prohibita.

Ratio hujus eſt: quia Papa ſecundum ple-

plenitudinem poteſtatis de jure poteſt ſupra jus diſpenſare. *c. propoſuit. de conceſſ. præb.* ſimulque anteceſſor *ſucceſſorem* ſuum quomodolibet non obligavit; cum non habeat imperium in *parem c. exiit. de verb. ſignif. in 6.* P. Reiffenſt. *n. 37.* Sed de his plusquam ſatis.

DISPUTATIO II.

DE HORIS CANONICIS, VOTO, ET JURAMENTO.

AD virtutem Religionis ſingulariter pertinent *Horæ* Canonicæ, utpote quæ ſunt ſolemnis ſpecies *orationis* in genere, de qua jam ſupra *n. 32.* ubi tamen, ob materiæ copiam: etiam de *his* agendi ſpatium haud fuit. Has proinde hic diſcutiemus in Quæſtione prima: in duabus ſequentibus poſtmodum quoque quid de Voto & Juramento dicturi.

QUÆSTIO I.

DE HORIS CANONICIS.

ARTICULUS I.

Quinam teneantur recitare horas canonicas?

PRænotandum 1. Nomine *horarum canonicarum* intelligi eas preces vocales, quæ 124
ex

ex præcepto SS. Canonum ab Eccleſiaſticis perſonis nomine Eccleſiæ DEO perſolvuntur. Alio nomine appellantur quoque *Officium Divinum* ſeu eccleſiaſticum: & dividitur in nocturnum & diurnum: conſtatque ſeptem horis. Uſus hujus eſt *antiquiſſimus* in Eccleſia; *præceptus* poſtea à Gelaſio Papa & *augmentatus* à S. Gregorio Magno. Hinc

125 Prænot. 2. Obligationem recitandi ſeptem horas canonicas non eſſe juris *Divini*, ſed eccleſiaſtici duntaxat: quia *nullibi* habetur expreſſum præceptum Divinum. Quod etiam verum eſt reſpectu Clericorum *Beneficiariorum*: nam etſi *hi* debeant ſervire Eccleſiæ, & jure naturali (id eſt, lege juſtitiæ & gratitudinis) DEUM deprecari pro fundatoribus, & benefactoribus, id tamen non neceſſario fit per *horas* canonicas determinate; ſed poteſt fieri per *alias* preces & functiones. Potior quæſtio eſt, quinam obligentur hoc præcepto? Loco reſponſionis ſit

126 CONCLUSIO: Tres ſunt tituli, quibus certæ perſonæ obligantur recitare horas canonicas, nempe 1. Ratione ſacri *Ordinis*. 2. Ratione *Beneficii* eccleſiaſtici. 3. Ratione *Religionis* choro adſtrictæ: eſtque hæc obligatio gravis, peccaturque mortaliter ſi pars *notabilis* omittatur. *Ita communis.*

127 Probatur 1. pars, & explicatur: Ratione Ordinis ſacri obligantur recitare horas canonicas omnes *majoribus* Ordinibus initiati, etſi nullum Beneficium eccleſiaſticum habeant:

beant: quia nimirum ex intentione & inſtitutione Eccleſiæ *illis* Ordinibus hæc obligatio neceſſario eſt annexa, ut omnis eos Ordines ſuſcipiens, eoipſo cenſeatur ſe velle ad id obligare; ergo. Incipit autem hæc obligatio à primo die & hora ſuſcepti *ſubdiaconatus*, ſic ut illo die jam obligetur dicere non quidem *totum* officium à Matutinis, ſed ab illa hora canonica, quæ correſpondet horæ ſuſcepti Ordinis, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ vel Diœceſis, in qua ordinatus eſt; ergo.

Prob. 2. pars, & explicatur: Ratione Beneficii eccleſiaſtici, ad recitationem horarum 128
canonicarum obligantur omnes, qui poſſident *Beneficium* eccleſiaſticum, etiamſi nullo Ordine majore ſint inſigniti: prout conſtat ex c. *dolentes.* & ex aliis SS. Pontificum conſtitutionibus. Eſtque hæc obligatio *graviſſima*, utpote non tantum ex virtute Religionis, ſed etiam ea *juſtitia* procedens (ſi velint fructus Beneficii percipere) nimirum vi pacti, collationi cujuscunque Beneficii annexi: nam *Beneficium datur propter OFFICIUM* (ſc. *canonicum* ſeu propter horas canonicas) *c. ult. de reſcript. in 6.* Hinc ſi omittant horas canonicas, tenentur fructus reſtituere. De quo infra *n. 138.*

Prob 3. pars, & explicatur: Ratione *Religionis* choro adſtrictæ, tenentur omnes Re- 129
ligioſi utriusque ſexus (exceptis novitiis, & laicis converſis) recitare Divinum officium, tametſi ad nullum Ordinem ſacrum ſint promoti. Ratio eſt: quia *conſuetudo* habet vim legis; eſtque dicta conſuetudo in Religonibus

bus choro addictis paſſim recepta; & omnes in omnibus Ordinibus ita inſtruunt ſuos juniores; ergo. *Vid. n. 135.*

130 Prob. ult. pars: Quia eſt *præceptum* grave, & quidem in gravi materia, ſpectante ad virtutem religionis, non minus ac præceptum audiendi Miſſam diebus feſtivis: ergo eſt obligatio gravis; conſequenter peccatur mortaliter, ſi omittatur pars *notabilis*: *quæ* communiter cenſetur eſſe hora *minor* aut aliquid *eidem* æquivalens.

131 Confirmatur: Hanc conſuetudinem eſſe inductam à majoribus animo ſe & poſteros obligandi ſub *mortali*, conſtat tum ex unanimi *conſenſu* DD. qui eſt irrefragabilis teſtis *conſuetudinis*, ſic vigentis & florentis: tum quia *conſtanter*, etiam cum *magnis* incommodis obſervatur; & inſuper omnes *peſſime* ſentiunt de negligente hunc penſum: ergo.

132 Objicies 1. cont. 1. part. Etſi Jus Canonicum *Sacerdotibus* imponat *obligationem* recitandi horas canonicas *in* c. *Presbyter.* & *in* c. *dolentes*, attamen *illam* nullibi imponit *Diaconis* & *Subdiaconis*: ergo hi non obligantur (: R?. d. ç. per textum juris *expreſſum* c. conſuetudine generali & immemoriali Eccleſiæ n. Tenentur autem, quamvis *excommunicati*, ſuſpenſi, depoſiti aut degradati forent: quia Ordo nunquam tollitur, utpote cujus character indelebilis eſt. *Hi* tamen non deberent dicere *Dominus vobiscum*, ſed loco hujus *Domine exaudi orationem meam*: quia prius

eſt

eſt functio Ordinis, & quædam communicatio in officiis Divinis, quæ excommunicatis non eſt licita:) P. Reiffenſt. *hic n. 15.*

Inſiſtes: *Minoriſtæ* non obligantur ad recitandas horas canonicas: ergo neque Subdiaconi & Diaconi (: n. c. Quia de his eſt conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres: non item de *prioribus* :) 133

Ob. 2. cont. 2. part. Dantur aliquæ Præpoſituræ & Perſonatus, in quibus non eſt obligatio recitandi horas canonicas ſed tantum officium parvum B. V. (: & hoc ex *ſpeciali* privilegio c. ſecus n. :) ergo ſaltem non *omne* Beneficium obligat ad recitationem horarum (: d. aliter: ſi forſan nondum ſit poſſeſſum, vel non fructificet c. ſecus n. :) *Vid.* P. Sporer *à n. 22.* 134

Ob. 3. cont. 3. part. Fratres Religioſi non tenentur ad horas canonicas ratione ſuæ *profeſſionis*, alioquin etiam tenerentur fratres & ſorores *laicæ*: nec ratione *conſuetudinis*; quia hæc tantum ſupponitur, non probatur, nec ulla ratione certo probari poteſt; ſecus non tot authores apud P. Sporer *Part. 1. de Sacr. in append. c. 1. n. 14. illam* negarent: ergo hoc onus eis non debet *certo* imponi (: n. c. Quia plurimi de probabilitate *practicâ* ſententiæ contrariæ dubitant: *quam* tamen eidem denegare non audet P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *hic ſub n. 18.* quidquid alii contradicant :) 135

Inſta-

RIGGS LIBRARY,
GEORGETOWN UNIVERSITY,
WASHINGTON, D. C.

136 Inſtabis : *Laici* profeſſi ſunt veri religioſi & tamen non tenentur ad horas : ergo nec *alii* (: n. c. Quia illi *non* ſunt addicti choro. Quin hi non peccant, ſaltem graviter, etſi omittant preces ſibi quotidie præſcriptas : quia generatim nec ratio, nec authoritas id ſuadet ; ut bene docet P. Spor. *n. 15.* Novitios non obligari ex eo conſtat, quia ad onera Religionis nec dum adſtringuntur. Idem eſt de quibusdam monaſteriis *monialium*, ubi Breviarium nondum eſt receptum, vel non niſi absque obligatione :, qualiter recitatur in vicino nobis Parthenone Reutenſi ad B. Eliſabetham Bonam :)

137 Ob. 4. cont. 4. part. Veſperæ Sabbathi ſancti utique ſunt *hora* integra : atqui illas omittere *non* eſt peccatum mortale (: per accidens & ratione *parvitatis* materiæ c. ſecus n. De cætero qui omittit *totum* officium *unius* diei, committit unicum duntaxat peccatum : quia *ſingula* horæ ſunt tantum *pars* integri officii :) ergo neque hora *integra* eſt pars notabilis. *Vid.* P. Gobat *tr. 15. n. 608.* P. Babenſt. *tr. 5. d. 2. a. 3. n. 52.*

138 Deduces 1. Quod Beneficiatus omittens *culpabiliter* (ſecus, ſi inculpabiliter, ob impotentiam, oblivionem &c.) Officium Divinum, obligetur ad *reſtitutionem* fructuum pro rata omiſſionis, ſeu reſpondentium tempori, quo omiſit. Ita omnes ex Concilio *Lat. ſeſſ. 9.* & S. Bulla Pii V. *conſtit. 135.* Beneficiatus *novus* tamen, etſi omittendo Breviarium pec-

cet,

cet, nihilominus etiam in conſcientia nihil tenetur reſtituere in *primis* ſex menſibus; prout in *cit. Bulla* diſerte dicitur. Similiter non eſt obligatio reſtituendi reditus *ſtolæ* ut, docent citati à P. Reiffenſt. *à n. 33.*

Deduces 2. Plures dari cauſas, à recita- 139
tione horarum canonicarum excuſantes. 1. Eſt naturalis & inculpata *oblivio*; uti per ſe patet. 2. Gravis *infirmitas*: id eſt talis ut ſine *magna* difficultate vel corporis *periculo* horæ recitari haud queant. 3. Gravis & *repentina* occupatio, quæ ſine ſcandalo aut notabili detrimento differri non poteſt. 4. *Impotentia*, qualis eſt in cæco &c. Interim *non* potens recitare *totum* officium, non hoc ipſo liberatur à recitatione *partis*; ob propoſitionem 54. damnatam ab Innoc. XI. Nihilominus talis non tenetur adhibere ſocium, ſi *antea* non conſuevit adhibere, 5. Diſpenſatio, facta à ſummo Pontifice, Epiſcopo, Superiore. 6. Denique etiam *metus* gravis, ob tranſitum per latrones, hæreticos &c. P. Reiff. *à n. 76.*

Deduces 3. Illum, qui per *ſeipſum* non po- 140
teſt recitare horas, non teneri id facere per alium: quia hæc obligatio *perſonalis* eſt; adeoque nequit adimpleri per alium, ſicut *auditio* Sacri. *Hujus* adinſtar horæ neglectæ nequeunt recompenſari *alio* die; ſiquidem ſint onus huic diei affixum. Adeoque nec fructus retineri poſſunt; etſi defectus recitationis alio die ſuppleatur. De cætero *reſtitutio* fructuum

facienda eſt fabricæ vel ornatui Eccleſiæ, in qua quis habet Beneficium; vel *pauperibus*. Inter *hos* autem comprehenduntur etiam pauperes *alterius* Eccleſiæ; item *illi*, qui ſecundum ſuum *ſtatum* pauperes ſunt, uti Religioſi: quin & ipſe Beneficiatus, ſi vere pauper ſit. P. Kreſslinger *hic ſub n. 37.*

141 Deduces ult. Quamvis communitas Ordinis religioſi, choro adſtricti, ſub gravi teneatur ſtatutis temporibus horas canonicas *in choro* perſolvere; eaque cura, ut id fiat, inprimis Prælato incumbat, nihilominus ad *ſingulos* hanc obligationem quoad *ipſam* frequentationem chori non deſcendere. Quare peccati mortalis damnari non deberet, qui cæteris in choro rite canentibus, ob pigritiam abeſt: quia nulla conſuetudine tam gravis obligatio introducta eſt. Quin ſi quis, juſto impedimento detentus, abſit, certum eſt, talem nullatenus peccaturum. Cæteroquin ut obligationi recitandi horas canonicas *publice* in choro ſatisfiat, requiruntur ad minimum *quatuor*; quia ſine paucioribus decora chori alternatio fieri vix poteſt. Sufficit tamen ſi hic quaternarius numerus compleatur per Novitios, eo quod hic in favorabilibus æquiparentur profeſſis. *Vid.* P. Spor. *n. 17.* Reiffenſt. *n. 21.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Qualiter dicendæ ſint horæ canonicæ?

PRænot, 1. In jure Canonico c. *Dolentes* de *celebr. Miſſ.* præcipi, ut officium divinum *ſtudioſe* celebretur *pariter & devote*: quibus verbis totus modus recitandi comprehenditur. Nempe, ut recitetur *ſtudioſe* quantum ad officium *oris* (ut notat Gloſſa) id eſt integre, diſtincte &c. de quibus infra *n. 165.* Et *devote* quantum ad *officium cordis*; id eſt, ut recitetur cum debita *attentione* & *intentione.* Verum qualis eſſe utraque debeat, hic inquiritur? Quare ulterius 142

Prænot. 2. *Intentionem* eſſe actum voluntatis *efficacem*, volentis aliquid facere. Dividitur in *materialem* & formalem; hæc in *actualem*, *virtualem & habitualem*: actualis rurſum in explicitam & implicitam; quæ omnia ex ipſis terminis nota ſunt. *Attentio* eſt *advertentia ad aliquid*: alia eſt externa, alia *interna*; hæc in *ſuperficialem*, *litteralem*, & *ſpiritualem* ſubdividitur: poteſtque quælibet ex iſtis eſſe actualis vel virtualis. *Superficialis* eſt, qua attenditur ad *verba*, ne aliquis in iis proferendis erret. *Litteralis* eſt, qua attenditur ad verborum *ſenſum.* *Spiritualis* eſt, qua attenditur ad *finem* orationis, nempe ad Deum; qui colitur & adoratur, ad myſteria ſignificata, ad effectus, & ad rem petitam ſc. gratiam, auxilia Divina, liberationem à tentationibus &c. Quamlibet ex 143

 his

his tribus ſufficere, certum eſt ex S. D. *2. 2. q. 83. a. 3.* & communi DD. apud P. Reiff. *n. 42.*

144 Prænot. 3. Sententiam communem eſſe, quod ad recitationem horarum canonicarum requiratur aliqua intentio *orandi* (alias non eſſet oratio proprie) non quidem ſpecialiter ſed *generaliter* Deum colendi, eum laudando, gratias agendo, deprecando, petendo: quod fit, quando voluntarie & ſcienter proſers verba mox dicta ſignificantia, volens ſatisfacere tuæ obligationi. Nec requiritur intentio *actualis* ſed ſufficit virtualis & *implicita*, quam habes, dum accipis Breviarium, ut id recites &c. P. la Cr. *l. 4. n. 1326.* Nec opus eſt ad *ſingulas* horas (ſi conſequenter recitentur) *novam* intentionem facere; quamvis non eſſet intentio facta de continuandis pluribus: imo nec, ſi fiat interruptio etiam absque cauſa, & poſtea proſequar horam; quia hæc aſſumptio, & *reſumptio* fit ex imperio & virtute *prioris* intentionis: prout bene notat P. la Cr. *cit. l.*

145 Prænot. 4. Pariformiter ex doctrina communi non requiri intentionem *ſatisfaciendi* præcepto: quia Eccleſia tantam præcepit recitationem horarum canonicarum; nullo modo autem, ut recitentur *cum* intentione ſatisfaciendi præcepto. Hinc ſi recitaſti horas cum expreſſa *intentione* eas repetendi, adeoque *non* ſatisfaciendi, ſi tamen habuiſti intentionem *orandi*, & attentionem *externam*

ſal-

ſaltem, ſatisfeciſti, nec teneris repetere, jam enim ſatisfactum eſt præcepto; nec eſt in tua poteſtate obligationem præcepti jam impleti prorogare. Poteſt tamen talis peccare ratione conſcientiæ erroneæ, niſi intra terminum præcepti mutaret animum, & vellet illa ratione ſatisfacere præcepto. Salmant. *Theol. Mor. n. 24.* Spor. *n. 62.* explicans ſequentibus numeris, quomodo adſtricti choro aut Beneficio teneantur horas perſolvere *nomine* Eccleſiæ & *pro* Eccleſia ſaltem quoad partes ſubſtantiales, ſed tamen absque gravi peccato.

Prænot. 5. juxta omnes requiri *attentionem* ſaltem *externam*: adeoque delinqui mortaliter ab exercente *actiones* ex natura ſua *incompatibiles* com oratione & attentione *interna*, ut ſunt *ſcribere*, attente *audire* alios loquentes &c. non item, lente ſe veſtire, lavare, herbas colligare, inſpicere latum &c. quia hæ ultimæ actiones de ſe compatiuntur attentionem internam; uti &, ſi *exterius* fiant fabulationes, cantus, tumultus, tympanorum pulſus (dummodo ab iſta non defigas cogitationes, nec ſerio applices animum) nec teneris quærere locum opportuniorem, aut expectare tempus liberum ab iſtis &c. P. la Cr. *à n. 1335.* Verum an hæc ſola attentio externa ſufficiat? decidet ſequens 146

CONCLUSIO: Ut præcepto recitandi horas canonicas ſatisfiat, non requitur *atten-* 147

tio interna, ſed ſufficit ſola *externa*; modificata tamen per *intentionem* generaliter orandi. *Ita DD. graviſſimi apud Salmant. n. 27.* P. Spor. *n. 71.* P. la Cr. *l. 4. n. 1341. nobiscum ſentientem.*

148 Prob. 1. Attentio interna *nec* eſt de *eſſentia* orationis nec de *præcepto* : ergo ſufficit *externa*. a. p. quoad 1. part. (nam quoad ſecundam probabitur *num. 150.*) Datur eſſentia orationis ſine *omni* attentione *interna* ; ergo. a. p. Formula extremæ Unctionis eſſentialiter eſt oratio ; utpote *deprecativa* ex dicendis in *part. 4. n. 407.* atqui ad valorem Sacramenti extremæ Unctionis eſſentialiter non requiritur *attentio* interna (alias *diſtracte* collata eſſet invalida) ſed *intentio* tantum velut ad *alia* Sacramenta: ergo. Sic, qui recitat ſuplicationem coram Principe, dicitur vere orare Principem, etſi ſupplicans eſſet animo diſtractiſſimus.

149 Confirmatur: Si requiretur ad eſſentiam orationis attentio *interna* , tunc diſtractus etiam *involuntarie* non ſatisfaceret: atqui hoc nec ipſi aa. admittunt ; ergo. s. M. p. *Talis* omitteret *ſubſtantiam* & eſſentiam *orationis*, ſc. attentionem *internam* ſaltem formalem : ergo non ſatisfaceret ; nam *virtualis* juxta aa. non ſufficit; cum nihil aliud ſit quam *intentio* præmiſſa. Vel ſi *hæc* ſufficit ſemel ; tunc ſemper ſufficiet : ergo. *Vid.* Theol. Schol. *Part. 8. n. 607.*

150 Prob. 2. Attentio interna etiam non eſt de *præcepto*; ergo. a. p. Etſi Eccleſia poſſit præcipere actus internos, ex *tr. de leg. Part. 1. n. 176.*

l. n. 176. hucusque tamen (ſaltem probabiliter juxta alios) adhuc nullum *mere* internum præcepit; ergo id neque de *attentione* interna aſſerendum eſt; ſiquidem eſſet actus *mere* internus, utpote ad *eſſentiam* orationis *non* neceſſarius. Singulariter: quia non debet adſtrui obligatio *gravis*, niſi adigat *lex* certa, aut ratio convincens; quarum neutram adeſſe, oſtendetur *à n. 152.*

151 Confirmatur: Si daretur illa *lex*, attamen *non* eſſet ſatis *promulgata*; cum tot graviſſimi DD. eam dari negent; alii de ea dubitent: ergo non obligat. *Vid. cit.* Theol. Schol. *n. 609.* Interim quamvis hæc noſtra ſententia ſit probabilior, in praxi tamen ſuadenda eſt contraria: quia voluntarie diſtractus, ſi oret *ſolus*, peccat ſaltem venialiter: & ſi cum *ſocio*, poteſt peccare quoque graviter. ex *n. 159.*

152 Objicies 1. cont. 1. prob. Oratio eſſentialiter eſt elevatio mentis in Deum. (: ℞. d. M. per *attentionem* internam *continuam* n. per *intentionem* orandi præcedentem & virtualiter permanentem c. :) Sic enim à S. Damaſceno definitur *oratio* (: *vocalis n.* mentalis c. :) atqui *ſine* attentione interna non poteſt dari talis *elevatio*; ergo.

153 Ob. 2. Per recitationem horarum ſine *attentione* offenditur DEUS (: quoad *ſubſtantiam* orationis n. offenditur quoad ejus *circumſtantiam* c. nam quoad ſubſtantiam adhuc eſt actus *bonus*; ſicut ſi quis orat ex vana gloria :)

ria :) ergo non eſt vera oratio. Maxime: quia voluntarie diſtracta eſt intrinſece *mala* (: quoad *ſubſtantiam* n. quoad circumſtantiam ſubd. graviter n. *leviter* c. :) ac jure Divino & naturali prohibita; cum ſit aliqua irreverentia DEUM *exterius* alloqui & colere, ac id non facere *interius*; ergo. *Vid.* P. Stoz *l. 1. p. 3. n. 107.*

154 Replicas: Recitatio horarum *ſine* attentione interna non eſt *impetratoria* (: *quatenus* diſtracta eſt quoad circumſtantiam c. quatenus *bona* eſt quoad ſubſtantiam, utpote procedens ex bona intentione, cum modeſtia externa &c. n. :) a. p. Eſt *demeritoria* & offenſiva DEI: ergo.

155 Ob. 3. urg. Talis recitatio *ſine* attentione eſt mera hypocriſis: ergo non eſt oratio *vere* talis. a. p. Qui flectit genua & nullo modo attendit ad DEUM, ille hunc nullo modo *adorat* (: niſi habuerit prævie *intentionem* adorandi c. ſi *hanc* habuerit n. Enimvero cum intentione flectens coram *idolo* per horam, certe dicetur adorare idolum, etſi deinceps *nihil* cogitet de idolo: ergo pariter *hic* :) adeoque eſt hypocrita: ergo & qui recitat horas non attendens ad DEUM, nullo modo orat; conſequenter &c.

156 Inſiſtes. Qui ex *voto*, *pœnitentia* injuncta, vel *ſtipendio* manuali, *obligatur* fundere certas preces, utique tenetur ſub *mortali* excludere diſtractiones voluntarias (:n.hoc:quia illa *tria* obligant eo modo, quo aliæ leges, qua-

quarum nulla defacto præcepit actum *mere* internum:) ergo & qui recitat preces canonicas. Deinde: ſi *DEUS* præciperet hanc recitationem, requireretur attentio *interna*; ergo etiam dum illam præcipit Eccleſia (: n. c. DEUS enim certo *poteſt* & vult, imo *deberet* præcipere *interne* attentam; quia diſtracta eſt peccatum ſaltem *veniale*:) *Vid.* P. Gobat *tr. ſ. n. 836.*

Ob. 4. cont. 2. prob. Attentio interna ſaltem eſt de *præcepto*; ergo. a. p. In c. *dolentes de celeb. Miſſ.* præcipitur, ut recitentur horæ canonicæ *devote* (: devotione *interna* n. externa c. Nam ibi, uti & in Trid. *ſ. 24. c. 12.* ſolummodo agitur contra illos, qui in choro *fabulantur*:) ergo præcipitur devotio *interna*: quia *hæc* ſola eſt proprie devotio (:in ordine interiori c. *exteriori* n. Nam etiam ille vere dicitur *devotus*, qui cum ſola compoſitione *externa* audit Miſſam, concionem &c.:) Quod probari poſſet pluribus *authoritatibus* (: *hæ* loquuntur tantum de illo, qui *neque* externe attendit; aut ſine *intentione*; vel denique de peccato *veniali*: quod non negamus:) 157

Ob. ſ. Hæc ſententia inducit laxitates & negligentias; ergo. a. p. Facit (: *per ſe* n. per accidens, ex *tepore* recitantis c.:) ut minus religioſi luride recitent: exponit illos periculo *errandi* (: remoto t. *proximo* n. *hoc* enim ſatis cavetur per attentionem *externam*:) Imo deſtruit *intentionem* orandi (: quoadquid *accidentale* t. quoad *ſubſtantiam* n. Alioquin qui 158

 ora-

oraret ex *vana* gloria, non haberet amplius intentionem virtualem orandi, nec ſatisfaceret:) a. p. Voluntarie diſtracta recitatio eſt *offenſio* DEI (: quoad *ſubſtantiam* n. quoad circumſtantiam c.:) ergo per illam deſtruitur intentio : conſequenter hæc ſententia non eſt admittenda (: n. illat. Quia utique minus malum eſt *negligenter* orare *ſine* peccato *mortali*, quam *cum* mortali ; quod evenit in ſententia contraria :)

159 Ob. 6. Si oro in choro vel *cum* ſocio, non ſufficit ſola attentio *externa* ; quia ſic nullo modo ad alteram partem concurro, nec eam facio *meam*, ſicque non recito officium *totum*: ergo noſtra ſententia non eſt vera univerſaliter (: ſi recito *ſolus* n. ſi in choro, vel cum *ſocio* c. Sufficit tamen etiam tunc attentio *ſuperficialis*, qua attenditur ad integram prolationem verborum; alias indocti & Moniales nunquam ſatisfacerent:)

160 Regeres: Ego *alteram* partem facio mihi *communem* per externam *aſſiſtentiam*, quam in choro vel cum ſocio recito: ergo neque *hic* requiritur alia attentio interna. a. p. Per aſſiſtentiam & devotionem *externam* die feſto ſatisfacio & facio Sacrum *meum*: ergo & partem Breviarii, quam recitat ſocius & chorus (: n. c. Quia fideles non jubentur *dicere* vel concurrere active ad Sacrum, ſed *aſſiſtere* vel audire tantum : tu autem juberis *dicere* officium *totum*, ideoque aliquo modo ad alteram partem concurrere; quod non fit per ſolam aſſiſtentiam. Non requiritur tamen

auſcul-

auſcultatio, ſed ſufficit *auditio* alterius partis, ſeu attentio ſuperficialis; nam omnis qui audit, etiam aliquo modo *attendit* :) *Vid.* P. Sporer *n. 106.*

Ob. ult. Si mox dicta ſunt vera, tunc qui adſtringitur choro vel orare cum ſocio, eſt *deterioris* conditionis (: ex *parte* t. *abſolute* n. quia ex tali *alterna* recitatione acquirit majus meritum :) ſicque quivis merito deterreretur à *recitatione* Breviarii *cum* choro vel *ſocio* (: ſi ad *hanc* obligaretur abſolute c. ſi tantum ex *libera* obligatione n. Si quamvis Religioſus ad plura obligetur quam ſæcularis, nemo tamen deterretur à Religione abſolute: nec Religioſus dicitur infelix, quia libere illam elegit :) atqui hoc non vult Eccleſia; ergo. Circa dubia, in praxi ſæpius aliquos cruciantia. 161

Deduces 1. Quando quis recitat horas etiam *cum ſocio*, non requiri voluntatem habendi meliorem attentionem quam ſuperficialem; quia hæc ad *veram* orationem ſufficit, ex *n. 148.* Nec neceſſaria eſt attentio ad *ſingula* verba, ſed moralis & generalis. La Cr. *l. 4. n. 1344.* Si quis deliberate occupetur circa *alienas* cogitationes, & tamen non advertat, ſe deficere ab *attentione* non peccat mortaliter: quia illa occupatio *quatenus* eſt abſtractio ab horis, non eſt voluntaria; nam poſſet eſſe cogitatio de *aliis* rebus, & manere attentio ad horas: cum poſſimus *plura* ſimul cogitare. Sufficit autem adhibere *me-* 162

dio-

diocrem diligentiam ad repellendam diſtractionem: &, ſi eam advertens negligenter repellat, non peccat niſi venialiter. La Cr. *n. 1346.*

163 Deduces 2. Eum ſatisfacere, qui recitat horas cum ſocio, etiam laico, non *obligato*, non attento, imo *non* audiente. Nimia *celeritas* cauſans, ut ſocius non poſſit verba ſatis percipere, & attendere, eſt ordinarie veniale tantummodo. *Mutilatio* ſi fiat in ultimis tantum ſyllabis, raro eſt mortale; quia raro mutat ſenſum. Quod ſi quis mutilando perveniat ad partem *notabilem*, tenetur ſupplere, non quidem repetendo mutilata, ſed orando aliquid *æquivalens* omiſſis, v. g. unum Pſalmum &c. Sufficit inſuper, ſi ſocius recitet omnes antiphonas, capitula, reſponſoria, lectiones, & orationes; quia ſic fit in choro: lectiones quoque poſſunt dividi juxta numerum ſociorum; quod tamen non eſt neceſſe; quia in choro non fit ita. La Croix à *n. 1295.*

164 Deduces 3. In choro, qui partem ſuam *ſubmiſſe* orat, & attendit ad alteram, ſatisfacere. Per organum vel ſocios ſuppletur, ſi *non* percipitur id, quod legitur, dum quis aliquo miniſterio *ad chorum* ſpectante occupatur: unde non eſt improbabile, organœdum non obligari ad repetenda, quæ ipſe pulſat. Et certum eſt, ſatisfieri attendendo, ſi *antiphona*, *Magnificat*, & ſimilia cantentur *figuraliter*; eoquod tunc muſica vicem præſenti-

um

um ſuppleat, ac velut ſolemnizet. P. Sporer *à n. 98.*

Deduces 4. Quando quis recitat ſolus, debere horas recitare 1. *Integre*; nam ſi omitteret partem notabilem (qualis cenſetur eſſe una *hora minor*, aliave pars æquivalens) peccare mortaliter. 2. *Diſtincte* quoad pronuntiationem, linguam ac labia movendo, etiamſi vocem non formet ita, ut à *ſe* audiri valeat: quia non eſt præceptum, ut audiaris, ſed ut recites, oresque oratione *exteriore*; ſic enim horæ non amplius dicuntur in gutture & *intra* dentes: ita Salmanticenſes *hic n. 5.* Qui *tr. 16. punct. 7. à n. 53.* dicunt, eſſe probabilius, quod totum officium *privatim* poſſit recitari *mentaliter* à privilegiatis. 3. *Ordinate*: extra chorum tamen *inverſio* veniale duntaxat eſt, aut omnino nullum peccatum, ſi fiat ex rationabili cauſa, etiamſi inchoaretur officium *ſequentis* diei, hodierno necdum finito. P. Sporer *n. 143.* La Croix *n. 1315.* Reiffenſt. n. *57.* 165

166 Deduces 5. Ad debitam recitationem horarum inſuper requiri 4. Ut ſingulæ dicantur *continue* ſine interruptione; quæ ſi fiat absque cauſa, veniale eſt, nunquam tamen mortale, quia *ſinguli* pſalmi, imo & verſus, habent *completam* ſignificationem, & ſatis uniuntur per *intentionem* continuandi; aut ſi *hæc* abſit, ſaltem per hoc, quod intra diem & tempus, quo durat obligatio, addantur. Spor. *n. 136.* La Cr. *n. 1306.* Denique requiritur 5. Ut dican-

cantur *tempeſtive*, id eſt quælibet ſuo tempore; quod tamen ſi non obſervetur, rurſus veniale ſolummodo eſt, quin nullum omnino peccatum, ſi adſit *cauſa*, *qualis* cenſetur, ſi tempus matutinum ſit tibi aptius ad ſtudendum &c. Matutinum vel Laudes poſſunt dici veſpere præcedenti, quando ſol eſt propinquior ad occaſum quam ad meridiem, adeoque in ſolſtitio hyemali hora 2. in æſtivali hora 4. in æquinoctio hora 3. *Vid.* P. la Cr. à *n. 1313.* addens *n. 1320.* nullum *locum* aut *ſitum* in orando eſſe de præcepto.

167 Deduces 6. Denique etiam requiri, ut horæ canonicæ recitentur ex Breviario *approbato.* Utens *alieno* tantum per unum vel alterum diem juſta ex cauſa, non peccaret graviter. Inſuper ut officium unius diei non *commutetur* cum altero. Unde peccaret mortaliter, qui *data opera* recitaret *aliud* officium *notabiliter* brevius, quam ſit cadens & ordinatum pro tali die; velut colligitur ex propoſitione 34. damnata ab Alex. VII. Secus eſt, ſi quis aliud officium *æquivalens* recitet; vel ſi ex inadvertentia, vel alia juſta cauſa re-
168 citet etiam *aliqualiter minus.* Hinc ſi quis vel toto vel ex parte per *errorem* aut inconſiderantiam recitavit *aliud* officium, nihil tenetur repetere, ſed poteſt pergere corrigendo extunc errorem, ac recitando officium præſcriptum illius diei quoad reliquas horas. Quod ſi quis hodie ex inadvertentia legiſſet officium *craſtinum*, aut lectiones Scripturæ craſtinæ;

ſtinæ; tunc craſtina die deberet rurſum recitare *illud*, & *illas*: quia heri tempus præcepti necdum currebat. Qui *hodie* omiſit recitare de feſto, poteſt illud eo anno vel penitus omittere, vel prima die *non* impedita ſupplere. Idem eſt, ſi quis à Diœceſi, in qua certum feſtum univerſale, ob interveniens *aliud* ſolemnius, fuit translatum, venerit in locum, ubi jam erat celebratum &c. *Vid.* P. Reiffenſt. *hic à n.* 62.

Deduces ult. Dubitanti, an recitarit ali- 169
quam horam, vel aliquid omiſerit? cauſam prudentem repetendi non eſſe, quod *non meminerit*, ſe dixiſſe; dummodo non meminerit ſe non dixiſſe, & habeat *conjecturam*, quod dixerit; *qualem* habebit, ſi communiter nihil ſoleat omittere, aut tranſilire: quia poſſeſſio tunc eſt pro ipſo. *Vid.* P. la Cr. *n.* 1235. & 1350. Cæterum non eſſe obligationem gravem, ut Matutinum & Laudes recitentur ante celebrationem, decidemus in *Part.* 4. *n.* 451. Similiter *non* eſt obligatio, etiam *in choro*, recitandi pſalmos pœnitentiales, graduales, & officium defunctorum, certis diebus in Breviario præſcriptis: nam recitantes Breviarium *Romanum* non obligantur ad illa dicenda, ex Bulla S. Pii V. ergo neque *Regulares*; quia Paulus V. *bis*; nominatim nobis Benedictinis in Bulla, Breviario *noſtro* præfixa, conceſſit eadem privilegia &c. *Curſus* 170
B. V. nihilominus *in* choro (extra hunc enim nulla eſt obligatio) debet dici ex conſuetudi-

ne

ne diebus ferialibus & ſimplicibus. Interim hæc obligatio ſolam communitatem afficit, non item perſonas ſingulares. Ideo exiſtens in choro non tenetur cum aliis recitare, ſi per alios ſufficienter recitetur. Salmant. *hic n. 21.* P. Babenſt. *n. 37.* Etſi probabilius ſit quod omittens litanias diebus Rogationum vel S. Marci; aut 2. Novembris officium Defunctorum, peccet mortaliter: eſt tamen quoque probabile, quod non peccet graviter; prout refert toties jam laudatus P. la Cr. *n. 1289.* P. Gobat *tr. 5. n. 1614.* Hæc de his.

QUÆSTIO II.

DE JURAMENTO.

ARTICULUS I.

Quænam conditiones requirantur ad juramentum licitum?

171 PRænotandum 1. Juramentum hic ſum prout eſt actus religionis; & definiri quod ſit *invocatio Divini Nominis in teſtimonium veritatis.* Dividitur in *aſſertorium* quo ſimpliciter *ſine* alia *promiſſione* aliquid affirmamus vel negamus: & in *promiſſorium*, quo aliquid affirmamus vel negamus *cum* aliqu

pro

promiſſione. Utrumque dividitur in juramentum *ſimplex* (quod fit ſine ſolemnitate) & in *ſolemne*, quod fit coram Superiore per certam verborum formulam & attactum Evangelii v. g. Rurſum aliud eſt invocatorium ſeu *conteſtatorium*; quo DEUS ſimpliciter ut *teſtis* invocatur: aliud *execratorium* ſeu imprecatorium; quo DEUS invocatur inſuper ut *vindex* falſitatis. De quibus

Prænot. 2. Juramentum proprie haud 172
cenſeri, ſi quis aliquid affirmet aut neget per *fidem ſuam*, per honorem *ſacerdotalem*, per *nobilitatem* ſuam &c. Ratio eſt: quia per ſimilia verba *DEUS* non vocatur in *teſtimonium*; quamquam ſimiles formulæ in foro *externo* acceptentur loco juramenti. Econtra hæ formulæ, *juro per DEUM*, *per DEUM ita eſt*, *DEUM in teſtem invoco*, *DEUS mihi teſtis eſto*, & hujusmodi, habent veram rationem juramenti; quia in ſe continent invocationem Divini Nominis: ſi tamẽ *animo jurandi* dicantur. Nam ſi quis per ſimplicẽ aſſertionẽ hujusmodi verba profert: *coram DEO dico; DEUS ſcit, me verum dicere; DEUS videt ita eſſe* &c. non erit juramentum: quia ſimilia *non* continent invocationem, ſed meram aſſertionem. Interim tamen in his & in aliis ejusmodi animus proferentis inſpiciendus eſt. Reiffenſt. *hic n. 10. &c.* Nunc ulterius

Prænot. 3. Nihilominus juramentum con- 173
tinere hanc formulam: *in meo juramento* (vulgo, *auf mein Eyd*) quia hæc formula à Germa-

nis ſaltem communiter pro juramento uſurpari ſolet. Item verba illa: *per animam meam*, germanice, *auf mein Seel*, *bey meiner Seel*: quia *anima* hic ſumitur, quatenus eſt imago SS. Trinitatis; & ſic jam reſpicitur & invocatur DEUS. Cæterum ſequentes formulæ communiter non cenſentur continere juramentum: *dico in veritate*; *ſim nequam*, *ſim fur*, *ſi non ita eſt*; *amputentur mihi ambæ aures*; *eſt tam verum*, *quam ſol lucet*, *quam hic ſto* &c. Ratio eſt: quia ſimilibus verbis nec ex ſe, nec ex communi ſenſu, invocatur DEUS in teſtimonium veritatis; ergo. *Vid.* P. Spor. *tr.* 3. *in Decal. c.* 1. *ſ.* 1. §. 2. *n.* 8. La Cr. *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 256. Modo ſit

174 CONCLUSIO I. Ut juramentum ſit licitum & actus virtutis religionis, requiruntur tres conditiones, tanquam ejus comites, nempe veritas, judicium, & juſtitia. *Ita Moraliſtæ & Canoniſtæ communiter.*

175 Probatur Ex illo *in Script. Jerem.* 4. Jurabis, vivit Dominus, in *veritate*, *judicio*, *& juſtitia*: ergo. Conſiſtit autem *Veritas* in eo, ut Divinum nomen non aſſumatur in teſtimonium falſi: *Juſtitia*, ut non adducatur in teſtimonium rei *injuſtæ*, & iniquæ; id eſt, ut non promittatur, quod non poteſt ſervari absque peccato: *judicium*, ut non juretur ſine *ratione*, utilitate, aut neceſſitate? adeoque non absque *juſta* cauſa. *Quæ* tamen ſi deſit, & juretur, ordinarie nō peccatur niſi *venialiter*: quia Deus adhuc adducitur in teſtimonium rei *veræ*; licet

cet imprudenter. Si autem in juramento *aſſertorio* deſit veritas *rei*, & in *promiſſorio* veritas *intentionis* (ſeu *animus* implendi) ſemper eſt peccatum mortale, etiam in *re levi*: quia ſemper eſt graviſſima injuria contra veracitatem DEI; cum per id DEUS invocetur, ut teſtificetur falſum. Si vero in promiſſorio ſolum abſit veritas *executionis* (ſi nempe non exequaris, quod promiſiſti) tunc peccatum, ſi res ſit *levis*, eſt tantummodo veniale: quia nec DEUS, nec homo cenſetur velle obligare ad rem *levem* ſub peccato gravi. Quod ſi denique deficiat *juſtitia*, in juramento *promiſſorio* eſt peccatum grave, quando materia eſt graviter illicita; quando autem eſt leviter tantum illicita, eſt quoque peccatum leve duntaxat. Ita concludunt DD. communiter, quamvis hoc ex ratione difficulter probetur; ut ait P. Pichler *l. 2. t. 24. n. 4.* Quare ſit 176

177 CONCLUSIO II. Materia juramenti promiſſorii debet eſſe licita; adeoque juramentum de re illicita factum nullam parit obligationem: uti & juramentum de re indifferenti, aut impeditiva *majoris* boni; ſi fiat ſoli DEO. *Ita in re communis.*

178 Prob. 1. pars: Quia juramentum promiſſorium non poteſt eſſe *vinculum* iniquitatis. *c. 18. de jurejur. &c.* ergo. Ideo jurans, quod *non* velit inimico *ignoſcere &c.* non obligatur.

179 Prob. 2. pars: Juramentum *factum DEO*

æquivalet *voto*; quod debet eſſe de *meliori* bono: de *quo* tamen actiones indifferentes non ſunt; ſiquidem fructuoſæ non ſint, & ſæpe etiam majoris boni impeditivæ; ergo. Hinc jurans, quod non velis fricare barbam &c. non obligaris.

180 Objicies 1. cont. 1. concl. Si quis *absque* judicio *frequenter* jurat, ille ſe exponit periculo *falſum* jurandi; adeoque peccandi graviter: ergo eſt peccatum *grave* (: ℞. d. c *de ſe* n. ratione illius periculi & per *accidens* c. Debet ergo *talis* conſuetudo deponi: maxime conſuetudo jurandi *indiſcriminatim* verum & falſum; eoquod *hæc* hominem conſtituat in maximo periculo committendi perjurium; eſtque peccatum mortale, quamdiu eſt *voluntaria*: quæ tamen per propoſitum deponendi interrumpitur:) *Vid.* Reiffenſt. *n. 14. & ſeq.*

181 Ob. 2. Etſi in juramento promiſſorio deſit veritas *executionis*, per hoc tamen non peccatur ſemper graviter, ex *n. 175.* ergo neque ſemper graviter peccabitur, ſi deſit veritas *intentionis* (: n. c. Quia ſi *hæc* deſit, Deus vocatur in teſtimonium *falſi*: non item ſi tantum deſit veritas executionis:)

182 Ob. 3. cont. 2. concl. Juramentum, factum *homini*, poteſt eſſe de materia indifferenti, ex *n. 177. 191.* ergo etiam factum Deo. c. p. In utroque invocatur DEUS in teſtem *æqualiter* (: n. *hoc*; nam in priori DEUS tantum ut *teſtis* invocatur: in poſteriori autem ſimul ut *acceptator*: juramentum autem de re indif-

indifferente DEUS non acceptat :) *Vid.* P. Pichler *l. 2. t. 24. n. 4.*

Ob. 4. Accedere aliquam *certam* domum, eſt res *indifferens*: atqui juramentum de hac *non accedenda* valet (: ſi ſubſit *periculum* peccati c. ſecus n. :) ergo poteſt juramentum fieri de re indifferente. 183

Ob. 5. Pater aliquis ſæpe jurat, ſe *punitu-* 184 *rum* filium; domina, ſe non ſervaturam, diutius ancillam; diſcipulus, ſe *accuſaturum* apud magiſtrum condiſcipulum; mercator ſe non *viliori* pretio venditurum, aulicus, ſe non *priorem* ſeſſurum, *ingreſſurum* &c. atqui hi, *non faciendo* poſtmodum id, *non* peccant *mortaliter* (: ſi non habeant intentionem *exequendi*, de quo faciendo jurant, n. ſi habeant c. Quippe *ejusmodi* juramenta *vel* non fiunt ex motivo virtutis, ſed frequenter tantum ex impatientia & propoſito *vindictæ*; ac proinde non obligant, cum ſint de re *mala*: *vel* ſunt de re indifferente, v. g. de non prius ſedendo, intrando: *vel* inutili, ut ſi corrigendus jam aliunde emendatus ſit: *vel* non gravi, ut ſi pater juravit, ſe caſtigaturum puerum ita promeritum, & poſtea ſine cauſa omittat:) *Vid.* Reiffenſt. *hic n. 22.* Sporer *n. 39.* La Cr. *n. 301.*

Quæres 1. An non ſint adhuc aliæ ratio- 185 nes, ob quas ita jurantes & *non ſervantes* poſſint excuſari à peccato? ℟. Ita, adhuc eſſe alias quatuor, quæ in quolibet *juramento* promiſſorio (imo & *voto*) quamvis abſolute

 facto

facto, tacite ſubintelliguntur. 1. Eſt: *ſi potero*: quia ad impoſſibile nemo obligatur. 2. *Salvo jure*, & authoritate *ſuperioris*: quæ conditio deſumitur, *ex c. ad noſtram. de jurejur. &c. non eſt de voto.* 3. *Niſi is*, in cujus gratiam & utilitatem juratum eſt, obligationem *remittat*, ſive expreſſe, ſive tacite: quia quilibet poteſt cedere juri ſuo, illudque remittere. 4. Tandem, *dummodo res in eodem ſtatu permanſerit*; id eſt, notabilem mutationem non accipiat: quia *notabilis* mutatio facit quaſi *aliud* objectum, ad *quod* jurantis intentio ſe non extendit. Et, quia hæ conditiones *tacite* tantum & de *jure* inſunt, ideo non faciunt juramentum aut votum *conditionatum l. conditiones. ff. de condit. & demonſtr.*

186 Quæres 2. An? & quomodo à perjurio excuſari queant mercatores, qui jurant, ſe non poſſe *tali* pretio merces vendere; item, merces ſibimetipſis *pluris* conſtare: cum tamen neutrum in rigore verum ſit? ℞. Priores excuſari per hoc, quod intelligant, & ſatis ſciantur ſignificare velle, ſe non poſſe cum *honeſto*, & mediocri *lucro* ita vendere. Poſteriores autem poterunt excuſari per hoc, quod non intelligant *nudum* pretium rei emptæ, ſed etiam computent *expenſas*, laborem, periculum &c. hæc enim omnia juſte poſſunt venire nomine *pretii*. De quo ſubintelligendo inſtruendi ſunt quandoque à confeſſario, ſi eam conſuetudinem deponere nequeant.

Alio-

Alioquin ſi ita falſe jurent ſerio, perjuros eſſe mortaliter, nimis certum eſt. *Vid.* P. Spor. *n.* 41. P. Viva *t.* 1. *q.* 3. *a.* 3. &c.

ARTICULUS II.

Quomodo obliget juramentum promiſſorium?

PRænot. Ex dictis in priori articulo ſatis 187
conſtare, quomodo obliget juramentum *aſſertorium.* Hic proinde agendum eſſe de obligatione juramenti *promiſſorii*; ut & de cæteris ad hanc materiam pertinentibus. Si igitur

CONCLUSIO I. Juramenta promiſſoria, 188
quæ cedunt tum in honorem Dei, tum in bonum & utilitatem tertii, Eccleſiæ, aut communitatis, fiuntque circa materiam honeſtam, pariunt obligationem. *Ita communis ex c. vero. ex c. cum contingat de jurejur.*

Probatur; Talia juramenta involvunt *reverentiam* Divini Nominis, ſimulque ſunt *honeſta*; ergo pariunt obligationem ea adimplendi: & quidem ex motivo *Religionis*, ſi fiant ſoli Deo; & ſimul ex motivo *fidelitatis* & juſtitiæ, ſi fiant homini, illa *acceptanti*: nam promiſſum cadit in debitum. Utrum graviter vel leviter? dicetur in concluſione tertia. Subintellige tamen, niſi excuſet una ex quatuor conditionibus, ſupra *n.* 185. enumeratis.

RIGGS LIBRARY I H S

189 CONCLUSIO II. Juramentum promiſſorium factum Deo de opere minus bono, & cujus oppoſitum eſt melius, non obligat, niſi factum ſit in favorem tertii. *Iterum communis.*

190 Prob. 1. pars: Juramentum promiſſorium non obligat, niſi *acceptetur*: atqui Deus juramentum, ſi ipſi *ſoli* fiat, non acceptat, niſi ſit de *meliori* bono; ergo non obligat: ut jam dictum *n. 179.*

191 Prob. 2. pars: Quia juxta receptam regulam juris, juramentum *homini præſtitum* ſervandum eſt, quotiescunque *ſine peccato* ſeu ſalutis diſpendio ſervari poteſt: atqui hoc poteſt fieri in *omni* materia *licita*, adeoque etiam minus bona, & *indifferente*; ergo etiam quoad *hanc* obligat. Si tamen ſit *acceptatum*; nam *promiſſio* non-acceptâta non obligat; ergo nec juramentum

192 CONCLUSIO III. Juramentum promiſſorium obligat ſub gravi, ſi *materia* ſi gravis; & ſub *levi* tantum, ſi materia ſit levis: adeoque hic datur parvitas materiæ. *Rurſum communis* DD.

193 Prob. 1. pars: Deus, qui per juramentum invocatur in teſtem, cenſetur authoritate ſua *obligare* juxta *proportionem* materiæ; ſicut *alias* ſolet per ſua præcepta: ergo etiam juxta proportionem *hanc* erit obligatio gravis vel levis in juramento promiſſorio.

194 Prob. 2. pars: Deus in juramento promiſſorio non adducitur ut *teſtis* veritatis (quantum

tum ad *ipſam* adimpletionem operis) ſed ſolum ut *ſponſor*, vel authoritatem præbens obligationi, ad eum modum, quo ſi in præſentia Principis ſponſalia celebrentur: ergo obligat ſub *levi*, ſi materia levis ſit. Sic *votum* poteſt obligare ſub *levi*; quod tamen gravius obligat (utpote factum *immediate* ipſi Deo) quam juramentum, quod fit in utilitatem hominis. *Vid.* Spor. *n. 137.*

Objicies 1. cont. 1, concl. *Homo* poteſt 195
remittere juramentum, factum in *ſuam* utilitatem: ergo ſaltem *hoc* non obligat ex virtute religionis (: ℞. n. ç & c. Quia Deus *juramentum* non aliter acceptat, quam in quantum acceptat homo *promiſſionem*: ergo ſi homo remittit *obligationem* promiſſionis ſibi factæ, etiam Deus remittit obligationem *juramenti*: & econtra :)

Ob. 2. cont. 2. concl. part. 2. Juramen- 196
tum factum Deo de re indifferenti, non obligat: ergo nec factum *homini* (: n. c. Quoniam Deus non acceptat niſi *melius*; homo autem acceptat *utilius* :) *Vid.* P. Reiffenſt. *n. 26.*

Ob 3. Non datur parvitas materiæ in ju- 197
mento *aſſertorio*, ex *n. 175.* ergo neque in juramento *promiſſorio* (: n. c. Quia in juramento aſſertorio Deus vocatur in teſtem *veritatis* vel falſitatis, *quæ* conſiſtunt in *indiviſibili*: in promiſſorio autem eſt duntaxat ſponſor *obligationis*, quæ magis & minus ſuſcipit :)

198 Ob. 4. urg. Qui rem parvam, juramento promiſſam, non ſervat, ille Deum facit teſtem falſi, ſeu facit, ut Deus teſtatus ſit *falſum* (: n. *hoc*; nam qui initio, quando fecit juramentum promiſſorium, habuit *intentionem* implendi, & poſtea non implet, *non* mentitur, neque peccat contra veracitatem, ſed contra ſolam *fidelitatem*, vel ſimul contra juſtitiam: quæ utraque virtus *parvitatem* materiæ admittit; conſequenter nec Deum in teſtem *falſitatis* adducit :)

199 Quæres 1. Quid ſit *perjurium*? ℟. Eſt *juramentum de falſo in opinione jurantis.* Additur in *opinione* jurantis: quia quamvis illud quod quis jurat eſſe *verum*, ſit *tale* à parte rei; ſi tamen jurans *putaret* eſſe falſum, pejeraret; eoquod *deliberate* Deum in teſtem *rei*, juxta opinionem ſuam *falſæ* adduceret. Idem eſt, ſi quis *dubitaret* de veritate rei; nam exponeret ſe manifeſto periculo adducendi Deum in teſtimonium falſitatis: adeoque peccaret mortaliter. Nec ratione *parvitatis materiæ* à mortali excuſari poteſt, juxta ſuperius dicta *n. 175.* bene tamen ratione defectus *voluntarii* ac ſufficientis deliberationis, vel defectu intentionis Deum in teſtem adducendi: ſi quidem, ut optime notat S. Th. *2. 2. q. 73. a. 2. peccata, verborum maxime, ſunt ex intentione dicentis judicanda.* Hinc in praxi ille qui confitetur ſe pejeraſſe, fere eo modo interrogandus eſt, quo ille, qui blaſphemavit, ſupra *n. 69.*

Quæres 2. An liceat exigere juramentum ab eo, qui ſcitur pejeraturus? ℟. Negative: quia nunquam licitum eſt alterum *inducere* ad peccatum mortale; quale eſt perjurium. Si tamen *cauſa juſta* ſubſit, & aliter commode fieri haud poſſit, *judex* id poteſt exigere. Imo ex juſta cauſa etiam *quilibet* poteſt exigere juramentum ab eo, quem præſcit juraturum per Mahometem, aut falſos deos; non quidem *determinate*, ut juret *tali* modo, ſed abſolute & in genere. Si Laban, iniens fœdus cum Jacob, juravit per Deum Jacob, & Deum Nachor. *gen. 31.* Idipſum eſt quotidianum apud mercatores cum infidelibus contrahentes. 200

Quæres 3. Utrum ſit licitum jurare *æquivoce*, vel cum reſtrictione mentali? ℟. Negative: ſi quis *ſponte* ſe offert ad jurandum; vel ſi legitime & *juridice* ſub juramento interrogetur. Ratio, præter propoſitiones *25. 26. 27.* & *28.* ab Innoc. XI. damnatas, eſt: quia alioquin facile perverteretur judicium. Accedit, quod juridice interrogatus *obedire* teneatur judici, ſicque jurare in ſenſu, quem judex intendit. Interim hic notanter advertendum, quod Innoc. XI. in citatis propoſitionibus duntaxat damnet amphibologiam illam, quæ fit cum *reſtrictione* pure *mentali*: innuatque per eam committi perjurium & mendacium. Adeoque amphibologia, ſeu æquivocatio, quæ *ſine* ſimili reſtrictione *pure* mentali fit, damnata non eſt, ſed adhuc licita: 201

202

cita : prout oſtendit P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *tr. 6. d. 2. q. 3. ſub n. 39.* De irritatione, diſpenſatione, & commutatione juramenti, agetur infra *à n. 228.*

QUÆSTIO III.

DE VOTO.

ARTICULUS I.

Quomodo Votum obliget ?

203 PRænotandum 1. Votum ex S. Th. *2. 2. q. 88. a. 1.* recte definiri : eſt *promiſſio deliberate facta DEO de meliori bono.* Senſus eſt, quod votum non tantum debeat eſſe *propoſitum* (quod nunquam inducit] obligationem) ſed promiſſio cum intentione ſe obligandi , & quidem *deliberata* , Deoque facta principaliter (quia actus *latriæ*) etſi minus principaliter ſubinde fiat in *honorem* Sanctorum ; ac de *meliori* bono, id eſt, materia voti debet eſſe non tantum poſſibilis & *bona*, ſed talis, ut non ſit impeditiva *majoris* boni. Ratione quorum

204 Prænot. 2. Votum poſſe fieri etiam per actum *internum* ; quia DEUS cor intuetur. *1. Reg. 16.* fore tamen invalidum , ſi fieret de re *impoſſibili* (v. g. per totam vitam non committendi ullam veniale) de omnino *indifferente* (hæc enim DEO grata eſſe non poteſt) aut impe-

impeditiva *majoris* boni; nam alias DEUS, cui *magis* placet quod eſt *melius*, tanquam promiſſarius non *acceptaret* promiſſionem. Unde matrimonium regulariter non eſt materia voti; quia *virginitas* eſt melior.

Prænot. 3. Si quis faceret votum (quod 205
omnino licitum eſt) B. V. vel alteri Sancto, absque ulla intentione ſed obligandi DEO ſed ſolum ipſi B. V. vel tali Sancto, non fore proprie votum, ſed actum hyperduliæ aut duliæ, obligantem tamen; quia promiſſum, præſertim tam ſanctum, cadit in debitum. Interim tale votum, ſi foret circa materiam reſervatam S. Pontifici, puta continentiam perpetuam, religionem, aut tres illas peregrinationes (de quibus infra *n. 236.*) non eſſe reſervatum, ſed diſpenſabile ab Epiſcopo, vel privilegiato. Quam doctrinam in praxi bene notandum monet P. Spor. *n. 32. & ſeqq.*

Prænot. 4. Votum dividi 1. In *ſimplex* 206
(quod fit privata voluntate) & *ſolemne*; quod fit interveniente authoritate Eccleſiæ per ſuſceptionem ordinis majoris, aut per profeſſionem religioſam. 2. In *reale* (quo DEO *res* aliqua promittitur) & *perſonale*: quo *actio* ipſius perſonæ voventis promittitur. Si res & actio ſimul promittatur, vocatur votum *mixtum*. 3. In *abſolutum* (quod inpependenter ab omni conditione emittitur) & in *conditionatum*; quod emittitur ſub conditione; ac proinde, non impleta conditione, nullam

obli-

obligationem parit. Circa obligationem aliorum ſit.

207 CONCLUSIO I. Votum rite factum obligat ad ſui impletionem ſub *mortali*, ex genere ſuo: ex *levitate* tamen materiæ; aut *intentione* voventis etiam in materia gravi obligat tantum ſub veniali. *Eſt tota communis & ſecura doctrina.*

208 Prob. 1. pars: Obligatio voti oritur ex virtute *religionis* & *fidelitatis* DEO præſtandæ; ergo de ſe gravis eſt, ejusque transgreſſio mortalis, & quaſi ſacrilegium contra ſecundum præceptum Decalogi.

209 Prob. 2. pars: Votum eſt quaſi privata *lex* quam ſibi quis imponit: ergo ſicut *leges* non obligant ſub gravi, ubi deeſt *gravitas* materiæ, aut voluntas obligandi graviter; ita & votum tunc non obligat graviter.

210 CONCLUSIO II. Qui dubitat, num votum emiſerit, vel duntaxat propoſitum non obligatur voto: econtra qui certus eſt de voto, & tantum dubitat, an habuerit intentionem ſe obligandi, aut *ſufficientem* deliberationem, tenetur voto. *Ita communiter Moraliſtæ.*

211 Prob. 1. pars: Quia in dubio melior eſt conditio *poſſidentis*, juxta *regul. 65. jur. in 6*: atqui talis dubitans eſt in poſſeſſione *ſuæ* libertatis; ergo.

212 Prob. 2. pars: Quia tunc votum ſtat in poſſeſſione; ergo tunc obligat: quia ubi de *actu* conſtat, præſumitur pro *ejus* validitate: donec

donec de invaliditate conſtiterit. Sententiam contrariam tamen ceu probabiliorem admittit P. Pichler *l. 3. t. 34. n. 2.*

CONCLUSIO III. Votum *ſine* temporis determinatione editum, executioni mandari debet, quamprimum commode poteſt: & quidem *perſonale* à vovente; *reale* autem etiam ab aliis. *Denuo communis DD.* 213

Prob. 1. Omnis *promiſſio* ſtatim parit obligationem; conſequenter *ſtatim* petit *executioni* mandari, ut habetur *l. promiſſ. ff. de conſtituta pecun.* ergo & votum; juxta illud, *Deut. 23. cum voveris Domino, non tardabis reddere &c.* Interim quantacunque dilatio fiat in votis, continentibus *obſequium* temporale tantum, ex dilatione nullum patiens incommodum niſi meram *moram temporis* (ſecluſo periculo oblivionis vel omiſſionis) probabiliter nunquam excedet culpam venialem; prout fuſe oſtendit P. Spor. *à n. 111.* 214

Prob. 2. pars. Obligatio voti naſcitur ex propriæ voluntatis conſenſu; cum ſit quaſi privata quædam lex: ergo non alium quam ipſum *voventem* ac conſentientem obligat. 215

Prob. 3. pars. Votum reale obligat voventem non quomodocunque, ſed quatenus eſt dominus *rei* promiſſæ: ergo ſicut *dominium* rei illius tranſit ad alios, nempe hæredes, ita & ad illos tranſit obligatio voti *realis*, dominio illi annexa. 216

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 2. In obligatione *juramenti* non datur parvitas materiæ; 217

riæ*: ergo neque in obligatione *voti* (: R'. n. c. & c. Quia in omni *perjurio*, etiam circa rem *levem* deliberate commiſſo, invenitur *tota* malitia perjurii, dum *DEUS* adducitur in teſtem *falſitatis*: ſecus eſt in voto circa materiam levem violato; ubi proinde excuſat levitas materiæ non minus ac in furto. Quin, retorqueo argumentum: in juramento, *promiſſorio* ſaltem, datur parvitas materiæ; ergo & in voto :)

218 Ob. 2. cont. 2. concl. part. 1. In dubiis eſt *tutior* pars eligenda (: ſi dubium *practicum* non poſſit *deponi* ex aliquo titulo c. ſecus n. Hic autem titulus ſufficiens deponendi eſt poſſeſſio :) ergo dubitans tenetur voto.

219 Ob. 3. cont. 2. part. Ad votum eſſentialiter requiritur *deliberatio* perfecta & tanta, quanta requiritur ad peccatum mortale: ergo ſi de *hac* dubitatur, tunc dubitatur de aliquo conſtitutivo *eſſentiali* voti (: ita tamen ut de hac poſſit præſumi c. ſecus n. :) *Vid.* La Cr. *l. 3. p. 1. n. 384.*

220 Ob. 4. Inſt. Si votum fuerit emiſſum *ante* ſeptennium, tunc in dubio non eſt præſumptio pro *ſufficiente deliberatione*: ergo neque ſi fuit emiſſum *poſt* ſeptennium (: n. c. Quia *ante* ſeptennium, in dubio, uſus rationis non præſumitur completus: bene tamen *poſt* illud. Quinimo teſte Gobat apud La Cr. *n. 387.* in his Partibus Septentrionalibus uſus rationis non facile cenſetur *perfecte* adveniſſe ante *novem* annos :)

Ob. 5.

Ob. 5. cont. 3. concl. part. 1. Solutio debiti erga *hominem* non poteſt ſine peccato *diutius* differri: ergo nec ſolutio debiti ex voto erga *DEUM* (: n. c. Quia creditor *humanus* ex dilatione ſolutionis plerumque patitur *damnum*; non item creditor Divinus :) P. Sporer *n. 116.* 221

Ob. 6. cont. 2. part. Experientia conſtat, quod filii v. g. peregrinationes, promiſſas à parentibus defunctis, peragant (: libere c. ex obligatione ſubd. ſi *hanc* in ſe ſuſceperint c. ſecus n. :) ergo quoque vota *perſonalia* tranſeunt ad hæredes. 222

Deduces 1. Quodſi *communitas* aliqua certum votum ediderit, quot annis v. g. peregrinationem inſtituendi, poſteri eorum non obligentur vi *voti*, in quod ipſi non conſenſerunt: quamvis interdum ratione *pacti* vel ſtatuti, aut longæ *conſuetudinis*, ab Ordinario tacite vel expreſſe approbatæ ad executionem talis rei obligari queant. Ob rationem parem, liberi, non obligantur voto *parentum*, offerentium eos Religioni v. g. niſi ex debito quodam honeſtatis; aut niſi intelligentes conſentiant, vel poſtea ratificent. Reiffenſt. *n. 21. 22.* 223

Deduces 2. Quod vovens teneatur votum *perſonale* per ſeipſum implere, adeoque non liberetur, ſi per alium impleat: quia vovens factum *proprium* promiſit; ergo ad illud ipſemet obligatur. Hinc qui vovit ſe jejunaturum aut peregrinaturum, non ſatisfacit, ſi 224

alium ſubſtituat, ut loco ſui jejunet, peregrinetur &c. Ex quo infertur ulterius, quod ſi quis votum ſuum perſonale ipſemet implere non poſſit, non *teneatur* alium ſubſtituere, qui impleat, niſi etiam ad *hoc* obligare ſeſe intendiſſet. Ratio eſt: quia actus ſe non extendit ultra *intentionem* agentis. *arg. c. ult. de præb.* atqui intentio voventis tantum fuit, quod ipſe velit jejunare, peregrinari; ergo ipſe *ſolus* obligatur, conſequenter ſi id præſtare non poſſit deobligabitur. *Vid.* P. Reiffenſt. *cit. l. à n. 24.* cum additionibus ſubſequentibus.

ARTICULUS II.

Quomodo votorum obligatio deſinat?

225 PRænot. 1. Certum eſſe, quod voti obligatio ceſſet, ſi ceſſat *cauſa* ejus finalis & *principalis*: ſic ſi voviſti te peregrinaturum pro impetranda ſalute filii, is vero ante peractam peregrinationem moriatur, liberatus es à voto &c. Similiter certum eſt, obligationem voti quoque ceſſare ob mutationem *materiæ*, ſi nempe *hæc* fiat impoſſibilis, illicita, indifferens, aut majoris boni impeditiva. Ratio eſt: quia in ejusmodi caſu votorum neque *incipere* potuiſſet, ſiquidem hoc debeat eſſe de re poſſibili, licita, bona & majoris boni impeditiva.

Præ-

Prænot. 2. Obligationem voti inſuper 226
ceſſare, ſi poſtea *notabilis* rerum *mutatio* accidat, vel ſpecialis, & inopinatus caſus occurrat, ut rationabiliter præſumi poſſit, voventis intentionem illuc ſe non extendiſſe: nam etiam in omni voto tacite ſubintelligitur hæc conditio, *ſi res in eodem ſtatu permanſerit*, prout de juramento dictum ſupra *n. 185.* Pariformiter ſicut ægritudo v.g. excuſat à præcepto jejunii eccleſiaſtici, ita etiam excuſat ab obſervatione jejunii *voto* promiſſi. Similia de ſimilibus dicenda ſunt.

Prænot. 3. Votum *conditionatum* deſinere 227
obligare, ſi *non* impleatur *conditio* appoſita, filius v.g. non conſequatur ſanitatem &c. quia conditio appoſita ſuſpendit actum; ergo, ea non impleta, omnino tollitur. Eodem modo, qui votum *temporale* emiſit, v.g. votum caſtitatis ad biennium, elapſo biennio liber eſt à voto. Idem eſt de voto affixo *diei* certo, v.g. jejunandi *ſabbatho* in honorem B.V. nam ſi intermiſit eo die jejunium, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, non amplius tenetur *alio* die jejunium illud ſupplere: quia vovens ſupponitur ſe non voluiſſe aliter obligare, niſi pro determinato illo die &c. Modum alium univerſalem ſubminiſtrabit concluſio ſecunda: tres alios autem aliqualiter magis controverſos, ſequens

CONCLUSIO I. Votorum obligatio inſu- 228
per tollitur irritatione, diſpenſatione, &

commutatione. *Communis Theologorum & Canoniſtarum.*

229 Prob. 1. pars, & explicatur: *Irritatio* eſt, qua Superior, etiam abſque omni alia cauſa, aufert obligationem voti cujuscunque, etiam S. Pontifici reſervati; per poteſtatem ſuam *dominativam*, vel *quaſi* dominativam in *perſonam* voventem, vel in *rem*, de qua fit votum. Adeoque hoc non competit cuilibet Superiori, ſed tantum illi, cui *vel* dicta poteſtas dominativa competit: qualiter competit *patri* in filium impuberem, *tutori* in pupillum, *matri* (ſi patre mortuo eſt tutrix) & his deficientibus, *avo*, & *aviæ*: item Superiori Religioſo, & Præfectæ Monialium, quoad ſuos Regulares; qui *omnia* ſibi ſubjectorum vota pro libitu irritare poſſunt: &

230 hæc irritatio vocatur directa. *Vel* cui *materia* voti ſubjecta eſt; & ex hac cauſa poteſtatem irritandi habet *maritus* reſpectu votorum uxoris, præjudicantium uſui matrimonii, gubernationi domeſticæ, educationi prolis; & *uxor* reſpectu votorum mariti ſuo juri præjudicantium &c. & hæc irritatio dicitur *indirecta*; quia materiam voti ſubtrahit, nec omnino tollit obligationem voti, ſed ſolum ſuſpendit, quamdiu durat impedimentum: ergo. *Vid. n. 240.*

231 Prob. 2. pars, & explicatur: *Diſpenſatio* eſt, qua *Superior*, jurisdictione in voventem præditus, nomine DEI & ex juſta cauſa remittit obligationem voti: *qualis* reſpectu *omnium*

nium omnino votorum eſt Papa: in votis autem Papa *non-reſervatis* Epiſcopus (& Capitulum ſede vacante) ac Superiores Ordinum quoad ſuos Religioſos, in utroque foro nempe interno & externo: item confeſſarii Ordinum Mendicantium, & qui participant eorum privilegiis, habent poteſtatem delegatam diſpenſandi in omnibus votis (ſimulque commutandi omnia vota, etiam jurata) in quibus de jure ordinario diſpenſare poſſunt Epiſcopi, ex conceſſione plurium SS. Pontificum, nominatim Innoc. VIII. Eug. IV. Pauli III. & Greg. XIII. apud Reiffenſt. *à n. 44.* 232
Pichler *n. 2.* Inſuper hi ipſi confeſſarii Regulares ex conceſſione S. Pii V. Eugen. IV. & Jul. II. poſſunt diſpenſare ad petendum *debitum* cum iis conjugibus, qui contraxerunt matrimonium cum voto ſimplici caſtitatis, *antea* emiſſo: item & cum inceſtuoſis conjugibus, qui contracto jam matrimonio cum alterius conjugis conſanguinea intra *ſecundum* gradum adulterium perpetrarunt: velut docet *cit.* P. Reiffenſt. *n. 48.* De quo adhuc aliquid infra *n. 241.* *uti* & de *cauſis* ad valorem diſpenſationis neceſſariis, *à n. 246.*

Prob. 3. pars, & explicatur: *Commutatio* 233
eſt quo obligatio voti non tollitur, ſed ſolum *mutatur*, & pro materia voto promiſſa ſubſtituitur *alia*, v. g. pro jejunio, eleemoſyna &c. Commutare autem votum in opus evidenter *melius* poteſt ipſe vovens (quæ ſic DEO abundantius ſatisfacit) & probabiliter

in *æquale* ex cauſa etiam tenui: quia talis reddit DEO aliquid æque gratum, & ſi cauſa
234 aliqua ſubſit, non temere id facit. In opus vero *minus bonum*, nec ex cauſa commutare permiſſum eſt ipſi *voventi*; eoquod talis commutatio involvat aliquid *diſpenſationis*, quæ neceſſario requirit jurisdictionem eccleſiaſticam in voventem. Cæterum ſi votum *principaliter* ſit factum in favorem *tertii*, v.g. pauperis alendi (quando acceptatum eſt ab illo tertio) nec diſpenſatione, nec commutatione tolli poteſt absque conſenſu *illius*, in cujus favorem factum eſt ſecluſa cauſa publici boni: prout in terminis docet P. Pichler *cit. n.* 2 Quia nempe privilegia *commutandi*, vel diſpenſandi in votis intelliguntur eſſe conceſſa absque præjudicio tertii.

235 CONCLUSIO II. Omnia vota antecedentia tam realia quam perſonalia, etiam S Pontifici reſervata, licite commutari poſſunt in votum profeſſionis religioſæ; adeo que per hanc omnia priora quaſi extinguuntur. *Ita communis DD.*

236 Probatur ex Jure Canonico *c. ſcripturæ d vot.* ubi dicitur: *reus fracti voti non habetur qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare*: ergo per Profeſſionem Religioſam tollitur obligatio omnium votorum etiam *S. Pontifici* reſervatorum quamvis *hæc* tolli nequeant *diſpenſatione* a *commutatione*. Sunt autem vota S. Pontifi reſervata quinque; videlicet votum *caſtitat*

pe

perpetuæ, votum ingrediendi *Religionem*, ſeu Ordinem approbatum, & tria vota trium peregrinationum, Romam, Jeroſolymam, & ad S. Jacobum. Quæ tamen ut dicto S. 237
Pontifici reſervata ſint, requiritur, ut ſint vota *proprie* dicta, *perfecta*, *determinata*, *abſoluta*, quoad ſubſtantiam & integritatem eorum, & hoc totum extra caſum *neceſſitatis*. De quibus particulatim per extenſum P. Sporer *tr. 3. c. 3. ſ. 3. à n. 57.*

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Pater 238
poteſt *irritare* vota filiorum *impuberum*: ergo & vota filiorum *puberum* (: ℞. n. c. Quia *hi* diſpoſitione Juris ſunt *ſui* juris, ubi non præjudicatur rei *domeſticæ*: quod ſi *huic* præjudicaretur, etiam puberum vota poteſt pater irritare; imo & ſervorum:) c. p. Superior regularis poteſt irritare vota ſuorum Religioſorum *omnium*: ergo & pater filiorum ſuorum omnium, etiam *puberum* (: n. c. De *his* enim eſt alia juris diſpoſitio:) *Vid.* P. Spor. *à n. 20.* Reiffenſt. *n. 40.*

Ob. 2. Superior religioſus non poteſt ir- 239
ritare vota *eſſentialia* ſubditi; ſiquidem hic quoad *hæc* ſit tantum ſubjectus S. Pontifici: nec *votum* transeundi ad *ſtrictiorem* Ordinem: ergo non poteſt *omnia* irritare (: abſolute c. in ſenſu *accommodo* n. dicta vota autem à jure ſpecialiter excipiuntur:) *Vid.* Spor. *n. 17.*

Ob. 3. Eſt doctrina omnino probabilis, 240
ait P. Sporer *hic n. 26.* quod maritus per ſe & directe poſſit irritare vota uxoris, *durante*

matrimonio edita, etſi non præjudicent rei domeſticæ &c. non minus, quam *pater* poteſt irritare votum filii *impuberis*, aut Superior votum Religioſi: ergo hoc debuiſſet addi ſupra *n. 230.* (: c. totum: hic igitur addimus; præſertim, quia hoc jam alibi conceſſimus:) *Vid.* P. Sporer *n. 25.*

241 Ob. 4. cont. 2. part. Epiſcopi diſpenſant in *votis* etiam S. Pontifici *reſervatis*, ſi ſit neceſſitas extraordinaria, vel impedimentum adeundi S. Pontificem: ergo id quoque poterunt Regulares privilegiati (: n. c. Quia Epiſcopus tunc non diſpenſat de *jure ordinario*: bene tamen ſi diſpenſat in voto caſtitatis *non perpetua*, non integræ, non petendi debitum, non nubendi &c. item ſi diſpenſat in voto *conditionato*, pœnali, circumſtantiis &c. ergo tunc quoque poſſunt privilegiati. *Vid.* Reiffenſt. *à n. 45.* Spor. *n. 55.* La Cr. *l. 3. p. 1. n. 544.* :)

242 Ob. 5. Confeſſarius Regularis, qui vult diſpenſare in petendo debito conjugali, debet eſſe ad hoc ſpecialiter *deputatus* à ſuo Superiore (: in ſententia probabili c. *abſolute* n. Nam hanc deputationem non requiri, docent Authores citati à P. Reiffenſt. *n. 48.* quamquam ipſe ſequatur contrariam. In Monaſterio noſtro Vineenſi, ſi quis deputatur ad confeſſionale, ſimul deputatur ad facienda ibi, quæ etiam *ſpeciali* deputatione indigerent. Hæc deputatio ſeu licentia non exſpirat, exſpirante Superiore; quia non da-

datur ab *illo* Superiore, ſed ad commiſſionem vel deputationem *ipſius*, à Papa, cujus gratia jam non exſpirat morte conducentis. Reiffenſt. *cit. n. 48.* :) ergo hoc quoque non debuiſſet taceri ſupra *à n. 232.*

Inſiſt. Diſpenſatus à privilegiato ad petendum debitum ratione voti *caſtitatis* ſimplicis, debet hanc circumſtantiam voti adhuc exprimere, ſi committat peccatum carnis *extra* matrimonium: item, ſi uxor moriatur, non poteſt ducere aliam ſine *nova* diſpenſatione: ergo diſpenſatio prior eſt nulla (: in ordine ad *hos* effectus c. in ordine ad *petendum* debitum n. :) Jam cum P. Reiffenſt. *n. 34.* 243

Ob. 6. Commutatio voti eſt actus juriſdictionis (: ſi fiat in opus *minus* bonum vel etiam in æquale *absque* cauſa c. ſecus n. Nam *hac* ſuppoſita DEUS ob benignitatem ſuam præſumitur conſentire; ſicut etiam homo conſentit :) ergo non poteſt fieri ab ipſo vovente in æquale (: n. c. Secus enim non poſſet commutare etiam in melius :) *Vid.* Spor. *num. 83.* 244

Ob. ult. Ad *irritationem* voti nulla prorſus requiritur cauſa; ergo neque ad commutationem aut *diſpenſationem* (: n. c. Nam irritatio fit proprio nomine ex poteſtate *dominativa* vel in perſonam voventem vel in rem promiſſam: diſpenſatio autem & commutatio fit nomine DEI id concedentis; DEUS autem non cenſetur dediſſe poteſtatem *temere* diſpenſandi & commutandi. Minor tamen cauſa ſuffi- 245

cit ad commutandum quam ad diſpenſandum: quia per commutationem *aliud* opus bonum ſubſtituitur :) occaſione mox dictorum

246 Quæres 1. Quænam cenſeantur juſtæ *cauſæ* ad diſpenſandum? ℞. Has deſumi ex variis motivis & quidem 1. Ex *imperfectione* actus ratione teneræ *ætatis*, perturbatæ *mentis*, aut *erroris* vel doli circa accidentia &c. 2. Ex *materia* voti, ſi nimirum voventi, ſpectata corporis conſtitutione, naturæ fragilitate &c. votum videatur majoris ruinæ periculum pariturum &c. 3. Ex *difficultate* notabili exequendi votum &c. 4. Ex *neceſſitate* vel magna utilitate Reipublicæ aut familiæ; ut ſi quis longas peregrinationes voviſſet, cum tamen præſtaret ipſum familiæ vel Reipublicæ intereſſe &c. Demum etiam ex *majori* bono eventuro &c. Singula percurrit P. Sporer *hic n. 39.*

247 Quæres 2. Quænam ſint cauſæ rationabiles ad vota *commutanda?* ℞. Ad commutationem voti in *melius*, ſufficiens cauſa eſt ſola voluntas voventis? in *æquale*, propenſio major voluntatis ac devotio voventis ad illud: in *minus*, gravis moleſtia in exequendo voto, aut voventis fragilitas, aut periculum illud non implendi. Singula iterum breviter explicat P. Sporer *à n. 116.* Adeoque ſufficit quæcunque cauſa rationabilis. Cæterum facta ſemel commutatione legitima, *prius* votum omnino ceſſat, niſi expreſſe aliter diſpo-

ſue

ſuerit commutans : ideo ſi ſubrogatum ſucceſſu temporis evaderet inutile vel moraliter impoſſibile, non teneretur quis redire ad prius votum. La Cr. *l. 3. p. 1. n. 516.*

Quæres 3. An qui habet poteſtatem diſpenſandi ſeu commutandi *vota*, quoque poteſtatem habeat, diſpenſandi & commutandi *juramenta* ? ℟. Quod ſic : quia votum & juramentum promiſſorium, *DEO* factum, æquiparantur quoad vinculum; ergo diſpoſitum de uno cenſetur diſpoſitum de altero. Idque verum eſt etiam quoad Regulares privilegiatos (de quibus aliqui dubitare volebant) Nam etiam pro his eſt eadem ratio: præſertim quia Gregorius XIII. extenſione dicta ſupra *n. 231.* commutandi *vota jurata*, concedit, poſſet commutare *duo* vincula voti & juramenti : ergo concedit poſſe eos diſpenſare & commutare, quando adeſt *unum* tantummodo vinculum. Quid enim tollit vel addit iſta conjunctio voti cum juramento, ſi æque ſit ſine præjudicio tertii? Qui plura de his deſiderat, conſulere poterit toties jam laudatum, ampliusque laudandum P. Sporer *cit. tr. 3. in ſecund. præcept. Dec. c. 3. ſ. 4. à n. 96.* Modum practice impetrandi diſpenſationem Romæ, docebit P. Kreſslinger apud P. Reiffenſtuel *tr. 6. d. 3. q. 4. ſub num. 53.* 248

TRA-

TRACTATUS II.

DE JUSTITIA, CÆTERISQUE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

DISPUTATIO I.

DE JUSTITIA SECUNDUM SE.

QUia in priori Tractatu egimus de *Religione*, tanquam præſtantiſſima inter virtutes morales, ipſa materiarum connexio exigit, ut in præſenti agamus de *juſtitia*, cæterisque virtutibus cardinalibus, utpote inter quas quoque princeps eſt. Materiam omnem conſtringimus in duas Diſputationes: in quarum prima per duas Quæſtiones tractabimus de juſtitia ſecundum ſe, ejusque objecto, ſc. jure & dominio, ceu præcipua juris ſpecie; in altera deinde de ſubjecto dominii, & modis dominium acquirendi.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

DE OBJECTO, DIVISIONE, & SUBJECTO PROXIMO JUSTITIÆ.

ARTICULUS I.

Quid, & quot ſint virtutes cardinales? ubi etiam de martyrio.

PRænotandum 1. Inter virtutes morales 249
poſt religionem præcipuas eſſe *prudentiam*, *juſtitiam*, *fortitudinem*, & *temperantiam*: quæ à Theologis *cardinales* nominantur, quia in iis velut cardinibus totius vitæ honeſtas firmatur; ſiquidem prima intellectum, altera *voluntatem*, tertia *appetitum* iraſcibilem, ultima autem *concupiſcibilem* intra terminos honeſtatis contineat. De prima & duabus ultimis fuſius agunt Ethici: è quibus huc pertinentia per prænotanda breviter attingimus. Itaque

Prænot. 2. Prudentiam communiter de- 250
finiri, quod ſit *recta agendorum ratio.* partes ejus *ſujectivæ* ſeu ſpecies ſub prudentia tanquam ſub genere contentæ ſunt quinque, vid. *monaſtica*, *œconomica*, *politica*, *legislativa*, & *militaris*. Partes ejus *potentiales*, ſeu ſpecies ad eam *reducibiles* ſunt *eubulia*, *ſyneſis*, & *gnome*. Partes *integrantes* denique, quæ ad perfectum actum prudentiæ concurrere debent,

bent, à S. Th. numerantur octo, nempe: *memoria* præteritorum, *intellectio*, *docilitas*, *ſolertia*, *ratio*, *circumſpectio*, *prudentia*, & *cautio*. Vitia prudentiæ oppoſita per *defectum* ſunt præcipitatio, inconſiderantia, inconſtantia, & negligentia. Per *exceſſum*, prudentia carnis, aſtutia, dolus, fraus, ſollicitudo temporalium, & ſollicitudo futurorum. De quibus videri poterit P. Reiffenſt. *tr. 7. diſt. 1. q. 1. & 2.*

251 Prænot. 3. *Temperantiam* definiri: eſt *virtus refrænans inordinatos appetitus & concupiſcentias corporis*, præſertim circa guſtum & tactum. Species ejus ſunt *abſtinentia*, *ſobrietas*, & *caſtitas*: ad illam autem reducuntur manſuetudo, clementia, ſtudioſitas, humilitas, modeſtia, & eutrapelia. Partes *integrantes* ſunt verecundia & honeſtas. *Fortitudo* definitur, quod ſit *virtus*, *quæ voluntatem inclinat ab labores perferendos*, *& juſta pericula aggredienda.* Species ejus ſunt *magnanimitas*, *confidentia*, ſeu ſecuritas, *patientia*, & *perſeverantia.* Per *exceſſum* timoris fortitudini opponitur timiditas, & per defectum ſtupiditas animi: per exceſſum *fiduciæ*, audacia; per defectum, ignavia animi. De quibus citatus Author *q. 4. & 5.* Porro quia *martyrium* eſt excellentiſſimus actus *fortitudinis*: hoc loco breviter de illo agendum eſt. Circa hoc igitur

252 Prænot. 4. *Martyrium* quidem ex etymologia nominis idem eſſe, quod *teſtimonium*; ex uſitato

uſitato tamen modo loquendi Eccleſiæ hic ſumi non pro quolibet teſtimonio ſed pro illo duntaxat, quo quis aut Chriſtum, aut aliquam fidei *virtutem* teſtificatur, propter *ipſam* patiendo mortem, ab alio ſibi illatam. Quapropter martyrium definitur, quod ſit *teſtimonium fidei Divinæ, morte firmatum*: ſeu, quod ſit voluntaria mortis tolerantia ex odio veræ *fidei*, vel alterius virtutis *chriſtianæ*, inflictæ. Unde ut quis ſit & *vere* dicatur *martyr*, requiruntur plures conditiones, quas aſſignabit ſequens

CONCLUSIO: Ad verum martyrium 253
requiritur 1. Ut *mors* à tyranno violenter inferatur ob fidem Chriſti 2. Ut adultus non reſiſtat, ſeu voluntaria perpeſſio mortis ex motivo ſupernaturali. 3. Ut ſi perſonaliter peccavit, attritionem præmittat. 4. Denique ut ante martyrium alia præcepta, ad quæ obligatur, quæque adimplere poteſt, impleat. *Tota communis.*

Prob. 1. pars: Si mors non inferatur ob 254
fidem Chriſti, tunc non foret *teſtificatio* Chriſti fideique Chriſtianæ: ergo nec martyrium. Cenſetur autem inferri ob fidem Chriſti, ſi inferatur etiam ob opus vel *defenſionem* cujuscunque *virtutis*; ſiquidem etiam *hæc*, prout ad Deum refertur, ſit quædam proteſtatio fidei: ſic S. Jo. Nepomucenus eſt Martyr; quia fuit occiſus ob ſancte ſervatum Sacramentale ſigillum. Nec requiritur, ut mors *ictu* ſequatur, ſed ſufficit, cauſam illativam mortis ita fuiſſe poſitam, ut via *naturali* mors neceſſa-

neceſſario ſequeretur, niſi miraculoſe impe-
diretur. Patet hoc in S. Jo. Evangeliſta, quem Eccleſia colit ut martyrem, quamvis ex ferventis olei dolio evaſerit illæſus.

255 Prob. 2. pars: In martyrio tolerantia mortis debet eſſe *voluntaria*: ergo requiritur non tantum non-reſiſtentia, ſed inſuper ex parte intellectus vera *fides* (quia ſine *fide* impoſſiblie eſt *placere* Deo. *Hebr. 11.* Hinc hæretici ſi occidantur propter ſuam ſectam, non ſunt martyres) & ex parte voluntatis *acceptatio* mortis; fere eo modo, quo requiritur intentio ſuſcipiendi Sacramenta, ex *Part. 4. n. 183.*

256 Prob. 3. pars. Peccatum perſonale non *dimittitur*, niſi *retractetur*, uti conſtat in Sacramento Baptiſmi & Pœnitentiæ: ergo multo magis debet quoque retractari in martyrizando, ſaltem per *attritionem*; quia paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi, ut innuit S. D. *p. 3. q. 78. a. 1. Vid.* Theol. noſt. Schol. *Part. 8. à n. 351.*

257 Prob. ult. pars: Martyrium eſt medium *extraordinarium*: ergo non excuſat à præcepto utendi mediis *ordinariis* ad ſalutem, ſi adhiberi poſſunt. Unde non-baptizatus tenetur ſuſcipere Baptiſmum fluminis, ſi poſſit baptizatus vero, ſi ſit in ſtatu peccati mortalis, tenetur confiteri, ſi copiam confeſſari habeat &c.

258 Objicies 1. cont. 1. part. S. *Apollonia* utique eſt vere martyr: atqui *illi* mors à tyran-
n

no non eſt illata violenter; ergo hoc non requiritur. m. p. *Ipſa* inſiliit in ignem, & ſic ſibiipſi mortem ſponte accivit: ergo *illi* mors non eſt illata à tyranno (: ℞. d. ç. *phyſice* t. *moraliter* & indirecte, cogendo nemine ad tale medium, n. :)

Ob. 2. urg. Eccleſia canit de S. Martino: *o ſanctiſſima anima! quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit: palmam tamen martyrii* (: improprie c. ſecus n. Idem dicendum eſt de morientibus ex *charitate* in obſequio peſtiferorum :) *non amiſit*: ergo non requiritur, ut mors inferatur à tyranno. 259

Ob. 3. cont. 2. part. Infantes ab Herode occiſi, ab Eccleſia coluntur ut martyres, licet non *acceptarint* martyrium; ergo hæc acceptatio non requiritur (: in *adultis* n. in *parvulis* c. Nam ex ſpeciali privilegio Chriſti occiſio propter fidem eſt *his* inſtar Baptiſmi: unde ſalvantur, etiamſi in utero materno occidantur :) 260

Ob. 4. Milites illi *Catholici*, qui pugnando occiduntur ab hoſtibus fidei & in *odium fidei* probabiliter ſunt martyres (: ſi ſemel victi, depoſitis armis, occidantur propter fidem c. ſecus n. :) atqui hi moriuntur tanquam milites non voluntarie, ſed à morte ſe defendendo; ergo nec in adultis requiritur voluntaria mortis acceptatio. *Vid.* P. Kazenberger *in ſupplement. Theol. Sac. c. 1. ſect. 4. à n. 132* 261

262 Ob. 5. cont. 3. part. SS. PP. dicunt, quod *martyrium* habeat *majorem* vim, quam Baptiſmus: ergo ad illud non requiritur attritio (: n. c. SS. PP. enim ſolummodo volunt, quod plus meriti habeat :) *Vid.* author *cit. l. c.*

263 Ob. 6. cont. ult. part. Poteſt contingere, ut quis adeo ſubito rapiatur ad martyrium, ut non amplius poſſit adimplere, quæ in hac ultima Parte deſiderantur: ergo abſolute non requiruntur (: *per ſe* n. per accidens c. :) *Vid.* P. Renz *tr. 1. de Sacr. D. 1. de Baptiſ.* De reliquo Martyrium ita qualificatum etiam ſine baptiſmo aquæ habere vim juſtificandi ſeu conferendi remiſſionem omnis culpæ & pœnæ ex opere operato tum parvulis, tum adultis, probavimus in Theol. Scholaſt. *Part. 7. tr. 2. à n. 371.*

ARTICULUS II.

Quot ſpecies proprie tales juſtitia habeat?

264 PRænot. 1. *Juſtitiam* hic non accipi nimis *late*, pro qualibet virtute; nec nimis ſtricte pro *ſola* gratia & charitate; ſed medio & communi modo, pro una ex quatuor virtutibus cardinalibus, ſeu pro virtute *particulari*, recte ordinante hominem ad *alterum*, ſc. proximum ſuum. Juſtitia ſic ſumpta bene definitur: *Eſt conſtans & perpetua voluntas*

tas jus ſuum cuique tribuendi. Ubi per *jus ſuum* intelligitur jus *paſſivum* ſeu debitum, & quidem *legale* ac rigoroſum, quod oritur ex jure *activo* alterius, & non tantum debitum *morale*, quod fundatur præciſe in honeſtate quadam, qua teneor v. g. eſſe gratus &c. Ex his jam

Prænot. 2. *Objectum* formale juſtitiæ eſſe *jus* ſeu *æqualitatem* inter jus *activum* unius & paſſivum alterius: quia juſtitia *hanc* æqualitatem *per ſe* primo intendit. Objectum *materiale* autem ſunt *res debitæ*: quia in has introducitur dicta æqualitas. Adeoque juſtitia inprimis eſt *vera* virtus: quia *facit bonum* habentem ſe; eoquod hominem inclinet ad reddendum unicuique jus ſuum. Inſuper eſt virtus *ſpecialis*, eo ipſo quod objectum ſpeciale habeat. *Subjectum* ejus proximum eſt voluntas; cum ad *hujus* actus rectificandos ordinetur: nam licet *ordinare* ad alterum, *ferre* ſententiam &c. ſint actus intellectus *directive*; nihilominus *affective*, qualiter ad juſtitiam pertinent, ſunt actus *ſolius* voluntatis. 265

Prænot. 3. Juſtitiam in ſuis operationibus primario attendere *medium rei* (quod nempe *re ipſa* eſt medium inter exceſſum & defectum: ſic v. g. decem floreni ſunt medium *rei* ad *debitum* decem florenorum) & non *medium rationis*, quod ſpectat ad *alias* virtutes, & eſt medium inter exceſſum & defectum per *intellectum*, v. g. talem menſuram cibi & po- 266

tus eſſe ſervandam : & licet hæc menſura fuiſſet nimis *parva*, non tamen cognito errore tenetur eam quis recompenſare: qualiter tamen compenſare tenetur, qui *non* ſervavit *medium rei* ſeu debitum à parte rei exiſtens. Hinc ſi quis ſolvit *decem*, putans ſe plus non debere (cum tamen re ipſa debeat viginti) talis adæquat quidem medium rationis, ſed non *rei*; idcirco tenetur alios decem ſuperaddere, cognito errore. *Vid.* Theol. Schol. *Part. 5. tr. 1. D. 1. q. 1. a. 1. per tot.* Nunc veniendo propius ad rem

267 Prænot. 4. Juſtitiam, cum ſit virtus *generalis*, ſub ſe continere *plures* ſpecies : è quibus aliquæ dicuntur proprie tales & *ſubjectivæ*; quales ſunt illæ, de quibus juſtitia *ut ſic* tanquam verum *genus* univoce & adæquate prædicari poteſt. Aliæ dicuntur *potentiales* tantum, quales ſunt omnes illæ virtutes, quæ reſpiciunt *alterum*, interim tamen ab aliqua conditione ad rigoroſam juſtitiam exacta deficiunt : in cenſum harum veniunt *fidelitas*, *gratitudo*, *pœnitentia*, *religio* &c. De quibus alibi. Interim adhuc

268 Prænot. 5. Conditiones ad veram juſtitiam requiſitas eſſe tres. 1. Eſt *debitum* rigoroſum ſeu *legale*. 2. *Æqualitas*. 3. *Alteritas* non tantum perſonarum, ſed etiam *jurium*. Ratio primæ conditionis eſt : qua debitum *morale* ſimplicis *honeſtatis* eſt *commune* etiam *aliis* virtutibus, ubi nulla poteſt eſſe æqualitas vel alteritas. Ratio ſecundæ conditionis patet ex dictis

dictis *n. 265.* Ratio tertiæ autem eſt: quia nemo *proprie* debet ſibiipſi: & quia nihil ſibiipſi eſt æquale; cum tamen juſtitia æqualitatem exigat; quæ æqualitas eſt vel *arithemetica*, vel *geometrica*, de quibus mox infra *n. 273.* Circa tertiam conditionem adhuc advertendum, exigi *alteritatem* non tantum perſonarum (quia juſtitia rectificat *operationes* ad alterum: hæ autem ſunt *ſuppoſitorum*) ſed etiam *jurium*: quia jus eſt *radix* debiti legalis & menſura conſtituendæ æqualitatis inter debitorem & creditorem.

CONCLUSIO I. Juſtitia optime dividitur 269
in tres ſpecies, nempe in juſtitiam commutativam, diſtributivam, & legalem. *Eſt unanimis Theol. & Juriſt.*

Probatur: Quia tres tantum ſunt *ordines* 270
ſeu habitudines ad *alterum*. 1. Eſt partis ad *partem*; & fundat juſtitiam *commutativam.* Dicitur commutativa à *commutatione*, quæ in commertio & contractibus humanis potiſſimum intervenit. 2. Eſt habitudo *totius* ad *partes*, quæ fundat juſtitiam *diſtributivam*; taliter dictam, quia præmia & onera ſubditis diſtribuit. 3. Eſt habitudo partis ad *totum*; quæ conſtituit juſtitiam *legalem.* Hæc alias 271
appellatur quoque juſtitia *generalis*; quia bonum *commune* conſiderat: ſicut econtra duæ priores dicuntur juſtitiæ *particulares*, eoquod bonum particulare tantum primario reſpiciant, ergo. Hæc ſatis certa ſunt: major controverſia eſt, num omnes tres enume-

ratæ ſpecies ſint partes juſtitiæ vere tales, univocæ nempe & ſubjectivæ? Ubi potiſſima lis eſt de juſtitia *diſtributiva* & legali: *commutativam* eſſe *talem*, eſt extra controverſiam; quandoquidem habeat in rigore omnes conditiones requiſitas *n. 268.*

272 CONCLUSIO II. Etiam juſtitia *diſtributiva* & legalis ſunt ſubjectivæ & proprie dictæ ſpecies juſtitiæ. *Ita communior* DD. ex S. Th. *hic q. 61. a. 1. in c. item a. 5. & 6.*

273 Prob. 1. pars: Juſtitia diſtributiva habet *omnes* conditiones; ergo. a. p. Inprimis habet *debitum* legale, fundatum in jure *condignitatis* activo, quod habent membra communitatis in bona communia: hinc in communitate ſeu Superiore communitatis eſt *vera* legalis obligatio & *debitum* juſtitiæ ad munia & bona in *partes* diſtribuenda juxta *proportionem* & merita ſingulorum. Deinde etiam habet *æqualitatem*: quia communitas ſervando æqualitatem geometricam in diſtribuendo, *cuique* tribuit *jus ſuum* debitum titulo *condignitatis*. Demum quoque *alteritatem*: eoquod inter communitatem & partem detur *diſtinctum* jus; quale non datur inter patrem & filium &c. ergo

274 Prob. 2. pars: juſtitia legalis habet vice verſa recenſitas *tres* conditiones; ergo. a. p. Habet 1. debitum: quia communitas habet verum *jus* in bona & actiones civium, & quidem in concurſu *fortius* ligans, quam particulare. 2. *Æqualitatem*, dum civis tribuit, quan-

quantum hic & nunc neceſſitas boni communis exigit. 3. *Alteritatem* tam *jurium* (*aliud* enim jus habet civis in ſua bona tanquam *privatus*; quod vocatur *jus baſſum*: & aliud *communitas* in illa ipſa bona, quod dicitur *jus altum*) quam *ſuppoſitorum*: quia licet communitas ex ipſis *civibus* ceu partibus *conſtituatur*, tamen *fictione juris* accipitur pro *diſtincta* perſona, ob diſtincta *jura*: ergo. *Vid.* Theol. Schol. *Part.* 5. *n.* 28.

Objicies 1. cont. 1. part. In juſtitia *diſtributiva* non datur *debitum* legale: ergo. a. p. *Res diſtribuendæ*, præſertim officia, poſſunt *vendi*, prout fit in Gallia: ergo non *debentur* civibus (: ℞. d. c. debito proprietatis & *commutativo c. condignitatis* & diſtributivo n. Nam venditionem illam exigit neceſſitas publica, & permittit tacitus conſenſus civium. Singulariter: cum in tali caſu juſtitia diſtributiva exigat, ne vendantur indignis:) 275

Ob. 2. Officium *ſæculare* vacans, prætermiſſo digniore, poteſt *digno* conferri (: *abſolute* n. ex tacito *conſenſu* digniorum, quia praxis taliter diſtribuendi officia cedit in favorem & libertatem communitatis, c.:) citra grave peccatum, ut habet praxis: ergo jus *condignitatis* non eſt *propriè* jus; alioquin digniori fieret injuria. 276

Ob. 3. inſt. Civis, prætendens ſibi *deberi* certum officium, cenſetur eſſe *ambitioſus* (: defectu *juris* n. ratione *modi*, quia id prætendit *ſine* conſenſu communitatis c.:) etſi 277

 ſit

ſit dignus: ergo non habet *jus* proprie dictum. Vide plura in Theol. Schol. *Part. 5. à n. 32.*

278 Ob. 4. cont. 2. part. Juſtitia *legalis* non attendit *æqualitatem*: ergo non eſt perfecta juſtitiæ ſpecies. a. p. Sæpe propter bonum commune unus civis perdit *omnia*, alter *nihil*, uti ſolet evenire in obſidione: ergo non attendit *æqualitatem* (: ita ut hæc detur inter *ipſos* cives c. inter jus activum *communitatis*, & paſſivum ipſius *partis* n. Communitas autem ſæpe exigit *omnia* unius, & alterius civis in ſui conſervationem: ſicut conſervatio totius *corporis* naturalis ſubinde exigit integram amputationem unius aut alterius membri :)

279 Ob. 5. Juſtitia *legalis* inſuper non habet perfectam *alteritatem*; ergo. a. p. Datur inter *partem* & *totum* (: ita tamen ut *hoc* habeatur fictione juris pro *diſtincta* perſona c. ſecus n. :) ergo. c. p. *Pars* eſt aliquid *totius*: ergo non habet *perfectam* alteritatem: ſicut *filius* non habet perfectam alteritatem cum patre, quia eſt aliquid patris (: n. parit. Quia filius non habet *diſtinctum* jus reſpectu patris; *quale* tamen habet pars reſpectu communitatis :) *Vid.* cit. Theol. Schol. *à n. 42.*

280 Quæres 1. Utrum juſtitia *legalis* ſit tam in Principe quam in ſubditis? & an ejusdem ſpeciei? ℟. Quamvis non ſit in principe, quatenus gerit perſonam *communitatis* (quia ſic non facit perſonam ab illa diſtinctam) eſſe tamen in illo, quatenus eſt *cuſtos* & *rector*

boni

boni publici: quia ſic magis quam ſubditus obligatur ad conſervationem boni communis; & quidem non tantum ex juſtitia *legali* ſed etiam *commutativa* ratione *pacti taciti* cum communitate initi, vi *cujus* tenetur ad reſtitutionem, ſi ſua negligentia ei damnum inferat. Singulariter autem eſt in Principe, ſi conſideretur *prout* eſt *pars* reipublicæ: quia ſic ob nexum politicum tenetur ad procurandum bonum commune adinſtar *civis*. Quod vero ſit *ejusdem* ſpeciei in principe & ſubdito inde deducitur, quia in utroque habet idem objectum formale ſc. bonum commune.

Quæres 2. An juſtitia *vindicativa*, & œconomica ſint ſpecies *proprie* dictæ juſtitiæ? 281
℞. Negative ad utrumque. Ratio primi eſt: quia juſtitia *vindicativa* (idem proportionaliter dicendum de *præmiativa*) eſt virtus *specialis*; cum habeat objectum formale *ſpeciale*, vid. ſpecialem *honeſtatem* & difficultatem, uti patefiet examinanti juſtitiæ vindicativæ definitionem, quæ eſt iſta: eſt *habitus inclinans ad prudentialem æqualitatem pœnæ cum delicto*. Ratio ſecundi eſt: quia juſtitia œconomica, ceu cura & adminiſtratio quædam rerum domeſticarum, verſatur inter patrem & filium, maritum & uxorem, dominum & ſervum &c. inter quos non datur ſtricta juſtitia, ex *mox dicendis*.

Quæres 3. Num detur juſtitia *ſtricte* dicta 282
inter *patrem* & filium? *maritum* & uxorem? *dominum* & ſervum? Negative ad omnia tria;

 ſi

ſi *formaliter* conſiderentur. Ratio primi eſt: quia inter patrem & filium *qua talem* non datur alteritas jurium; ergo. a. p. Filius qua talis eſt *idem* cum patre *moraliter* (quia eſt *pars patris* ab hoc deciſa & effectus ipſi jure naturali ſubjectus) ergo non habet ſufficientem *alteritatem*. Imo nec *æqualitatem*; ſiquidem *eſſe*, *quod* filius accepit à patre, ſit præſtantius omni obſequio, neque pro *illo* poteſt reddi æquale: unde ad obſequia *hæc* obligatur ſtrictiori titulo quam juſtitiæ, nempe titulo *pietatis*; ergo.

283 Ratio ſecundi eſt: quia *maritus* & uxor in ordine ad gubernationem *familiæ* bonaque communia fictione juris habentur pro *una* perſona; cum uxor ſit ſubjecta viro ceu *capiti*, & ambo ſint moraliter unum *corpus* & una caro: ergo inter hos quoque deficit ad juſtitiam ſtrictam requiſita alteritas.

Ratio tertii eſt: quia ſervus *qua talis* non eſt ſui juris ſed quoque moraliter *idem* cum domino; quia eſt ejus *inſtrumentum animatum* ad opera domeſtica (ut loquitur Ariſtoteles *8. ethic. c. 11.*) & *unum* ex bonis domini: ſicque nullum *jus* habet quod *non* ſit ſubjectum juri ſui domini; ergo & hic deficit neceſſaria *alteritas*. Quin & *æqualitas*; nam cui *pleno* jure debetur arbor, illi etiam debentur fructus. Quæ opponi poſſent, videnda ſunt in Theol. Schol. *à n. 88.* Ubi etiam quæſtio illa ſpeculativa, utrum inter DEUM & hominem detur proprie dicta juſtitia? negative deciditur *à n. 52.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

DE JURE ET DOMINIO.

ARTICULUS I.

Quid ſit dominium plenum & perfectum?

PRænotandum 1. *Jus* hic accipi, prout 284
idem eſt ac *juſtum*, non quidem generaliter ſed ſpecifice, ſeu pro eo tantum juſto, quod eſt *debitum rigoroſum ut adæquatum cum jure alterius.* Adeoque *jus* aliud eſt *paſſivum* nempe ipſum *debitum*: aliud *activum*, quod definitur, eſt *libera & legitima facultas diſponendi de re aliqua, licite non impedibilis.* Jam ulterius

Prænot. 2. Notabile diſcrimen eſſe inter 285
jus *in re* & inter jus *ad rem.* Nam jus *in re* ſupponit traditionem rei, facitque rem ita propriam, ut is, qui *tale* jus habet, poſſit ſibi illam vindicare per actionem *realem*, ad cujuscunque manus demum devenerit. Jus *ad rem* autem nondum ſupponit rem traditam; adeoque rem necdum facit propriam; hinc ſi alteri vendatur & ſimul *tradatur*, manebit ipſi. Parit tamen actionem *perſonalem*, quæ nempe *proxime* tendit in perſonam, nobis obligatam ex contractu aliquo, vel delicto.

Cæ-

Cæterum *actio* in genere definitur: eſt *jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.* §. *1. inſtitut. & action.*

286 Prænot. 3. Hoc loco nos acturos de jure *reali* ejusque ſpeciebus. Et quia ex his præcipua eſt *dominium* (nam *jus in re* latius patet quam *dominium*, eo quod dentur plures ſpecies juris realis, quæ proprie dominium dici non poſſunt, veluti jus in *pignus*, in rem conductam &c.) ideo primitus de *illo* agemus. Itaque advertendum, quemadmodum *jus* ceu genus ſupra *n. 284.* definivimus, quod ſit libera & legitima facultas diſponendi de re aliqua licite non impedibilis, ita *dominium* ceu ejus ſpeciem primariam, generatim recte definiri: eſt *jus reale gubernandi vel diſponendi de re aliqua tanquam ſua.* Dividitur in dominium *jurisdictionis*; quod eſt *jus gubernandi* ſuos ſubditos in ipſorum commodum: & *proprietatis*, quod eſt *jus diſponendi de re aliqua tanquam ſua in ſuum commodum.*

287 Prænot. 5. Dominium proprietatis ſubdividi in *perfectum* ſeu plenum, quod continet proprietatem & emolumenta rei, ac in *imperfectum* ſeu ſemiplenum, eſtque vel *directum* (quando continet rei proprietatem ſine *emolumentis*; cujus dominus vocatur proprietarius) vel *utile*, quando continet fructus & emolumenta rei ſine *proprietate*; quale habet uſufructuarius, emphyteuta, feudatarius ſeu vaſallus. De dominio hoc *imperfecto* agemu

mus in articulo ſequenti; de *perfecto* autem in præſenti.

CONCLUSIO: Dominium perfectum ſeu plenum recte definitur: eſt *jus perfecte diſponendi de re niſi lege prohibeatur.* Communis ex *l. ſiquis. 17. §. differentia. ff. de acquir. poſſ.* 288

Probatur explicatione: Hæc definitio conſtat debito genere & differentia; ergo. a. p. Dicitur inprimis, *jus* (intellige in re ſeu *reale*) loco generis. Additur, *perfecte diſponendi*: loco *differentiæ*; per hoc enim diſtinguitur ad dominio imperfecto. Per particulam, *de re*, intelligitur res tam corporea quam incorporea; quia etiam in rebus incorporeis datur verum dominium, veluti patet in Beneficio eccleſiaſtico, jure ſervitutis &c. Per ultimas particulas, *niſi lege prohibeatur*, inſinuatur, manere plenum dominium, etſi ſubinde *lex* in bonum domini obſiſtat *exercitio* domini, uti contingit in pupillo &c. De quo *n. 291.* 289

Objicies 1. Dominium non eſt *jus* formaliter; ergo. a. p. Eſt *prius* jure; nam dominium cauſat jus; cauſa autem eſt prior effectu (: ℞. d. *extrinſeca* cauſa c. intrinſeca ſubd. eſt prior tempore n. *natura* c. :) ergo dominium non eſt formaliter jus (: n. c. Sic homo eſt formaliter animal, etſi homo intrinſece conſtituatur ex animalitate :) 290

Ob. 2. Dominium ſaltem non eſt jus *perfecte* diſponendi; ergo. a. p. Pupillus, furioſus, & prodigus, habent *plenum* domini- 291

um

um rerum ſuarum, & tamen non poſſunt d
iis *perfecte* diſponere (: ex defectu juris & i
actu *primo* n. ex defectu alicujus conditioni
pure extrinſecæ & in actu *ſecundo* c. vel ſubd
non poſſunt diſponere voluntate propria &
phyſice ſua c. voluntate aliena, fictione tame
juris ſeu *civiliter* ſua n. Nam verba in defini
tione dominii poſita non dicunt actum ſed *po*
tentiam; quæ non tollitur per quodlibet im
pedimentum extrinſecum ſed præciſe per il
lud, quod ponitur à jure reali *alterius*:) er
go. Deinde: qui impeditur ab uſu rei au
etiam à poſſeſſione, per *vim*, *fraudem* &c. ad
huc manet *plenus* dominus & tamen non po
teſt *plene* de illa diſponere (: impeditus pe
aliquod *jus* reale n. per impedimentum pur
extrinſecum, quod nullum prorſus jus eſt, c
Sic ſomnus non tollit dominium:) ergo.

292 Ob. 3. urg. Si alteri do rem meam ad uſu
vel *uſumfructum*, tollitur *perfectio* domini
mei etiam in actu *primo*; cum de illa non am
plius poſſim perfecte diſponere: ergo qu
que tollitur in pupillo ob *probibitionem* leg
(: n. c. Quia nec proprietatem rei nec *utilita*
tem tollit; *quam* tamen tollit uſufructus, q
eſt ſpecies juris *in re*:)

293 Inſt. *DEUS* habet perfectum dominiu
omnium rerum, & tamen non poteſt de illi
perfecte diſponere: ergo. a. p. Non poteſt *abdica*
re dominium rerum creatarum: ergo non p
teſt perfecte de illis diſponere (: n. c. Nam il
abdicatio eſt diſpoſitio *imperfecta*; adeoque im
poſſibilis. Sic Petrus adhuc eſt plenus domi
nu

nus equi, etſi illo non poſſit uti ad volandum:)

Ob. ult. Qui ſolvit mercedem pro opere turpi, exercet perfectum dominium; quia rem alienat: atqui tale opus eſt *prohibitum* à lege (: *juſtitiæ* n. caſtitatis c. :) ergo poteſt *exerceri* dominium circa actum à lege prohibitum; conſequenter ſuperfluunt particulæ illæ, *niſi lege prohibeatur.* *Vid. Part. 3. n. 159.* 294

Quæres: An *ſimul* dari poſſit dominium *plenum* duorum in *ſolidum* circa *eamdem* rem? ℞. Negative: quia de eſſentia dominii *pleni* eſt, ut non gravetur *jure reali* alterius; ſed ſi daretur dominium duorum in ſolidum, tunc dominium unius gravaretur à jure alterius, quia quilibet alterum poſſet *citra* injuriam ab uſu rei impedire, etiam ubi datur *jus præventionis*, rem deſtruendo aut alienando: ſicque ſolus haberet plenum dominium, qui utitur *jure* præventionis, eoquod hic ſolus non gravetur jure reali tertii; adeoque disjunctive jam hic jam ille eſſet plenus dominus, neuter tamen in ſolidum ac conſtanter: ergo. Plura de his videri poterunt in Theol. noſt. Schol. *Part. 5. à n. 110.* 295

ARTICULUS II.

Quid & quotuplex ſit dominium ſemiplenum? ubi etiam de uſu rerum per unicum actum conſumptibilium?

PRænot. 1. Dominium *imperfectum* ſeu ſemiplenum recte definiri in genere, quod ſit *jus imperfecte diſponendi de re.* Divi- 296

di-

ditur in *directum* & utile; de quo *n. 287.* Hujus ſpecies præcipuæ ſunt *1. Uſus fructus*, qui eſt jus *utendi* & *fruendi* aliena re, *ſalva* ejus *ſubſtantia*. 2. *Emphyteuſis*, quæ eſt contractus, quo res *immobilis* alicui fruenda traditur in perpetuum, vel ad *certum tempus* non minus decennio, ſub obligatione *penſionis* domino proprietatis reddendæ. 3. *Feudum*, quod eſt contractus, quo res immobilis, vel quæ pro immobili habetur, alicui fruenda traditur pro fidelitate & obſequio *perſonali* exhibendo: qui feudum accipit *vaſallus*; qui tradit, *infeudator* vocatur. 4. *Superficies*, quæ eſt contractus, quo alicui *conceditur* ſuperficies alieni ſoli ad domum ædificandam, ad vineam plantandam, aut quodvis aliud. De quibus plurima Civiliſtæ, & ſatis multa in compendio P. Mezger *tr. 9. d. 26. a. 2.* Quia autem etiam huc pertinet *uſus*, ideo in ordine ad titulum,

297 Prænot. 2. Uſum *ut ſic* dividi *in uſum juris*, qui eſt *jus utendi* tantum re aliena, *ſalva ejus ſubſtantia*: & in *uſum facti*, qui eſt *legitima* quidem ſed nuda rei alienæ uſurpatio, ab alieno nutu dependens, & citra injuriam *quocunque* momento *revocabilis*. Jam certum eſt, *uſum juris* non poſſe ſeparari ab *omni* dominio; ſiquidem *hic* uſuarium faciat domi-
298 num rei ſaltem quoad *utilitatem*. Similiter quoque ſatis certum eſt, etiam *uſum facti*, ſi ſit *irrevocabilis*, involvere aliquod dominium, nempe *jus* ad hanc ipſam *irrevocabilitatem*,

tem. Item pariter certum eſt, ipſum *uſumfa-cti* etiam *revocabilem* eſſe ſeparabilem à dominio in rebus unico actu principali *non conſumptibilibus*, veluti patet in Religioſis, qui utuntur rebus Monaſterii, quin aliquod dominium aut jus irrevocabile in eas habeant; quandoquidem ob votum paupertatis ſint incapaces dominii. Itaque de uſufacti licito revocabilique & quidem circa res unico actu primario conſumptibiles procedit quæſtio & noſtra

299 CONCLUSIO: Uſus in rebus unico actu conſumptibilibus poteſt eſſe diſtinctus & ſeparatus ab illarum dominio. *Eſt communis Theologorum ex S. D. q. 78. a. 1. &c.*

300 Probatur: SS. Pontifices nominatim Nicolaus III. *in c. exiit. de V. S. in 6.* & Clemens V. *in Clement. exivi. de V. S.* declararunt, aſſerueruntque, totum Ordinem Fratrum Minorum nullum habere dominium *quarumcunque rerum*, etiam ad *ſuſtentationem* neceſſariarũ, nec *in communi*: nec *in particulari*; atqui FF. Minores habent *uſum* rerũ ſibi conceſſarum, ergo in illis privatus uſus à dominio eſt diſtinctus & ſeparatus.

301 Nam cum quilibet Religioſus *privatus* cujuscunque Ordinis habeat merum uſum rerum ſibi conceſſarum absque omni dominio reali, ex *n. 338.* etiam tota *communitas* FF. Minorum poterit habere talem uſum ſine omni dominio, etiam *imperfecto*, eo ipſo quod habeat uſum *revocabilem* tantum & ſine *jure* utendi, prout declaravit cit. Nicol. III. ergo.

302 Objicies 1. S. Pontifex Joannes XXII. in *extrav. ad conditorem. de V. S.* ait: *uſum facti ſeparatum à dominio repugnare juri & obviare rationi*; ergo uſus non poteſt ſeparari à dominio. c. p. In dubio ſtandum eſt ſententiæ S. Pontificis (: R. d. ſi loquitur *ut Pontifex* & definitive c. ſi ſolum ut *privatus Doctor*, & aſſertive n. In materia præſenti autem non locutus eſt ut Pontifex, quia non eſt materia *fidei* aut *morum* ſed punctum juris Civilis:) ergo.

303 Ob. 2. Uſus (: *juris* c. uſus *facti* n. Sic conviva habet merum uſum ciborum, nec tamen illos relinquit ſalvos:) definitur, quod ſit jus utendi *re* aliena, *ſalva* rei *ſubſtantia*: atqui uſus Franciſcanorum non relinquit ſubſtantiam rerum donatarum ſalvam; ergo. Deinde: in dominum proprietatis redundat aliqua utilitas ex *uſu* (: juris & *irrevocabili* c. ex uſu *facti* & revocabili n. Alioquin in communitatem redundaret aliqua utilitas, dum Religioſus conſumit cibos:) quod hic non fit; ergo.

304 Ob. 3. Franciſcani poſſunt *plus* (: quoad aliquid, nempe conſumptionem c. quoad *irrevocabilitatem* n. :) quam *uſuarius*. ergo habent tale dominium, ut *ille*. a. p. Poſſunt rem non tantum conſumere ſed etiam *alienare* (: nomine *proprio* n. alieno c. Sic procurator rem alienat, nec tamen habet aliquod dominium:) & quidem cum aliqua *utilitat* (: quid tum? nam hanc ipſam utilitatem poſ-

ſun

ſum percipere *nomine alieno :* ut dum dominus ſua ligna comburit, ſuum thus adolet, & ego interim calefio, ac eo odore fruor:) ergo.

Ob. 4. Ut *uſusfacti* ſit *licitus*, debet includere *jus utendi* (: irrevocabile ſemper n. *revocabile* c. :) ergo Franciſcani debent habere *jus utendi* (: irrevocabile n. *revocabile* ſubd. *reale* n. perſonale tantummodo c. :) ſecus uterentur rebus illicite & *furtive* (: n. hoc; alias omnes Religioſi privati uterentur rebus illicite: 305

Ob. 5. urg. Si Franciſcani non habent jus *reale*, tunc illis aliquid auferens *non* tenetur ad reſtitutionem: atqui hoc non admittitur; ergo. S. M. p. Talis auferens non *violat* illorum jus (: reale c. *perſonale* n. Imo violat quoque jus *reale* S. Pontificis, aut donantis, apud quos remanet dominium rerum illarum:) ergo. 306

Ob. ult. Inſt. Res illæ ablatæ debent reſtitui ipſis Franciſcanis: ergo ſignum eſt, quod ſint illarum rerum domini (: per aliquod dominium *reale* n. *perſonale* c. Sic mendicus quilibet habet jus, ne impediatur ab eleemoſyna:) c. p. Quælibet res debet reſtitui *domino* (: ſemper n. vel *uſuario*, aut etiam alteri c. Sic pignus ablatum reſtituitur pignoratario:) *Vid.* Theol. Schol. *Part. 5. à n. 138.* Porro quia ad dominium ſemi-plenum reducuntur ſervitutes & poſſeſſio; ideo 307

Quæres 1. Quid & quotuplex ſit ſervitus? 308

 ℞. Ser-

℟. Servitus alia eſt *activa*, eſtque jus in re aliena aliquid faciendi vel impediendi: alia *paſſiva*, quæ eſt *ſubjectio qua alicui res aliena ad aliquid faciendum vel omittendum adſtringitur*. Hæc dividitur in *perſonalem*, qua res immediate ſervit *perſonæ*, ut fit in uſufructu, uſu, habitatione: & in *realem*, quando res aliena immediate ſervit *rei* alienæ, ut ſi unum prædium ſit obligatum, reſpectu alterius prædii. Et ſi tale prædium ſit ruſticum, id eſt, non ad habitandum pro hominibus extructum, dicitur *ſervitus ruſtica*; cujus ſpecies ſunt *iter*, *actus* pecorum, *via*, *aquaductus*, jus *ada-*
309 *quandi*, *paſcendi*, calcis fodiendæ &c. Si autem prædium eſt *urbanum*, vocatur *ſervitus urbana*, eſtque vel *affirmativa*, quæ obligat ad ferendum quid *poſitivum*; cujus ſpecies ſunt ſervitus *oneris ferendi*, *ſtillicidium*, ſervitus *tigni immittendi*: vel *negativa*, quæ obligat ad quid *negativum*; hujus ſpecies ſunt ſervitus *altius non tollendi*, luminibus *non officiendi* &c. Utraque ſervitus hæc ſubdividitur in *continuam* (cujus uſus continuo durat, ut ſervitus aquæductus, tigni immittendi) in *quaſi continuam* (cujus actus, quia à naturalibus cauſis pendet, non ſemper exiſtit, ſemper tamen eſt in potentia ut ſervitus ſtillicidii) & *diſcontinuam*, cujus actus non ſemper datur; tales ſunt illæ ſervitutes, quæ à *libera* hominum actione dependent, ut iter, aquæ hauſtus &c. Cæterum ſervitutes conſtituuntur lege, ultima voluntate, donatione, pacto,

ĉto, præſcriptione; & taliter quoque finiuntur, ſi ultimam voluntatem excipias,

Quæres 2. Quid & quotuplex ſit poſſeſ- 310
ſio? ℞. Poſſeſſio eſt *detentio rei, corporis & animi, jurisque adminiculo ſuffulta.* Quodſi ſumatur pro *jure* poſſidendi, definitur, eſt *jus inſiſtendi alicui rei tanquam* ſuæ, non prohibitæ poſſideri. Dividitur in *naturalem* (quæ fit ſolum corporis & animi adminiculo) in *civilem* (quæ fit animi tantum & juris adminiculo) ac *mixtam*: quæ eſt naturalis & civilis *ſimul.* E.g. invaſor poſſidet rem *naturaliter*, dominus *civiliter*: & ſi invaſor ille depellatur, dominus poſſidet naturaliter & civiliter.

Quæres 3. Quæ ſint privilegia poſſeſſio- 311
nis? quomodo acquiratur? & quomodo amittatur? ℞. Privilegia ſunt hæc. 1. Poſſidens poteſt *præſcribere*: 2. *Melior* eſt conditio poſſidentis. 3. In judicio petitorio habet præſumptionem *pro ſe.* 4. Poteſt poſſeſſionem ſuam *tueri*, etiam armis. 5. Ante *omnia* reſtituitur in integrum. 6. Denique poſſeſſio immemorialis *ſupplet* omnes præſumptos defectus, nec patitur inquiſitionem de
titulo. De reliquo *acquiritur tribus* modis. 312
1. Apprehenſione *vera*: quæ in rebus corporeis fit manibus aut pedibus. 2. Apprehenſione *ficta*, per traditionem clavium, ſignaturæ &c. 3. Apprehenſione *civiliſſima*, per ſolam legis diſpoſitionem. Amittitur poſſeſſio *voluntate* cedendi, per oppignora-

tionem, per commutationem &c. per ami ſionem, per fugam, per diuturnam abſen tiam &c. De quibus omnibus plurima juris periti *in ff. de poſſeſſ.*

DISPUTATIO II.

DE SUBJECTO DOMINII MODISQUE ILLUD ACQUIRENDI.

DE dominio, hactenus diſcuſſo, du adhuc præcipue diſcutienda reſtant Primum eſt, quodnam ſit ejus ſubje ctum *remotum*? de quo mox in Quæſtion prima: alterum, quot *modis* dominium ac quiri queat? de quo poſtmodum in Quæſtio ne ſecunda. Sit itaque

QUÆSTIO I.

DE SUBJECTO REMOTO DOMINII.

ARTICULUS I.

An Clerici ſint domini redituum ſu perfluarum?

314 PRænot. 1. Subjectum dominii *remotu* eſſe ipſam perſonam, quæ eſt *capax* do minii: *proximum* vero voluntatem

nar

nam dominium eſt libera facultas *gubernandi vel diſponendi* de re aliqua tanquam ſua in *ſuum commodum*: unde ſicut *libertatis* ita juris & dominii ſubjectum *proximum* eſt *voluntas*. Quia tamen facultas diſponendi ſupponit vim *ordinativam* unius ad alterum, ideo tanquam *radix* dominii requiritur quoque *intellectus*. Hinc præter DEUM & Angelos, *ſolus homo* eſt capax dominii: quod non amittit quoad res temporales, etſi incidat in peccatum, infidelitatem, aut amentiam; ſicut non amittit quoad res ſpirituales, famam &c. Nec obſtat, quod *Papa* incidens in *amentiam* amittat dominium *jurisdictionis*; nam hoc eſt ad alios *gubernandos*; quod ſine actuali uſu rationis fieri non poteſt. Jam circa objectum dominii humani,

Prænot. 1. Hominem jure naturæ poſſe habere dominium omnium rerum *ſublunarium*; cum *hæ* omnes natura ſua homine inferiores ſint & ad ejus uſum & commodum ordinatæ. Interim tamen jure naturæ *unus* homo non habet dominium *alterius* hominis, quia omnes ſunt *æqualis* naturæ ab eodem protoparente ad eumdem finem geniti: quamquam *libertatem* noſtram poſſimus amittere nativitate, captivitate, condemnatione, & venditione; utpote *ejus* domini. Similiter homo non eſt dominus *vitæ* & *membrorum* ſed tantum cuſtos & quaſi uſuarius, habens dominium utile: nam *vita*, ceu fundamentum dominii, eſt prior omni dominio; nec illam (idem eſt de 315

cæteris membris) poſſumus propria induſtria acquirere aut relinquere, quando volumus; cum ſui occiſio aut mutilatio ſit intrinſece mala; ſiquidem homo naſcatur non ſolum ſibi ſed etiam DEO & communitati; ergo. *Vid.* P. Mezger *tr. 7. diſt. 5. q. 1. n. 4.* P. Reiffenſt. *tr. 7. diſt. 5. q. 1. n. 4.*

316 Prænot. 3. Inſuper hominem eſſe dominum *famæ*, & *honoris*: quia homo famam & honorem libero arbitrio acquirit, ſicut alias res; imo etiam poteſt prodigere ſine *injuria* alterius, niſi per accidens *ſimul* læderetur fama tertii. Definitur autem fama, quod ſit *exiſtimatio multorum de vita & moribus alterius.* Honor, quod ſit *actus externus honorantis, qui alteri pro exiſtimatione, quam de ejus dignitate concepit, defertur.* Præterea: homo eſt dominus *bonorum ſpiritualium*, tam *externorum*, ut ſunt *jurisdictio* ſpiritualis, *Epiſcopatus*, jura Beneficiorum, *ſcientiæ* &c. (quia de his libere, utut non ad omnem uſum, diſponit) quam *internorum*, qualia ſunt *gratia*, *virtutes* infuſæ &c. quia hæc acquirimus etiam noſtra induſtria, ſubinde diſpoſitive, ſubinde meritorie. Hæc de dominii ſubjecto & objecto in *communi* ſatis plana ſunt: difficiliora ſuperſunt quoad *ſubjecta* aliqua *particularia* nominatim quoad *Clericos*, *Religioſos*, *filiosfamilias*, &c. De his poſtea? de *illis* modo

317 Prænot. 4. Quatuor eſſe genera bonorum, circa quæ *Clerici* ſæculares aliquid diſponere poſſunt. 1. Bona *patrimonialia*, quæ Cleri-

cis

eis obveniunt ex titulo mere *profano*, v. g. hæreditate, donatione, arte &c. Clericos bonorum *horum* eſſe dominos, inde conſtat, quod per Clericatum ea non amittant, nec dominii incapaces reddantur. 2. Bona *quaſi patrimonialia*, quæ ipſis obveniunt tanquam merces & ſtipendium ex functione ſacra, ſc. *applicatione* Miſſæ, *administratione* Sacramentorum &c. Quo etiam referuntur reditus ſtolæ & diſtributiones quotidianæ, quæ Canonicis dari ſolent ob ſingulas præſentias in Choro. *Horum* bonorum Clericos iterum eſſe dominos, exinde conceditur, quia ea recipiunt inſtar mercedis & *ſtipendii*, quod tranſit in dominium operarii, ut conſtat ab inductione officialium, opificum &c. Dubium itaque remanet circa reſidua duo genera. Quapropter

Prænot. 5. Bona Clericorum alia eſſe 3. 318
Beneficialia, ſeu proſpectu Eccleſiæ acquiſita, quæ ipſis obveniunt ex Beneficio eccleſiaſtico in titulum collato; uti decimæ, fructus, & *reditus* annui ſeu *fixi*. 4. *Parſimonialia*, quæ Clerici ex reditibus Beneficialibus, in *congruam* ſuſtentationem debitis, *comparcunt*, frugalius vivendo. Jam etiam de *his* ſatis convenitur inter DD. quod Clerici ſint horum domini; quoniam debentur propriæ induſtriæ, & ſunt fructus *quaſi-induſtriales*, qui omni jure debentur parce viventibus quaſi lucrum ex induſtria & parſimonia obveniens: adeoque de his poſſunt *libere* diſponere ad

cauſas etiam profanas; nam libera diſpoſitio ſequitur ex natura abſoluti & *pleni* dominii, nec à *jure* nec à fidelium ullo ligati vel onerati.

319 Tota igitur difficultas devolvitur ad bona Beneficialia ſuperflua. Quippe Clericos Beneficiatos eſſe vere dominos bonorum beneficialium ad *congruam* ſuſtentationem *neceſſariorum*, defacto eſt communis tam Theologorum quam Canoniſtarum. Ratio eſt: quia Tridentinum *ſ. 23. c. 1.* ſtatuit; *Beneficiatos*, qui non reſident, *pro rata temporis abſentiæ fructus SUOS non facere*: Similia habet *ſ. 24. c. 12. de reform.* Item Bulla, *cum ſicut* Julii III. edita 1550. &c. ergo à contrario, qui reſident fructus faciunt *ſuos*, ſaltem *aliquos*, conſequenter illos, qui ad *congruam* ſuſtentationem ſunt *neceſſarii*. Fructus autem *facere ſuos* idem eſt ac *conſequi* eorum *dominium. arg. l. 2. §. 2. ff. de reb. cred. &c. c. un. de cler. non reſid.* ergo.

320 Prænot. 6. Quamvis enumerata quatuor bonorum genera in ſenſu latiori, ratione perſonæ Clericalis, poſſint dici *eccleſiaſtica*, in rigore tamen & *proprie* illa ſolum vocari *eccleſiaſtica*, quæ ad *ipſam Eccleſiam* pertinent, veluti *paramenta* ſacra, *fundi*, *prædia* &c. Quorum dominium certo non ad Clericos privatos ſed ad *ipſam* Eccleſiam pertinet, ſicut Bona Religioſorum ſpectant ad ipſam communitatem Religioſam, ex *Trid. ſ. 25. c. 3.* Decidenda itaque eſt quæſtio circa bona Beneficialia ſuperflua. Ubi adhuc diſtinguendi ſunt

vari

varii ſtatus *Clericorum* juxta diverſa tempora. Nam *hi* in primitiva Eccleſia nullorum omnino bonorum fuerunt domini, ſed vivebant in paupertate, ſicut modo Religioſi: ut patet ex *can. & ſeqq. 12. q. 1. & ſeqq.* Poſtea 321
tempore Simplicii Papæ, anno 471. reditus eccleſiaſtici in quatuor partes dividi cœperunt, è quibus una Epiſcopo, altera Clericis & Eccleſiæ Miniſtris, tertia fabricæ, quarta peregrinis & pauperibus aſſignata fuit ex c. *vobis enim & ſepq. cit. cauſ. q. 2.* paulatim verò decurſu temporis per varia ſtatuta & conſuetudines bona Eccleſiæ *eo* modo ſunt diſtributa, quo hodie videmus, ita ut quarta pars pauperum vel in fundationes hoſpitalium & noſocomiorum applicata ſit, vel aliis portionibus permixta manſerit.

CONCLUSIO I. Clerici Beneficiati ſunt 322
vere domini redituum beneficialium, etiam ſuperfluorum. *Ita communiſſima DD. Modernorum* ex *S. D. 2. 2. q. 185. a. 7. in c. & quodl. 6. a. 12. &c.* contra Rigoriſtas P. Wenzel, Sannig, Reiffenſt. *in Jur. Can. &c.*

Probatur: Concilium Trid. *cit. ſ. 23. & 24.* diſtinguit inter fructus ad ſuſtentationem *neceſſarios*, *& ſuperfluos*: ergo Clerici *utrosque* faciunt ſuos, ſi implent *conditiones* præſcriptas: ſicut ſi quis *illas* negligeret utrisque in pœnam privaretur indiſtincte. Etenim quod ex jure, *univerſaliter* loquente, præſcriptas conditiones adimplentibus eſt *favorabile*, reſtringi non debet; ergo. Deinde: omnes

omnes reditus beneficiales *indiſtinctè* Beneficiatis aſſingnati ſunt per modum mercedis & ſtipendii propter miniſteria ſacra: ergo *omnes* tam neceſſarios quam ſuperfluos indiſtinctè faciunt ſuos; non minus ac reditus ſtolæ ac bona quaſi patrimonialia ex *n. 317.* Plures probationes videantur in Theol. Schol. *à n. 175.*

323 CONCLUSIO II. Clerici Beneficiati, non obſtante, quod ſint omnium redituum ſuperfluorum veri *domini*, ſuperfluos tamen tenentur erogare *in* cauſas *pias*: non quidem ex juſtitia, religione, aut charitate, ſed ex ſolo *præcepto* Eccleſiæ, eoque partim ſcripto, partim tradito. *Ita ſat communis cum* P. Pichler *l. 3. t. 3. n. 7.* P. Babenſtuber *tr. 7. n. 15. & ibi citatis.*

324 Prob. 1. pars: Quamvis Clerici ſint domini bonorum ſuperfluorum, tenentur tamen ea expendere ſecundum intentionem *fundatorum*: atqui *horum* intentio eſt, ut bona illa *ſuperflua* expendantur in cauſas *pias*, & non in *luxum* & ſuperbiam, ut de ſe clarum eſt, & ſatis demonſtrat Trid *ſ. 25. de refor.* ergo.

325 Prob. 2. pars: Obligatio juris *naturalis* aut *Divini* deſcendens ex virtute juſtitiæ, religionis, aut charitatis, *non* poteſt ſufficienter oſtendi: ergo provenit ex ſolo jure *eccleſiaſtico* (alioquin Sixtus IV. Jul. III. Paulus V. & Innoc. XII. apud P. Pichler *hic n. 7.* non potuiſſent dare licentiam libere diſponendi de ſuperfluis, etiam ad cauſas profanas) & quidem partim *ſcripto* vid. in Trid. ſ. *cit 25*

partim

partim *tradito*; quia communis DD. ſenſus & perſuaſio, ac conſuetudo (quæ eſt optima legum interpres) extendit hanc obligationem ad bona *ſuperflua* tantum; ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Authoritates SS. Canonum, Conciliorum, & SS. PP. qui uno ore clamant, Clericos eſſe tantum *diſpenſatores* bonorum (: ℟. d. a. pertinentium ad *ipſas Eccleſias*. c. redituum *ſuorum* n. vel ſubd. *ante* factam diviſionem c. *de facto* n. :) eccleſiaſticorum: committere ſacrilegium: furtum, rapinam, ſi male expendant illa bona (: ad *ipſas* Eccleſias pertinentia c. ſecus n. :) ergo ſunt *domini* ſuperiorum ſaltem (: omnino *liberi* c. habentes tamen obligationem *perſonalem* ea expendendi in cauſas *pias* n. :) Præſertim: quia bona Beneficialia à SS. Canonibus & SS. PP. vocantur *res Dei & patrimonium Chriſti* (: id eſt, ſunt oblata Eccleſiæ à fidelibus ad colendum Deum & *amore Chriſti* c. ſecus n. :) ac *bona pauperum* (: pro tempore, quo *Clerici* vivebant in *communi*, carentes omni dominio, uti nunc Religioſi c. ſecus n. :) hinc his non ſubvenientes dicuntur *interfectores* pauperum (: quaſi Clerici *non* eſſent domini n. quia habent *obligationem* ſpecialem illis ſubveniendi c. Sic divites laici, non ſubvenientes pauperibus, dicuntur eorum *interfectores*, etſi ad eleemoſynam non teneantur ex *juſtitia* :) imo S. Bernardus qui ſcripſit *poſt diviſionem* bonorum eccleſiaſticorum in *epiſt.* 2. ad Fulconem aſſerit: *quidquid præter neceſſarium victum ac ſimpli-*

326

327

ſimplicem veſtitum de altari retines; tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt (: Retorqueo : ergo quoque eſt rapina, ſi retines *quaſi-patrimonialia, reditus ſtolæ* &c. quod nec aa. concedunt. S. Bernardus itaque exaggeratione aliqua oratoria uti voluit; ut inculcaret obligationem *perſonalem* ſuperflua *pie* expendendi:) ergo.

328 Ob. 2. Clerici non poſſunt *libere* de reditibus ſuperfluis *diſponere* : ergo non ſunt eorum domini (: dominio *abſoluto* c. *ligato* n.:) a. p. Non poſſunt de iis *teſtari* (: de jure antiquo c. de jure & conſuetudine *moderna* ſubd. in *omnibus* Diœceſibus c. in aliquibus, qualiter poſſunt in noſtra Conſtantienſi n. :) ergo &c. conſequenter non ſunt domini (: n. c. hanc; nam etiam filiusfamilias, quamvis ſit dominus bonorum ſuorum, ex *n. 363.* & libere de iis poſſit diſponere inter *vivos*, attamen de iis nequit *teſtari* :) *Vid.* P. Mezger *hic a. 3. n. 8.*

329 Ob. 3. *Ante* diviſionem Clerici non erant domini redituum ſuperfluorum, ergo nec *poſt* illam. c. p. Ante diviſionem non erat mens Fundatorum (: primaria & *explicita* c. ſecundaria & *implicita*, quatenus bona oblata relinquebant diſpoſitioni Eccleſiæ, n. :) ut Clerici haberent dominium : ergo nec mens illorum fuit *poſt* diviſionem.

330 Ob. 4. cont. 2. concl. Lumen naturale dictat, in uſus *profanos* non debere inſumi *res Deo ſacras* (: in ſenſu *compoſito* c. in ſenſu *diviſo*, dum nempe ſacratio ab ipſis ablata eſt, n. :) atqui reditus eccleſiaſtici ſunt res

Deo

Deo ſacra (: accidentaliter & *extrinſece* c. eſſentialiter & *intrinſece* n. Alias enim etiam æditui & muſici ſuos reditus, ab Eccleſiis acceptos, tenerentur in uſus *pios* expendere :) ergo Clerici ex *jure naturali* tenentur eos pie expendere.

Ob. 5. Si Clerici ex *præcepto* Eccleſiæ tenentur *ſuperflua* expendere in pias cauſas, tunc de *illis* non poſſunt *libere* diſponere (: quoad *liceitatem* c. quoad validitatem n. :) ergo eorum *dominium* eſt otioſum (: n. c. Nam, admiſſo dominio, ſaltem *non* tenentur ad *reſtitutionem* ſi male expendant ſuperflua :) 331

Ob. 6. Si dicta obligatio eſt ſolum ex jure *eccleſiaſtico*, tum poſſet abrogari per *conſuetudinem* contrariam: atqui hoc non poteſt fieri; ergo. m. p. Talis conſuetudo eſſet corruptela morum (: in prima ſui *inchoatione*, & in *iis* perſonis & locis, ubi urgetur præceptum Tridentini c, in ſui *continuatione*, & ibi ubi hoc præceptum non amplius urgetur n. :) ergo. 332

Quæres 1. Ad quid ſe extendat *congrua* ſuſtentatio? ℟. Ad omnia, quæ ad Clerici familiæque ipſius decentem ſuſtentationem requiruntur, qualia ſunt non ſolum victus & amictus ſed etiam expenſæ in *honeſtas* recreationes, donationes & ſimilia faciendæ juxta congruentiam ſtatus. Et quia Tridentinum *ſ. 28. c. 13.* ſtatuit, ne Epiſcopo, *cujus reditus non excedunt mille aureos*, aut Parocho *non* 333

habent;

habenti niſi centum aureos, imponantur penſiones, videtur ſignificare, illam ſummam non excedere *congruam* ſuſtentationem; conſequenter ſi Parochus habeat aliquid ſupra 100. aureos, inter ſuperflua computandum eſt, & in uſus pios erogandum etiam in noſtra benigna ſententia.

334 Quæres 2. Quid nomine *uſus pii & profani* intelligatur? ℞. Nomine *uſus pii* intelliguntur omnia, quæcunque demum ad Dei *cultum* & opera *miſericordiæ* ſive corporalia per ſe ordinantur. Econtra nomine *uſus profani* venit omne id, quod *nec* ad cultum Divinum *nec* ad opera miſericordiæ ordinabile eſt. Interim tamen per hujusmodi expenſionem ad cauſas profanas *non ſtatim* peccatur *mortaliter*, ſed primum tunc, quando decentia ſtatus Clericalis *graviter* læditur: quod tunc cenſetur fieri, ſi Clericus ultra *vigeſimam* partem redituum ſuperfluorum male expendat.

335 Quæres ult. An *ſuperflua* acceptantes à Clericis peccent graviter? ℞. Quod non, ſi eos ad dandum non inducant; quia taliter *acceptantes* non cooperantur peccaminoſæ *donationi* (cum *ejus* malitia ex parte donantis jam ſupponatur *completa* ante acceptationem) ſed tantum ſe habent *permiſſive*, utentes jure ſuo; ſicut acceptans à fure vel debitore aliquid, cujus ille eſt Dominus, non peccat, tametſi ejusmodi donator evadat *impotens* ad reſtituendum, quod debet ex juſtitia. Cæterum, hucusque dictis non ob-

ſtanti-

ſtantibus, poteſt Clericus, per ſe loquendo, bona conſcientia reſervare fructus ſuperfluos vel ad ſuas, aliorumque, quas in futurum prævidet, neceſſitates ſublevandas, vel ut collecta ſufficienti quantitate pecuniæ poſſit facere fundationem aliquam &c. De quibus plura P. Mezger *hic à n. 12.* P. Babenſtuber *tr. 7. d. 3. a. 7. §. 3. à n. 38.*

ARTICULUS II.

An, quale, & qui Religioſi habeant dominium?

PRænot. 1. Certum eſſe ex Trid. *ſ. 25. c. 3. de Regular.* omnes Ordines religioſos (exceptis Franciſcanis & Capucinis, Domibusque profeſſis S. J. quoad immobilia) in communi habere verum dominium quorumcunque bonorum temporalium. Ratio eſt: quia quælibet communitas, *fictione juris*, eſt perſona politica per ſe, & capax *diſtincti* dominii à dominio ſingulorum. Nec dominium hoc in *communi* tollitur per votum paupertatis emiſſum à *ſingulis* ſed potius ſupponit; ſiquidem promittant, ſe non uſuros bonis temporalibus, niſi dependenter ab aliis, qui illa nomine conventus adminiſtrant. Magnif. P. Schmier *l. 3. t. 1. p. 2. c. 4. ſ. 2. à n. 75.* De Religioſis in *particulari* quæſtio eſt, & 336

337 Prænot. 2. Inſuper certum eſſe, *Religi*-*ſos* quoscunque *in particulari* capaces eſſe d-minii *rerum* & bonorum *ſpiritualium*, uti ſun *vox* in capitulo, *fama*, *honor &c.* *Jus per*-*nale* ad victum, amictum &c. Ratio eſ quia talia bona, cum Religioſos non reddan *divites*, non cadunt ſub renuntiationem voto paupertatis. Idcirco unum præciſe du-bium ſupereſt, num quoque capaces ſint ju-ris *realis*, & quidem circa bona *fortunæ*; At ſi non: undenam hæc incapacitas proveniat Utrumque per binas partes reſolvet mox ſta-tuenda

338 CONCLUSIO: Religioſus quicunqu *ſolemniter* profeſſus, eſt incapax omnis do-minii & juris realis in res temporales ad bon *fortunæ* ſpectantes: non quidem ex *natura vo* paupertatis ſolemni aut Status religioſi, ſe ex ſola *ordinatione* Eccleſiæ. Ita communi Canoniſt. & Theolog. ex S. Th. *2. 2. q. 186. a.* *Trid. ſ. 25. c. 2. de Reg.*

339 Prob. 1. pars: Religioſus in profeſſion *ſolemni* per votum paupertatis *abdicavit* à ſ omne dominium & *jus reale* ad bona fortunæ ergo per talem abdicationem fit incapax om-nis dominii & juris realis: ſicut per votum *ca*-*ſtitatis* fit incapax *omnis* juris ad *matrimonium*.

340 Prob. 2. pars: Illa incapacitas *non* prove-nit ex natura voti *ſecundum ſe* (alias Scholaſtic S. J. per ſuum votum ſimplex fierent incapa-ces dominii; quod tamen non eſt: ſic votum ſimplex caſtitatis ex natura rei non facit inca-

pacem

pacem matrimonii) nec ex voto *qua ſolemni* (quia *ſolemnizatio* voti provenit ex ordinatione *Eccleſiæ*; ſecus in voto *ſolemni hæc* non poſſet diſpenſare) nec ex natura *Status religioſi*: alioquin dicti Scholaſtici S. J. utpote capaces dominii & ſolum ligati quoad uſum, non forent *veri* Religioſi, quod citra excommunicationem dici nequit: ergo ex ſola ordinatione Eccleſiæ provenit.

Objicies 1. cont. 1. part. Scholaſtici S. J. ſunt veri Religioſi, ex Bulla, *quando fructuoſius* Greg. XIII. & tamen ſunt capaces dominii, ut ibidem exprimitur: ergo Religioſi etiam in *particulari* ſunt capaces *dominii* (: R. d. c. ſi habeant *vota* tantum *ſimplicia*, qualia habent illi Scholaſtici c. ſi ſint *ſolemniter* profeſſi, de quibus unice loquitur concluſio, n. :) Deinde: Religioſus quilibet, etiam ſolemniter profeſſus, retinet *jus* ad famam, *vitam*, *honorem* &c. ergo habet *dominium* rerum temporalium (: pertinentium ad bona *fortunæ* n. *animæ* tantum c. 341

Replicas: utique habet jus ad victum & amictum (: *reale* n. præciſe perſonale c. :) ergo habet *dominium* in res ſpectantes ad bona *fortunæ* (: per *quod* fiat *dives* n. ſecus c. *Vid. n. 337.* :) 342

Ob. 2. urg. Quilibet Religioſus eſt dominus ſuorum *Manuſcriptorum*: ergo habet dominium reale (: ita tamen ut pertineant ad *res*, quæ aliquem non faciunt *divitem* c. ſecus 343

n. :) ergo. *Vid.* P. Kazenberger *in Supp* *Theol. Decal. c. 2. ſ. 3. à n. 149.*

344 Inſt. *Stipendia* Miſſæ ſunt aliquid *me* temporale, faciuntque *divitem* : atqui *boru* Religioſus eſt dominus; ergo. m. p. Reli gioſus absque omni licentia poteſt alteri lege re Sacra, illi ſtipendia *donando* (: id eſt, *re linquendo* ſeu non acceptando c. ſecus n. S enim ſemel acceptavit, non poteſt donar amplius, quia jam acquiſivit Monaſterio: *Vid. cit.* Kazenb. *n. 150.*

345 Ob. 3. *Privatus* Religioſus poteſt haber *peculium* (: *revocabile* & dependens à nut Superiorum c. irrevocabile & *independens* n.: ergo & dominium. *Vid.* P. Sporer *in Deca tr. 6. c. 1. ſ. 2. à n. 72.* P. Pichler *l. 3. t. 35.* Sal mant. *tr. 13. c. 6. punct. 7. n. 83. & 91.* ubi re ferunt, quantam ſummam Prælatus poſſi concedere ſingulis annis ad honeſtos & lici tos uſus Religioſo *privato* :)

346 Ob. 4. Si Religioſus in particulari eſt in capax omnis dominii *realis*, tunc peccaret, apud externum *ſine* licentia *comedat* aut biba (: t. à longe! quia in morali æſtimatione iſt uſus magis cenſetur *paſſivus* quam activus ſicut ſi quis vehatur rheda aliena, prout te net P. Mezger *hic n. 2.* :) atqui hoc videtur ni mium; ergo. M. conſtat; quia Religioſu eſt incapax dominii etiam ſupra cibum & po tum. m. p. Religioſus non peccat admitten do ignem, aut ſuffitum, ſibi factum ab ex traneo: ergo nec conſumendo potum (: n.

Qui

Quia conſumendo ſe habet magis active, ut vult P. la Cr. *l. 4. n. 105.* Ubi tamen ſimul plura favorabilia, huc ſpectantia, deprehenduntur: uti & in Salmant. *tr. 13. punct. 6. num. 55.*

Dices: Res comeſtibiles ex Monaſterio in magna quantitate aut pretio ſimul conſumere eſt peccatum grave: ergo etiam ſi conſumantur apud extraneum (: n. c. Quippe Superior ob majus damnum Monaſterii eſt magis invitus non tantum quoad modum ſed etiam quoad *ſubſtantiam.* Interim in eſculentis requiritur Major quantitas quam in aliis rebus: de quibus plura ſat benigne P. la Cr. *cit. l. 4. n. 133. 134.* Salmant. *l. c. n. 58.* Ubi dicunt, modica furta Religioſorum in eſculentis & poculentis ordinariis *non* uniri, adeoque *non* facere peccatum *mortale*, etiamſi ab initio ſit animus ea proſequendi & perveniatur ad magnam quantitatem:) 347

Ob. 5. In occaſionibus *optimis* Religioſus plerumque non habet occaſionem petendi *licentiam*: ergo tunc erit *peſſimæ* conditionis (: ſi requireretur ſemper licentia *expreſſa* c. ſi ſufficiat tacita aut *præſumpta* n. Nam *tacita* ſeu implicita ſemper ſufficit; præſumpta autem, ubi Superior commode adiri nequit, ait P. Mezger *hic n. 10.*.) 348

Repones: Ad *abſolvendum* non ſufficit licentia Superioris *præſumpta*; ergo nec ad diſponendum circa res temporales (: n. c. Quia ad abſolvendum ex diſpoſitione juris requiri- 349

 tur

tur jurisdictio *actualis*: ad licite diſponendum autem circa res temporales plus non requiritur quam *ne* diſponat nomine *proprio*, quod adhuc fit, ſi adeſt licentia præſumpta :)

350 Inſiſtes: Videmus in praxi, quod viri Religioſi docti & pii aliis donent roſaria, imagines, numismata &c. nunquam petita licentia: ergo ut Religioſus *licite* utatur rebus ſaltem *non* ſemper opus eſt Superioris licenti (:n. ç. *Suppoſitum*; ſimilia enim non dantur ut aſſerventur, ſed ut *pie* expendantur: ſicque in ipſa donatione & *conceſſione* datur ſufficiens licentia ea donandi aliis, non tantum *extraneis* ſed etiam intraneis & *confratribus qui* per dictam conceſſionem uni factam acquirunt licentiam ea, per modum donationis, ſuo confratre accipiendi; *dare* namque & *accipere* ſunt correlativa, conſequenter ſi licite datur, licite quoque acceptatur :) *Vid.* P. I Cr. *l. 4. à n. 120.*

351 Ob. 6. cont. 1. part. Si incapacitas dominii in Religioſo ſolemniter profeſſo proveniret *tantum* ex *ordinatione* Eccleſiæ, tunc S Pontifex poſſet in illa diſpenſare: atqui non poteſt; ergo. m. p. Ex *c. cum ad monaſt. de ſtat. Monach.* ubi dicitur, *abdicationem proprietatis adeo eſſe annexam* Regulæ Monachorum, ut nec S. Pontifex *diſpenſare* poſſit (in ſenſu *compoſito* Status religioſi c. *diviſo*, ut diſpenſatus ceſſet eſſe Religioſus, n. :) ergo Deinde: S. Pontifex ex Sacerdote non poteſt facere *non-ſacerdotem*; ergo nec ex Religioſ

gioſo *non-Religioſum* (: n. c. Quia hic *non* fit Religioſus per *characterem* indelebilem velut ſacerdos, ſed per liberam voluntatem ab Eccleſia acceptatam & dependentem :)

Regeres: Scholaſtici S. J. ſunt veri Religioſi (: profeſſi *ſolemniter* n. *non* ſolemniter c. :) & tamen habent in ſenſu compoſito dominium ſaltem radicale: ergo S. Pontifex poteſt diſpenſare etiam in ſenſu compoſito (: ſi vellet *novam* formam profeſſionis *ſolemnis* incipere c. ſecus n. :) 352

Ob. 7. Si dicta incapacitas poteſt tolli per diſpenſationem, etiam poterit tolli per *conſuetudinem* immemorialem, in caſu ubi tanta alicubi in Religione eſſet laxitas, ut *Novitii* crederent, ſe eſſe capaces dominii (: n. ſuppoſitum quod *tales* fierent ſolemniter profeſſi, eoquod ipſis deeſſet aliquid eſſentiale, ſc. votum paupertatis :) atqui hoc non poteſt admitti; ergo. s. M. p. Per conſuetudinem Clerici poſſunt *teſtari*, quia S. Pontifex in hoc poteſt diſpenſare: ergo & Novitii non profiteri *paupertatem* (: n. c. *Hæc* enim eſt de *eſſentia* profeſſionis ſolemnis :) 353

Premes: Conſuetudo poteſt facere, ut in uno Ordine ſit paupertas *minus ſtricta* quam in altero; ergo etiam poteſt facere, ut ibi *non* ſit *incapacitas* dominii (: n. c. Quia ſic tolleretur aliquid eſſentiale paupertatis *ſolemnis* :) *Vid.* Salm. *tr. 12. p. 12. n. 184.* 354

Ob. ult. *Servus* per ingreſſum ſervitutis fit dominii incapax (: ex ipſa *natura* ſervitutis n, 355

ex diſpoſitione *legis* humanæ c. :) ergo & Religioſus per ingreſſum Religionis , conſe quenter *non* ex ordinatione Eccleſiæ.

356 Inſurges: Ex ipſa *natura mortis* oritur in capacitas dominii: atqui profeſſio Religioſ eſt *mors* civilis (: ex diſpoſitione legis Eccle ſiæ c. ex *natura* ſtatus religioſi n. :) ergo ill incapacitas oritur ex natura profeſſionis reli gioſæ.

357 Deduces 1. Monachum , quidquid ac quirit , Monaſterio acquirere , & quiden *immediate*; quia Religioſus omnis juris & do minii eſt incapax. Et ideo *legatum* aut *hære ditatem* delatam nec repudiare, nec adire po teſt: interim tamen recuſare *donum* ſibi obla tum; quia *voluntas donandi* adhuc nullum *ju* Monaſterio peperit; nolleque acceptare eſ ſolum *amotio* dominii. Quod ſi Religioſu habeat Beneficium incorporatum Monaſte rio, ſimiliter omnia acquirit Monaſterio: ſ autem non ſit incorporatum, tunc bona e reditibus acquirit Eccleſiæ , induſtrialia au tem iterum Monaſterio. *Vid.* P. Mezger *hi a. 3. 4. 5. 6. & 7.* P. la Cr. *l. 4. àn. 120.* Ub plura , quæ huc ſpectant, jam compendiat reperies.

358 Deduces 2. *Superiores* Religioſos , cun non ſint domini ſed ſolum adminiſtratores bo norum Monaſterii, ne & ipſi peccent contr paupertatem , debere attendere ad intentio nem Fundatorum , qui volebant ſuis ſumpti bus *promoveri* Religioſam diſciplinam. Ex

pedi

pedit tamen magis inclinare in liberalitatem quam in parſimoniam, ne alioquin ſubditi cum detrimento diſciplinæ ſibi ipſis ſub prætextu neceſſitatis varias comoditates clanculo procurent. Si dant *licentiam* ad majorem 359
Summam quam dare poſſint, juvat ſaltem ad ſummam, quæ eorum poteſtatem non excedit; in ſeparabilibus enim utile per inutile non vitiatur: ſi vero ad uſus *illicitos* & *ſuperfluos*, peccant tam ipſi quam ſubditi ſic utentes contra *paupertatem*, etſi non contra proprietatem: talis licentia tamen eſt valida; ut probat P. la Cr. *l. 4. n. 114.* Multomagis Superiores peccant, ſi bona Monaſterii expendant in uſus vanos & ſuperfluos; his inattentis poſſunt facere *donationes* tam remuneratorias quam liberales juxta laudabilem conſuetudinem; facere expenſas ad *ſplendorem* & ornamentum Eccleſiæ; imo etiam alienare bona, ſervatis tamen *ſolemnitatibus* à jure præſcriptis. *De quibus* videatur P. Pichler *l. 3. t. 13.*

ARTICULUS III.

An & quale dominium habeat filiusfamilias? Item maritus, uxor, & ſervus?

PRænot. 1. *Filiumfamilias* dici illum, qui 360
ſub *patria poteſtate* conſtitutus eſt, à qua *de ſe* nulla ætas, etiamſi ſit ſenilis

aut decrepita, liberat: quia jus inſtituit patriam poteſtatem in omnes filios legitimos, & non exemit ſenes. Ætates autem ſecundum Juriſtas ſunt ſeptem. 1. *Infantia*, durans uſque ad *primum* ſeptennium. 2. *Pueritia*, uſque ad *ſecundum* ſeptennium: hoc completo, ſc. anno decimo quarto in maſculis incipit pubertas, in fæmellis autem anno duodecimo. 3. *Adoleſcentia*, uſque ad tertium ſeptennium. 4. *Juventus*, uſque ad ſeptennium quartum, vel, ut alii volunt, uſque ad annum trigeſimum: in hac ætate anno vigeſimo quinto completo incipit *Majorennitas*. 5. *Ætas virilis* uſque ad annum Sexageſimum. 7. *Senium* ſeu etas decrepita ad mortem. Porro

361 Prænot. 2. Patriam poteſtatem recte deſcribi: eſt *jus quoddam, jure civili Romano introductum, quod Pater ſive alius ex maſculis aſcendentibus habet in omnes deſcendentes legitimos maſculos & fæminas eorumque bona*, Sub hac patria poteſtate filius conſtituitur. 1. Per procretionem ex *legitimo* matrimonio; & dicitur *legitimus*: qui vero naſcuntur extra matrimonium nominantur vel *ſpurii* (ſi parentes tempore conceptionis aut nativitatis ſint *inhabiles* ad matrimonium contrahendum) vel *naturales*, ſi parentes ſint habiles ſaltem per diſpenſationem. 2. Per *legitimationem*: quæ in filiis naturalibus fit per ſubſequens matrimonium: in *ſpuriis* per reſcriptum & gratiam Principis, cui talis eſt ſubditus, aut alicujus comitis Palatini. 3. Per *adoptionem*: quæ ſi adoptandus ſit ſui juris, arrogatio;

ſi

ſi non ſit ſui juris, *adoptatio in ſpecie* dicitur. Finitur patria poteſtas. 1. Morte ſeu naturali ſeu civili: ad hanc revocatur ingreſſus in Religionem. 2. Si filius ſit *Epiſcopus* aut Cardinalis; non tamen ſi tantum ſacerdos. 3. Per *emancipationem*: per conſuetudinem, dum filius contrahit matrimonium &c. *Effectus* patriæ poteſtatis ſunt plures, ut filium in extrema neceſſitate vendendi, oppignorandi, reducendi &c. bonis ipſius utendi. Circa quæ

Prænot. 3. Bona filiifamilias (quæ jure vocantur *peculium*) eſſe quadruplicis generis. 1. *Caſtrenſia*, quæ acquiruntur occaſione *militiæ* ſagatæ. 2. *Quaſi-caſtrenſia*, quæ obtinentur occaſione militiæ *togatæ*, per officium *publicum* Medici, Judicis, Conſiliarii, Profeſſoris, Beneficiati. 3. *Adventitia*, quæ nec ſunt caſtrenſia, nec quaſi-caſtrenſia, neque à patre neque intuitu patris veniunt, ſed aliunde, v. g. propria induſtria, *privato* labore, caſu, donatione, hæreditate lineæ maternæ. 4. *Profectitia*, quæ filius conſequitur vel ex *ipſis* bonis *paternis* propria induſtia v. g. negotiando illis; vel ab *aliis* ſed intuitu *Patris*; talia ſunt, qui ad inſtantiam utilitatemque patris dantur ab *aliis* filio ad ſtudia, ſacros Ordines, nuptias &c. De his modo notanda eſt 362

CONCLUSIO I. Bonorum caſtrenſium & quaſicaſtrenſium filiusfamilias habet pleniſſimum dominium, tam quoad proprietatem, 363

tem, quam utilitatem; &, ſi pubes ſit, etiam liberam adminiſtrationem. *Ita DD. omnes ex toto tit. de pecul. caſr. in. ff. & cod. l. 7 t. 17. §. 4. &c.*

Probatur: Expedit bono communi Reipublicæ, ut filiusfamilias quoad dicta bona *ſui juris*, & à patre *independens* ſit; ne alias ab obſequio boni *communis* retrahatur: ergo juſte ei permittitur hoc dominium.

364 CONCLUSIO II. In bonis *adventitiis* filiusfamilias habet ſolum dominium directum ſeu *proprietatis*; utile autem ſeu *uſumfructum* & adminiſtrationem habet pater, ſaltem regulariter. *Ita iterum omnes ex l. cum oportet C. de bonis quæ liberis &c.*

Probatur: Bona adventitia *nec* ex re *patris nec* hujus intuitu proveniunt; ergo æquum non videbatur, ut pater fieret illorum *dominus*. Interim quia ratione filii multa incommoda ſuſtinet, *utilitas* illorum bonorum patri à jure conceſſa eſt.

365 CONCLUSIO III. In bona *profectitia* filiusfamilias nullum prorſus habet dominium nec directum, nec utile; ſed utrumque ad patrem pertinet, & filio conceditur præciſe uſus ſimplex & dependens à patre. *Rurſum communis omnium Theol. & Juriſt. ex l. filiusfamilias 93. ff. de. R. j.*

Probatur: Bona *profectitia* proveniunt ex rebus *patris* aut ſaltem ex conſideratione ipſius: ergo *totaliter* ſpectant ad patrem; æquum enim eſt, *ut quod ex patris occaſione profe-*

ctum

ſtum eſt, hoc ad eum revertatur. §. igitur 1. *inſt. per quas perſonas, &c.*

Objicies 1. cont. 1. concl. Filiusfamilias de bonis caſtrenſibus & quaſi-caſtrenſibus nequit *libere* diſponere, ad minimum quoad *patrem*: ergo non habet perfectum dominium a. p: Inter *patrem* & *filium* non datur perfecta *juſtitia* (: ℞. d. a. ſumptos *reduplicative* c. *ſpecificative* n. :) ergo. *Vid. n. 282.* 366

Ob. 2. urg. Saltem non poteſt diſponere ad *quoscunque* uſus: ergo. a. p. Filiusfamilias non poteſt dicta *alienare* aut de illis teſtari (: ſi ſit *impubes* aut pupillus c. ſecus n. Hæc limitatio jam addita eſt in concluſione :) *Vid.* P. Sporer *tr. 6. in Decal. c. 1. ſ. 2. n. 46.* 367

Ob. 3. cont. 2. concl. Si filiofamilias donentur aliqua bona *eâ conditione*, ne uſusfructus ad patrem perveniat, adhuc ſunt bona *adventitia* (: *regularia* n. extraordinaria ſeu *irregularia* c. :) ergo filiusfamilias habet dominium plenum in bonis etiam adventitiis (: *regularibus* n. *irregularibus*, qualia ſunt, quoties uſusfructus filio conceditur, c. Hinc in concluſione additum eſt, regulariter :) *Vid.* P. Schmier *l. 3. tr. 3. c. 2. ſ. 3. n. 153.* 368

Inſtabis: Si pater jam ſit mortuus, *mater* non habet uſumfructum bonorum *adventitiorum*: ergo nec pater etſi adhuc vivat (: n. c. & c. Quia uſusfructus eſt effectus *patriæ* poteſtatis, *quæ* patri *ſoli* convenit :) 369

Ob. 4. cont. 3. concl. In hac ſententia filius-familias teneretur ad reſtitutionem, ſi quid ſurriperet de bonis *profectitiis*: atqui hoc non 370

vide-

videtur verum; ergo. m. p. Ex *illis nullum* haberet *commodum* (: n. hoc; habet enim *ſimplicem* uſum: inſuper bona profectitia apud patrem exiſtentia, non poſſunt publicari caſu quo bona patris ob aliquod delictum publicarentur. *l. 3. §. ſed utrum. ff. de minor.* :) ergo.

371 Ob. 5. Bona, quæ filio ab *ipſis* parentibus dantur in patrimonium, ad ſtudia &c: ſunt profectitia (: in *rigore* & *adæquate* n. impropria & *inadæquate*, in quantum debent afferri in partitionem hæreditatis cum aliis fratribus; c. :) atqui horum filius eſt plenus dominus (: cum onere prædicto c. ſecus n. :) ergo.

372 Ob. 6. Lucrum ex pecuniis paternis, luſui expoſitis pertinet ad bona profectitia ex *n. 362.* atqui lucrum illud ſpectat propriè ad filium: ergo. m. p. lucrum, quod facit *fur* ex pecuniis furtivis venit in dominium furis: ergo & lucrum, quod facit filius ex pecuniis paternis (: n. c. Quia filius utitur pecuniis paternis *nomine* patris: fur autem nomine ſuo; qualiter ſi velit uti filius, lucrum quoque facit ſuum, at illud tunc non amplius erit bonum adventitium, quia non provenit ex bonis patris *quatenus* patris ſunt:) veniet in dominium filii. *Vid. cit.* Spor. *n. 53.*

373 Ob. ult. Filius aliquis ſæpe plus cæteris laborat, in adminiſtrandis bonis paternis, ſicque plura lucratur, & conſequenter ei debetur à patre *majus* ſtipendium (: ſi labor

ejus

ejus ſit *extraordinarius* c. ſecus n. :) *quod* veniret in dominium filii : atqui *tale* ſtipendium majus adhuc pertinet ad bona profectitia (: ſi daretur propter laborem *ordinarium* c. ſi propter *extraordinarium* n. Nam reſpectu laboris extraordinarii filius conſideratur ut extraneus. *Vid.* Spor. *n. 55.* :) ergo.

Quæres 1. An filiusfamilias, dum ſine 374 omni conſenſu patris mutuas accepit pecunias, à ſolutione excuſetur vi Senatus-conſulti Macedoniani non tantum pro foro *externo*, ſed etiam interno ? ℟. Ita ! quia munitur *juſta* exceptione ; ergo illa uti poteſt in utroque foro. P. Schmier *l. 3. tr. 3. c. 3. ſ. 1. à n. 14.* P. Pichler *l. 5. t. 19. n. 15. in Compend.* Item noſter *tr. de Act. hum. n. 643.* Interim tamen *non* excuſatur 1. Si habeat bona caſtrenſia vel quaſi. 2. Si mutuum *non* ſit *pecunia.* 3. *Si putetur* paterfamilias. 4. Si adſit *patris conſenſus* ſaltem præſumptus. 5. Aut ſi filiusfamilias ſit *miles.* Huic ſimile eſt Se- 375 natus-Conſultum *Velleianum*, vi cujus omnes fœminæ tam in foro interno quam externo uti poſſunt exceptione contra actionem ex fidejuſſione intentatam. De qua videatur P. Schmier *cit. l. 3. tr. 3. c. 4. à n. 59.* P. Pichler *l. 3. tit. 22. n. 2.* &c. jam quia filiusfamilias connexionem maximam habet cum parentibus, ideo

Quæres 2. An & quale dominium habe- 376 at *maritus* & uxor ? ℟. 1. Maritus habet dominium directum & utile tam civile quam natura-

naturale *dotis æſtimatæ* ſeu certo pretio taxatæ & venditæ: quia cenſetur eam emiſſe pretio, ſc. *contradote.* Uxor tamen retinet jus aliquod reale in re dotali, ut, ſi contrados non ſufficeret, dominium rediret ad uxorem.

377 ℟. 2. Uxor habet dominium civile *contradotis*, maritus autem *naturale*: quia uxori conceditur *vindicatio* adverſus quemcumque extraneum (juxta *Novell. 61.*) *quæ eſt* effectus dominii civilis. Dominium civile autem dicitur habere is, qui *vere* quidem *non* eſt rei dominus; *juris* tamen *fictione* reputatur ut dominus in ordine ad certos effectus, quales ſunt libera adminiſtratio & vindicatio.

378 ℟. 3. Uxor inſuper habet plenum dominium bonorum paraphernalium, hoc eſt, in præterdotalibus, ſive extra dotem exiſtentibus, ut habetur *l. hac lege cod. de pact. conventis.* Quæ bona huc reducantur, enumerat P. Sporer *tr. 6. c. 1. ſ. 2. à n. 37.*

379 ℟. 4. Arrhæ ſunt, in dominio donantis, & ſecuto matrimonio reſtitui debent illi, qui eas dedit *l. 2. C. de ſponſ.* Idem eſt, ſi ſponſalia ex *juſtis* cauſis diſſolvantur: quia arrha eſt inſtar pignoris, data in ſecuritatem *matrimonii*; ergo præſtita ſolutione debet reſtitui. E converſo *ſponſalitia largitas* eſt in pleno dominio accipientis, ſecuto matrimonio: unde differt ab arrha, quod *hæc* non fiat accipientis, niſi matrimonio *non* ſecuto.

380 ℟. 5. Dominium *Morgengebæ* eſt penes uxorem à puncto traditionis: nam quamvis aliæ

aliæ donationes inter conjuges ſint invalidæ, vel ſaltem revocabiles ad libitum; *hæc* tamen eſt valida, quia eſt remuneratoria, & *ſpecialiter* excepta. Dominium *bonorum communium* (quæ dicuntur etiam ſuperlucrata) pertinet ad utrumque conjugem; adminiſtratio tamen ad maritum: quæ autem ab alterutro acquiruntur labore *extraordinario*, de jure communi non communicantur alteri parti, niſi adſit ſpeciale pactum. Sed de his plura Canoniſtæ, & quidem breviſſime P. Pichler *l. 4. t. 20. per tot. &c.*

Quæres 3. Quando & quantum ex bonis de ſe *communibus* liceat uxori clam accipere? ℞. Tot & toties, quoties & quot neceſſaria ſunt ad *congruam* ſui, familiæque ſuſtentationem: poteſt inſuper expenſas facere pro *avertendo* malo temporali vel ſpirituali, ad veſtitum, honeſtam recreationem &c. quia tales ſumptus numerantur inter *alimenta, quæ* maritus ſubminiſtrare tenetur. Particularia ſubminiſtrabit P. Spor. *tr. 5. Decal. c. 5. ſ. 2. à n. 51.* 381

Quæres ult. An & quale dominium habeat *ſervus*? ℞. Quamquam *hic* de jure communi nullum prorſus dominium habeat val peculium proprium, ſed quidquid acquirit, domino acquirat (cum *ipſus* ſit de peculio domini ſui, ac inter hujus bona temporalia computetur, *ex l. 1. §. inſtit. qui ſui jur.*) tamen ex conſuetudine *ſervo* in certis caſibus aliquod dominium ſaltem imperfectum con- 382

ceditur, ut ſi dominus expreſſe vel tacite co
ſenſerit, ſi quid accipiat ob induſtriam, i
compenſationem injuriæ &c. Quibus diutiu
immorari non juvat, cum in noſtris parti
bus ſint raræ praxis.

QUÆSTIO II.

DE MODIS ACQUIRENDI DO MINIUM, SC. DE OCCUPATIONE, IN VENTIONE, ACCESSIONE, & PRÆSCRIPTIONE.

ARTICULUS I.

Quomodo acquiratur dominium pe occupationem? Ubi ſingulariter de venatione.

384 PRænotandum 1. Quia *modus* acquiren dominium ſibi ſoli proprium præſuppo nit *diviſionem* rerum, ideo hic contr Wicleffum (damnatum in Concil. conſtan *ſ. 8.* dum volebat, *omnia* bona temporalia ad huc eſſe communia) ſupponi, diviſioner illam non tantum omnino eſſe *licitam* ſed po lapſum Adami *neceſſariam* etiam inter Chriſtia nos: tum quia ſic res melius & ordinatiu tractantur ac conſervantur; ſiquidem quiſ que *magis* ſolicitus ſit de *proprio* quam de com muni: tum quia ſic pax & tranquillitas hu man

manæ ſocietatis magis ſtabilitur. Quæ omnia Chriſtus ipſe ſuppoſuit, dum præcepit: *reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Matth. 22.*

Prænot. 2. Hanc rerum diviſionem factam & introductam fuiſſe communi hominum conſenſu & *jure gentium* illam diviſionem conſtituentium & approbantium. Nec per talem diviſionem mutatum eſt *jus naturale* abſolutum ſed permiſſivum duntaxat & conditionatum; & quidem ſolummodo *indirecte* & per *accidens*, nempe ad mutationem objecti. Suppoſita itaque hac rerum *diviſione* certum eſt, quod illarum poſſit acquiri dominium. At quot ſint modi taliter acquirendi? inquiritur. Quapropter 385

Prænot. 3. Res acquiſitionis capaces eſſe in triplici differentia; nam 1. Aliquæ ſunt actualiter ſubjectæ alicujus dominio: & hæ acquiruntur *traditione* & *translatione*, fundatis in *jure Civili*. 2. Aliæ ſunt adhuc *communes* & necdum occupatæ, aliàs *vacantes* dictæ: & hæ acquiruntur per *occupationem*, fundatam in jure *naturali*, definiturque, quod ſit *apprehenſio rei cum animo eam habendi ut ſuam.* Et de hac eſt univerſalis regula, quod *bona*, quæ in *nullius* ſunt dominio, fiant *primo occupantis*, Hujus ſpecies ſunt, *Venatio* (quæ eſt occupatio ferorum animalium *terreſtrium*, in naturali libertate exiſtentium) *piſcatio*, & *aucupium*: illa occupat animalia *aquatilia*; hoc volatilia. 3. Denique res aliquæ habuerunt quidem dominum, modo tamen amiſerunt: 386

L 2 hæcque

hæcque vocantur alias *derelicta*; & acqui-runtur per *inventionem*, *acceſſionem*, & *præſcrip-tionem*, ſuntatas in jure *gentium*. De his in articulo ſequenti. De Rubrica præſenti circa venationem autem aget

387 CONCLUSIO I. Venatio de ſe cuivis homini eſt licita jure *naturæ* & *gentium*, imo & jure *communi* civili: poteſt tamen fieri illi-cita ratione perſonæ, temporis, & loci: *It* *quoad rem omnes ex §. feræ igitur. inſtit. de re-rum diviſ. &c.*

389 Prob. 1. pars: Feræ paſſim *vagantes* ſunt in *nullius* dominio: ergo eas occupare per venationem cuique eſt licitum omni jure ſaltem eo effectu, ut quis efficiatur *dominus* feræ etiam in aliena ſilva trajectæ. *Vid.* Ma-gnif. P. Schmier *l. 3. tr. 2. ſ. 2. n. 65.*

390 Prob. 2. pars: Venatio eſt licita de jure naturæ *permiſſivo* tantum: ergo poteſt pro-hiberi, & fieri illicita. Sic defacto ratione *perſonæ* venatio, clamoroſa ſaltem & fre-quens, prohibetur perſonis eccleſiaſticis in *Trid. ſ. 24.* c. *12. de reform. &c.* Ratione *tem-poris*, ſi eſt dies jejunii, aut feſtus, juxta c. *amputatis diſt. 86.* Ratione *loci*, ubi omne jus venandi ſpectat ad dominum fundi juſt- lege, præſcriptione, ceſſione &c. prout fere ubique fit in Germania. *Vid.* P. Spor. *tr. 6 in Decal.* c. *1. ſ. 4. n. 154.*

391 CONCLUSIO II. Venantes (idem eſt de piſcantibus & aucupantibus) contra jus & prohibitionem Principis peccant quidem

pe-

per ſe tamen & ſecluſo notabili damno, non plus quam *venialiter* : imo probabiliter *nec* venialiter, ſi contemptus legis & alia abſint, ex quibus poſſit oriri grave peccatum, v. g. periculum gravis mulctæ, exilii, neglectus rei domeſticæ : unde *non* tenentur reſtitueri *feram*, vel æquivalens ; bene tamen ſolvere pœnam ſtatutam *poſt* ſententiam judicis. *Ita communis, excepta ſecunda parte, quam docet* P. Pichler *l. 5. t. 24. n. 3.*

Prob. 1. pars : Tales agunt contra *jus* 392
Principis legitime acquiſitum, ut ſupponitur, ergo peccant, non tamen graviter, capiendo unam vel alteram vel paulo plures feras : quia ſic jus & præceptum Principis nondum *graviter* læditur. P. Spor. *n. 156.* Prob. 2. pars : Ex communi ſenſu & uſu leges prohibentes venationem habentur pro mere *pœnalibus* ; & Principes cenſentur eſſe contenti pœnis quas ſtatuunt in feripetas, ſi deprehendantur : ergo de ſe *non* peccant venialiter : minus contra *juſtitiam* per ſe ; quia prohibitio non fundatur in jure *proprietatis*, & feræ in nullius ſunt dominio.

Prob. 3. pars : Feræ fiunt primo occu- 393
pantis, & earum *dominium* acquiritur ; ergo non eſt obligatio eas reſtituendi aut aliquid æquivalens. Maxime quia Principes non urgent reſtitutionem, & ſubditi ad eam ſe non obligari communiter judicant tam venantes, quam ementes feram vel feras. Interim eſſe obligationem ſubeundi pœnam *poſt* ſenten-

 tiam,

tiam, ſupponitur ex noſt. Theol. Schol *Part. 3. n. 657.*

394 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Venatio poteſt prohiberi, ex *n. 287.* ergo non eſt licita jure naturæ (: R. d. ç abſoluto c. *permiſſivo* n. ç. &c. Sic *filiusfamilias* jure *naturæ* licite *teſtatur*; & tamen *prohibetur* lege poſitiva:)

395 Inſt. *Furtum* non eſt licitum jure naturæ etiam permiſſivo tantum: ergo nec *venatio* c.p. Venatio in fundo *alieno* habet ſpeciem furti; ergo. a. p. Ablatio *fructuum* ex fundo alieno eſt furtum: ergo & ablatio feræ ex fundo alieno (: n. c. Quia fructus ſunt *pars* fundi; eoquod ex illo naſcantur: non ſic feræ:)

396 Ob. 2. cont. 2. part. Videmus paſſim quod perſonæ eccleſiaſticæ interſint venationibus etiam clamoroſis, & quidem ſubinde diebus feſtis, & jejuniorum inſtitutis: ergo *illis*, & *tali* tempore, non eſt prohibita venatio (: ſi *non* ſit *frequens* & ſine abſurdis, ob quæ fuit prohibita c. ſecus n. Nam venatio etiam clamoroſa, ſi non ſit nimis frequens, ſi careat ſcandalo, & fiat ſine temporis diſpendio ad officium cultumque Divinum, fit licita per conſuetudinem, ait P. Pichler *l. c. n. 2.* Nec contradicit P. Sporer *n. 155.* :)

397 Ob. 3. con. 2. concl. part. 1. Una & altera fera, præſertim ſi accedant paulo plures, efficiunt pretium ſat magnum: ergo illas capiens contra jus & prohibitionem

Prin-

Prin cipis peccat mortaliter (: ſi animalia illa eſſent in *dominio* Principis c. ſecus n. Nam taliter jus *reale* , imo nec perſonale , nondum graviter læditur :)

Ob. 4. cont. 2. part. Feripetæ ſe expo- 398
nunt periculo *maximorum* malorum : ergo non poſſunt eximi ab omni, etiam veniali peccato (: ſi ſe committant periculo *proximo* c. ſi tantum *remoto* n. :)

Ob. 5. cont. 3. part. Nemo debet ſentire 399
commodum ex ſuo *delicto:* atqui ſi fericidæ non tenerentur ad reſtitutionem, ſentirent taliter commodum (: per *ſe* n. tantum per accidens c. Sic meretrix ſentit commodum ex opere turpi:) ergo tenentur ad *reſtitutionem* juxta æſtimationem illius *ſpei*, quam talis Princeps habebat capiendi feram (: n. c. Etenim hæc obligatio , ſi tamen datur , ex *conſuetudine* hodierna cenſetur condonari & *remitti* à Principe intuitu majoris pœnæ ſubeundæ, ſi deprehendantur ; tunc enim unus ſolvit pro decem :) *Vid.* Clariſſ. noſt. P. Dorſi *tr. de jur. n.* 222. Leſſius , Mol. Haunold. *tr. 5.* &c.

Ob. 6. Venatio eſt actio Principi *injurioſa*: 400
ergo per hanc non acquiritur dominium feræ captæ (: ſi Princeps haberet jus *in re* c. ſi tantum *ad rem* n. Sic ſi emo & ſimul *apprehendo* rem alteri venditam ſed *nondum* traditam, fio ejus dominus, etſi talis emptio ſit injurioſa:) Deinde: per venationem utique læditur *jus* Principis (: *reale* n. *perſonale* c. :) ergo debet

redintegrari per reſtitutionem ſaltem quoad æſtimationem *ſpei*. c. p. Lædens jus alterius quoad *famam* aut *honorem* tenetur ad reſtitutionem: ergo & lædens jus quoad *feras*. (: n. c. Quia alter eſt *dominus* famæ & honoris: non item ferarum:)

401 Ob. 7. Capiens *columbas* tenetur ad reſtitutionem (: niſi conſuetudo & tacitus conſenſus ſit, *eas* ſibi mutuo ſubducendi *quocunque* modo c. ſecus n. :) ergo & alias feras. c. p. Columbæ in jure numerantur inter aves feras (: ita tamen ut hodierna *praxi* numerentur inter animalia *domeſtica* & cicurata c. ſecus n. ergo :)

402 Ob. ult. Qui cædit ligna in *ſilva* etiam *communi*, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem: ergo & qui capit feras in aliena ſilva, utut communi (: t. a. de quo videantur P. Spor. *hic n. 165.* P. la Cr. *l. 3. n. 253.* Salmant. *tr. 12. c. 2. n. 71.* n. c. Eo quod feræ non ſint *fructus* ſilvæ, *qualis* tamen ſunt ligna cædua :)

ARTICULUS II.

Quomodo acquiratur dominium per inventionem & acceſſionem? Ubi præcipue de bonis inventis.

403 PRænot. 1. Sermonem hic non eſſe de *bonis derelictis*, de quibus aliquid ſupra *n. 386.* ſuntque illa, quæ dominum qui-

quidem habuerunt, modo tamen amiſerunt: *hæc* enim fieri primo occupantis, modo ſupponitur. Ad *hæc* inprimis ſpectat theſaurus; qui definitur, quod ſit *vetus depoſitio pecuniæ*, aut alterius rei mobilis, *cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. l. nunquam 31. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Hic ſi inveniatur in loco *publico* vel *proprio*, eſt totus inventoris: *caſu* inventus in fundo *alieno*, ex media tantum parte fit inventoris, altera enim cedit domino directo, & utili dividenda: de *induſtria* quæſitus in *alieno*, fit totus ipſius *domini*: inventus artibus magicis, totus cedit fiſco. *l. un. cod. de theſ.*

Prænot. 2. Dubium majus ſupereſſe de bonis, quæ ſub *actuali* alicujus dominio ſunt conſtituta, ita tamen ut dominus illorum ſit incertus, ideoque dicuntur *bona incerta*, & quidem *ex delicto*, ſi ſint parta titulo injuſto: ſi autem titulo juſto ad manus venerint, vocantur *incerta ſine delicto*. Talia ſunt præcipue bona *inventa*, de quibus dubitatur, an *inventor* fiat illorum dominus ſaltem poſt adhibitam moraliter *ſufficientem* diligentiam juxta dignitatem rei inventæ in inquirendo domino? Nam bona incerta *ex delicto* eroganda eſſe in pauperes vel alios pios uſus, certum eſt apud P. Spor. *tr. 4. c. 3. à n. 108.* P. Elbel *de reſtit. à n. 296.* &c. 404

CONCLUSIO: Bona incerta *ſine delicto*, poſt ſufficientem inquiſitionem domino non comparente, fiunt *propria* inventoris; 405

 adeo-

adeoque tuta conſcientia retinentur: idem eſt de bonis incertis absque delicto *ex contractu* vel *re accepta* tantum. *Ita DD. moderni fere omnes apud* P. Mezger *tr. 11. d. 27. a. 3. n. 4.* P. Sporer *à n. 110.*

406 Prob. 1. pars: Res perdita, poſt quæſitum & non inventum dominum eſt moraliter tanquam res *carens* domino: ergo fit primo occupantis. *arg. l. 1. ff. pro derelicto.* Præcipue: quia hæc videtur *voluntas* præſumpta *domini* prioris, cum ſic *facilius* rem illam recuperare queat, utpote manentem apud inventorem ſaltem in *æquivalenti*; qualiter tamen non maneret, ſi erogaretur in uſus *pios*, domino ſæpe *non* profuturos, ſi ſit in ſtatu disgratiæ &c. Imo ſecus nemo *tolleret* res perditas; adeoque perirent, aut in manus impiorum devenirent ſine ulla ſpe recuperationis. Taceo communem ſenſum inventorum, qui ſe fortunatos exiſtimant, ſi quid inveniant; ergo.

407 Prob. 2. pars: Etiam quoad bona incerta absque delicto ex *contractu* vel re *accepta* tantum rationabiliter præſumitur, voluntatem domini eſſe, ut quamdiu poſſunt, *conſerventur*, & ſibi data forte occaſione reſtituantur; quod non fieret, ſi in *uſus pios* erogarentur: ergo cum talis *bonæ fidei* poſſeſſor rem domini bene geſſerit inquirendo in eum, meretur, cenſeturque eſſe voluntas domini, ut talia bona potius relinquantur poſſeſſori, quam aliis diſtribuantur; quandoquidem æ-

que

que innocens ſit, ac quilibet alius. *Vide* P. Spor. *ἀn. 108.*

Objicies 1. cont. 1. part. S. Th. *2. 2. q. 62. a. 5. ad 2.* aſſerit, quod bona *incerta* debeant dari in *eleemoſynas* (: ℞. d. a. ſi ſint incerta *ex delicto*, dum nempe inventor aut poſſeſſor non adhibuit *debitam* diligentiam in inquirendo domino, c. ſi ſint incerta *ſine* delicto n. Similiter reſpondetur ad alias authoritates, quæ ſolent objici:) ergo hæc doctrina non eſt Thomiſtica. 408

Ob. 2. Amittens manet *dominus* rei amiſſæ (: quamdiu habet rationabilem *ſpem* recuperandi illam c. ſi *hanc* non amplius habeat n. tunc enim habetur pro derelicta, & fit primo occupantis :) ergo inventor debet illam applicare eo modo, quo vult *dominus*. Subſumo: atqui *hic* vult, ut res amiſſa cedat in bonum ſuum *ſpirituale* (: quamdiu habet *ſpem* recuperandi n. quia ſic vult ſibi reſtitui: ſi non amplius habet ſpem ſubd. vult voluntate *obligatoria* n. *non* obligatoria c. nam hic ceſſat eſſe dominus, conſequenter non poteſt velle, ut applicetur cauſis *piis*; alioquin etiam theſaurus inventus taliter applicari deberet, contra dicta *n. 403.*:) 409

Ob. 3. Conſuetudo habet vim legis: atqui *conſuetudo* timoratorum eſt, ut res inventæ, ſi dominus non compareat, expendantur in cauſas *pias* (: ex præcepto n. ex *conſilio* c. Imo timorati plures non expendunt, ergo cenſent nec eſſe conſilium:) ergo. Quid facien- 410

faciendum ſit, ſi res inventa jam conſumpta ſit, dum dominus comparet, conſuli poterit P. Sporer *hic n. 113.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. num. 95.*

411 Ob. 4. cont. 2. part. Bona incerta ex *delicto* debent expendi in cauſas pias: ergo & incerta *absque* delicto (: n. c. Quippe omnes merito præſumuntur inviti, rem ſuam eſſe in manibus furis vel *injuſti* poſſeſſoris, ſed potius malle, ſi ſibi omnino reddi nequeat, ut deveniat ad pauperes pro ſalute ſua: contrarium eſt in poſſeſſione *bonæ fidei* ob rationes adductas *n. 406.* :) *Vid.* P. Spor. *n. 108.* Reverendiſſ. DD. *FRANCISCUS* Abbas *Aug. Major. tr. 2. ſ. 2. a. 1. §. 5. n. 9.*

412 Quæres 1. Quid ſit *acceſſio?* ℞. Eſt modus acquirendi, *vi cujus aliqua res fit mea, quia alteri quæ mea eſt vel eſſe putatur, accedit.* Circa hanc eſt hæc regula generalis: quando res unius conjungitur rei alterius, *totum* ex utraque parte compoſitum ſpectat ad dominum illius, cujus eſt id, quod eſt magis *principale* in toto: nam ſemper congruit, acceſſorium ſequi naturam ſui principalis. *Reg. 28. jur.*

413 *in 6.* Dividitur in *naturalem*, quæ fit operante ſola natura, qualis eſt alluvio, coalitio, inſulæ productio, alvei mutatio, fœtura ſeu nativitas animalium, & perceptio fructuum: ac in *induſtrialem* ſeu artificialem quæ fit per humanam induſtriam, puta, in plantatione, ſatione, inædificatione: de quibus eſt hæc regula, quidquid plantatur

ſeri

ſeritur, vel inædificatur, omne ſolo cedit, radices ſi tamen egit. Huc ſpectant ſpecificatio, confuſio, & commixtio: hinc

Quæres 2. Quid ſit *ſpecificatio?* ℞. Hæc tunc fit, quando ex alterius domini materia fit *nova* ſpecies: de qua eſt hæc regula, ſi res per ſpecificationem *facta* poteſt reduci ad *priſtinam* formam, v. g. poculum in argenteam maſſam, tunc *materiæ* dominus etiam fit dominus illius ſpeciei; ſi *non* poteſt reduci, ut muſtum ex alienis uvis, tunc qui novam formam induxit, fit pariter dominus materiæ, ita tamen ut teneatur ad compenſationem damni, in quantum acquiſivit de alieno. *Confuſio* eſt, quando duorum dominorum materiæ *liquidæ* ſive ejusdem ſive diverſæ ſpeciei inter ſe commiſcentur. ſi fiat caſu ſvel conſenſu utriusque, *totum* inde reſultans ad utrumque pertinet; ſi *mala* fide, ad ſolum læſum, absque ulla refuſione. Commixtio 416 dicitur, quando duorum dominorum *materiæ ſolidæ* miſcentur, & tranſeunt in unum *tertium* moraliter diſtinctum, ita tamen, ut ſingulæ materiæ *diſtinctæ* maneant: quæ ſi adhuc facile diſcerni queant, dominium remanet penes priores dominos; ſi non, tunc totius rei dominium tranſit ad commiſcentem, at cum obligatione *refundendi* alteri pretium æquivalens. De quibus plura P. Sporer *tr. 6. c. 1. ſ. 6. à n. 219.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. à n. 115.*

ARTI-

ARTICULUS III.

Quomodo acquiratur dominium per præſcriptionem? an etiam pro foro interno?

417 PRænot. 1. *Præſcriptionem* (quæ etiam *uſucapio* vocatur, quod per uſum aliquid capiatur) definiri: eſt *modus acquirendi à jure approbatus, quo per poſſeſſionem debito modo & tempore continuatam obtinetur jus aliquod vel liberatio aliqua.* Ex qua definitione vides, ad legitimam præſcriptionem requiri 1. Rem aptam præſcribi. 2. Bonam *fidem.* 3. Titulum juſtum. 4. *Poſſeſſionem* veram. 5. Tempus legitimum, juxta notos verſus: *ſit res apta, fides bona: ſit titulus quoque juſtus: poſſideas juſte; completo tempore legis.* Si una ex his conditionibus deficit, præſcriptio vel *non currit*, id eſt, non poteſt inchoari; vel *dormit*, id eſt, ſuſpenditur; vel *interrumpitur*, ita ut de novo inchoari debeat. Ut de ſingulis breviter quid dicatur,

418 Prænot. 2. Ad præſcriptionem inprimis requiri, ut res ſit *apta præſcribi.* Præſcribi autem nequeunt illæ res, quæ jure *Divino* competunt, quæ jure *naturali* ſunt prohibitæ, quæ jure *poſitivo* poſſideri aut alienari prohibentur &c. quas omnes enumerat in Compendio P. Pichler *l. 2. t. 26. n. 37.* & P. Mezger *tr. 11. d. 27. a. 3. §. 2. à n. 5.* Inſuper requi-

quiritur 2. *Bona fides*, ſeu dictamen, quo quis ſibi prudenter perſuadet, rem eſſe ſuam, vel ſaltem non ſcit, eſſe alienam. Et *hæc* ad omnem prorſus præſcriptionem eſt neceſſaria, ut expreſſe ſtatuitur *in c. fin. de præſcript.* Sicque leges Civiles contrariæ ſunt 419
correctæ. Nam poſſeſſor *malæ* fidei ſemper manet in ſtatu peccati *mortalis*; ergo indignus eſt tanto favore juris. Nec hæc bona fides per ſuperveniens *dubium*, tollitur, modo *hoc* (ſi eſt practicum) præmiſſa diligenti inquiſitione in rei veritatem deponatur; velut fundamentaliter probat, etiam de dubio *antecedente* poſſeſſionem & præſcriptionem, P. Pichler *hic n. 16.* quæ ſententia multum conducit ad dicta in *Part. 1. n. 84.* Neque tollitur per ignorantiam *facti*, bene tamen per ignorantiam *juris* manifeſti: ratio eſt voluntas jurium. Videatur citatus Author *n. 15.*

Prænot. 3. Ad præſcriptionem requiri 3. 420
etiam *titulum*: quia ſine titulo non poteſt eſſe bona *fides*; cum *hæc* in illo fundetur. Quam ob rem qui præſcribit debet poſſe *prudenter* judicare, quod ſibi competat jus ad rem illam ex *titulo juſto*, id eſt à jure approbato, donatione, emptione, legato, transactione, &c. Ubi tamen non requiritur, ut ille titulus ſit *verus* (taliter enim non opus foret præſcriptione) ſed ſufficit titulus *apparens* & *bona* fide exiſtimatus ut *verus*: & hoc tamen in præſcriptionibus minoris temporis, triennii, decennii; nam ad præſcriptionem 30. vel 40.

&

& amplius annorum loco tituli eſt poſſeſſio tanti temporis. *c. 1. de præſcript. in 6.*

421 Prænot. 4. Præterea requiri 4. *Poſſeſſionem* quia, ut ait regula 3. *jur in 6.* ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit: & quidem requiritur poſſeſſio nomine *proprio*: hinc depoſitarius non poteſt præſcribere depoſitum. Sufficit autem poſſeſſio *civilis*; quia *naturalem* toto tempore præſcriptionis continuare, eſt moraliter impoſſibile. Nihilominus ſola poſſeſſio naturalis non ſufficit: quia *ſine* animo rem habendi ut *ſuam* non poteſt acquiri ejus dominium, & ſine opinione dominii non habetur bona fides. *Vid.* P. Pichler *n. 26.*

422 Prænot. 5. Denique ad præſcriptionem requiri tempus *legitimum* ſeu continuationem poſſeſſionis per tempus à legibus definitum, hoc modo. 1. Res *mobiles*, etiam pretioſæ, cum titulo præſcribuntur triennio. *§. 1. inſtitut. de uſucap.* probabiliter etiam contra Eccleſias. *auth. quas actiones. cod. de SS. Eccl.* ſine titulo autem non niſi 30. annis. *l. 3. cod. de præſcript. 20. ann.* 2. Res *immobiles* privatorum *cum* titulo præſcribuntur 10. annis inter *præſentes*, & 20. inter abſentes. *§. 1. inſtit. de uſucap. l. ult. cod. de præſcript. longi temp.* ſine titulo non niſi 30. annis. *l. 3. & 4. cod. de præſcript. 30. vel 40. ann.* qui 30. anni quoque neceſſarii ſunt ad præſcribendum res immobiles communitatum ſæcularium. *Novell. 111. c. un.* 3. Res immobilis & jura ſpiritualia ac temporalia, immobilibus æquivalentia, con-

tra *Eccleſias* cum vel ſine titulo non præſcri-
buntur niſi 40 annis. *c. 4. 6. 8. de præſcript.* Cætera de præſtationibus annuis, ſervitutibus, & actionibus, quæ hoc loco Theologi ex Canoniſtis referre ſolent, jam in compendium redacta exhibebit P. Pichler *cit. l. 2. t. 26. àn. 30.*

CONCLUSIO: Per præſcriptionem legitimam acquiritur *plenum* rei præſcriptæ dominium: etiam in foro *conſcientiæ*; adeoque completa præſcriptione res licite retinetur, etſi poſtea conſtiterit, fuiſſe alienam. *Ita communis Theologorum & Juriſtarum.* 423

Prob. 1. pars: Leges *abſolute* dicunt, quod per præſcriptionem acquiratur dominium *pleniſſimum*, ſine ulla diſtinctione inter dominium directum & utile, plenum & non-plenum; nec diſcrimen faciunt inter res mobiles & immobiles, velut patet *ex l. 4. cod. de præſcript. 30. vel 40. ann. & can. 6. & 11. cauſ. 16. q. 3.* alibique: ergo nec nos debemus diſtinguere: Maxime: quia alias non obtineretur *finis* intentus à *legibus*; nam dominia *directa* adhuc manerent incerta, ſi per præſcriptionem acquireretur ſolum dominium *utile* (ut quidam voluere) nec vitarentur lites, nec quietæ redderentur conſcientiæ; ergo. 424

Prob. 2. pars: Per præſcriptionem acquiritur rei *dominium* ex Jure utroque, ut mox auditum: ergo tuta conſcientia poterit retineri illa res præſcripta; ſiquidem quilibet tute retineat illud, cujus eſt *dominus*: Præci- 425

pue: quia lex *juſta* pro foro *externo* eſt etian juſta pro foro *interno*; cum lex humana ne queat eſſe juſta, quæ ſine peccato obſervai nequit. Deinde: Jus Canonicum reproba illam ſolummodo præſcriptionem, quæ fi cum *mala* fide *c. ult. de præſcript.* ergo tacit approbat illam, quæ *bona* fide perficitur.

426 Objicies 1. cont. 1. part. In *l. 13. ff. de jure jur.* dicitur, eum, qui juravit, deberi poſ præſcriptionem habere *etiam actionem utilem* ergo per præſcriptionem fuit acquiſitum do minium *utile* duntaxat (: R. n. ç. & c. Qui cum lex dicat *ETIAM utilem*, potius jam ſup ponit dominium directum :)

427 Dices: *Priori* domino adhuc convenit *ex ceptio*, id eſt excluſio actionis contra præſcri bentem (: n. hoc; nam ſi agat, ſemper ſuc cumbit; conſequenter ei non convenit *ver* actio ſed apparens tantum :) ergo retinet ali quod dominium.

428 Ob. 2. cont. 2. part. Per præſcriptionem *locupletatur* quis cum alterius *jactura* (: juſta & per *leges* approbata c. *injuſta* n. Sic prædatio in *bello* juſto fit cum alterius jactura, & tamen in conſcientia eſt licita :) ergo repugnat jur naturæ; ſicque non valet in conſcientia. Præſertim: quia in *Novell. 9.* nominatur *im- pium præſidium* (: ſi fiat cum *mala* fide c. ſecus n. :) ergo.

429 Inſtabis: Præſcriptio ſæpe fit ſine domini culpa (: *theologica* c. *juridica* n. :) & ſine con- ſenſu (: *expreſſo* c. tacito n. Etenim hoc ipſo quod

quod præſcriptio fiat per legem juſtam & Reipublicæ proficuam, jam fit per tacitum *conſenſum*. Imo *hic* ſuppletur authoritate legis :) ergo eſt injuſta.

Ob. 3. Lex præſcriptionis eſt pœnalis: ergo ſaltem *ante* ſententiam Judicis non obligat in conſcientia. a. p. Fundatur in præſumptione *culpæ* (: *ſecundario* & inadæquate c. primario & *adæquate* n. Cauſa principalis enim eſt, ne dominia rerum ſint incerta, ne ſint continuæ lites &c. *l. 1. ff. de uſucap. l. ult. ff. pro ſuo* :) ut conſtat ex *c. 5. de præſcript.* ergo. 430

Urg. Quando judex per *ſententiam* falſæ præſumprioni aut errori innixam tibi adjudicat rem alienam, tu, cognito errore, non potes rem illam retinere tuta conſcientia (: t. hoc enim negat P. Pichler *l. 2. t. 27. n. 9.* :) ergo nec ſi taliter acquiris per præſcriptionem (: n. c. Quia judex non confert jus, ſed tantum *declarat*, quis *videatur* habere jus: leges præſcriptionis autem conferunt jus *abſolute*, fundanturque in bono publico :) 431

Ob. 4. Licet *Trid. ſ. 25. de Reg. c. 19.* ſtatuat, Regularem, qui prætendit ſe *nulliter* profeſſum propter defectum ætatis, conſenſus &c. elapſo quinquennio non amplius eſſe audiendum; *talis* tamen, ſi in rei veritate agnoſcat nullitatem profeſſionis ſuæ, in foro interno non obligatur manere in Religione: ergo ſicut per illud quinquennium præſcribitur duntaxat in foro *externo* ita & in aliis præſcriptionibus (: n. c. Lex humana enim bene 432

 poteſt

poteſt transferre *dominia* propter bonum commune; eoquod conſenſum domini ſupplere valeat: quem tamen ſupplere non poteſt in profeſſione. Deinde: Tridentinum non dicit, talem eſſe verum *Religioſum*, ſicut leges præſcriptionis dicunt, præſcribentem fieri *vere dominum*:)

433 Repones: Qui emit rem *infra juſtum* pretium ſed non *ultra dimidium*, per leges eſt ſecurus in foro externo, non tamen in interno, cum nullum jus acquirat, ſed teneatur reſtituere: ergo etiam, qui ſecundum leges præſcripſit (: n. c. Quippe leges ex *vi* dominii *alti* conferunt præſcribenti *jus*, non item taliter *ementi*, quamqu-m huic aſſiſtat *negative*, dum negant læſo actionem:)

434 Ob. 5. Præſcriptio præcipue fundatur in *bona* fide: ergo ſaltem tunc non valet, ſi *hæc* ceſſat (: quando tempus præſcriptionis nondum eſt completum c. ſi eſt completum n.:) c. p. Si dominus reſciatur, inventio rei perditæ non valet in conſcientia (: ſi tempus præſcriptionis, ſc. triennium nondum effluxit c. ſecus n. *Vid.* P. Spor. *n. 187.*:) ergo nec præſcriptio (: retorqueo: inventio valet; ergo & præſcriptio:)

435 Ob. ult. Quando res eſt in circumſtantiis ad præſcriptionem requiſitis, tunc habetur pro *derelicta* (: aliquando c. *ſemper* n. Nam præſcriptio poteſt præſtare ſuum effectum *ſeorſim* à titulo primo occupantis, ut dum quis præſcribit pro legato, dote &c.:) ergo res

fit

fit mea titulo *primo occupantis*; ſicque titulus præſcriptionis eſt otioſus, nec modus acquirendi diſtinctus,

Quæres 1. *Quis* poſſit præſcribere? Et *contra* quem? ℟. Omnis, qui *capax* eſt *juris* realis, vel perſonalis, & potens rem alienam *ſuo* nomine poſſidendi. Et quidem *talis* poteſt præſcribere *contra* omnem, qui præditus eſt aliquo jure *activo*, reali vel perſonali, & non impeditur ſuper illo jure agere, illudque tueri. De quibus compendioſiſſime toties laudatus P. Pichler *l. 2. t. 26. n. 8.* Aliena nolumus inferre foro theologico, ne cogamur facere reſtitutionem in *integrum*. At occaſione hujus vocabuli, 436

Quæres 2. Quid ſit reſtitutio in *integrum*? & quibus detur? ℟. Eſt remedium juris, quod finita præſcriptione conceditur *priori* domino, ut poſſit authoritate Judicis reſtitui in priſtinum ſtatum & poſſeſſionem *rei*, per præſcriptionem *amiſſæ*. Hoc privilegium conceditur 1. Minorennibus continuo quadriennio à die, quo majores facti ſunt. *l. un. cod. ſi adverſus uſucap.* 2. *Eccleſiis* & piis locis, quæ in favorabilibus æquiparantur minorennibus. 3. Etiam aliis majorennibus, dummodo probent, ſe *non potuiſſe* interrumpere præſcriptionem. *Vid. cit.* P. Pichler *l. 1. t. 41.* P. Mezger *tr. 11. d. 17. a. 3. §. 6. à n. 29.* 437

TRACTATUS III.

DE CONTRACTIBUS.

DISPUTATIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

TRactatui de *juſtitia* recto ordine ſubjungimus tractatum de contractibus; ſiquidem *hæc* munus ſuum, quod eſt *jus ſuum* cuique tribuere, nullibi magis exerceat quam in cnntractibus, utpote materia ampliſſima, quæ totius humani generis commercia pervagatur. Nos hanc omnem in duas Diſputationes contrahemus: in harum prima (poſtquam quædam præmiſerimus de contractibus in *genere*) tractaturi per duas Quæſtiones de contractibus *gratuitis*, ſeu lucrativis in ſpecie, qui ex una ſolum parte obligant, ſive in quibus nihil rependitur, ut eſt promiſſio, donatio, commodatum, precarium, depoſitum, & teſtamentum: in altera deinde de contractibus *oneroſis*, qui nempe reciprocam hinc inde obligationem pariunt. Sit igitur

QUÆ-

QUÆSTIO I.

DE PROMISSIONE, DONATIONE, COMMODATO, PRECARIO, ET DEPOSITO.

ARTICULUS I.

Quid ſit promiſſio, & quomodo obliget? Ubi præliminariter de contractibus in genere.

PRænotandum 1. Contractum, ſi *late* & generice ſumatur, quatenus omnem prorſus contractum tam gratuitum quam oneroſum ſub ſe comprehendit, definiri, quod ſit *duorum vel plurium in idem placitum conſenſus. l. 1. ff. de pact.* Si autem *ſtricte* ſumatur, quatenus nempe ſub ſe ſolum contractum *oneroſum*, ex utraque parte contrahentium obligantem complectitur, recte definitur, quod ſit *ultro citroque obligatio. l. Labeo. ff. de verb. ſignif.* quæ definitio non eſt formalis ſed *cauſalis*; quia contractus formaliter non eſt *obligatio* ſed cauſa ipſius. Senſus ejus eſt, quod contractus ſtricte acceptus ſit duorum vel plurium in idem conſenſus, *ultro citroquo* obligationem pariens: per quod diſtinguitur à contractu *late* ſumpto, qui ſubſi- 438

ſtit, tametſi vel nulla, vel tantum ex parte *unius* reſultet obligatio.

439 Prænot. 2. Contractum generatim dividi 1. In *explicitum* ſeu expreſſum (qui fit *expreſſa* partium conventione) & *implicitum* ſeu tacitum, qui fit implicite ſolum per juris *depoſitionem*; qualis eſt tutela, & quodvis aliud officium. 2. In *lucrativum* ſeu gratuitum (in quo nihil rependitur) & *oneroſum*, in quo aliquid, loco ejus quod datur, reddi debet vel præſtari. 2. In *abſolutum* (qui fit independenter à quacunque conditione) & *conditionatum*, qui vid. habet appoſitam *conditionem* extrinſecam; *quæ ſi* non exiſtat, vel impleatur, contractus nullam obligationem parit. 4. In *nudum* (qui fit *abſque* confirmatione juris civilis; adeoque actionem in judicio non tribuit) & in *veſtitum*, qui Jure confirmatus, actionem tribuit. 5. In contractum *bonæ fidei* (in quo Judex poteſt multa decernere ex æquo & bono, etſi ea verbis expreſſa non fuerint; tales ſunt emptio, locatio &c.) & *ſtricti juris*, in quo Judex alligatur ad verba contrahentium, ut ſunt liberalis *promiſſio*, feudum &c. 6. Denique in *nominatum* (qui proprium nomen in Jure habet, ut emptio, locatio &c.) & *innominatum*, qui caret nomine determinato; hujusmodi quatuor recenſentur: Do *ut des*. 2. Do, *ut facias*. 3. *Facio*, ut des. 4. *Facio*, ut facias.

440 Prænot. 3. Ad *valorem* omnis contractus eſſentialiter requiri conſenſum, & quidem ple-

plene *deliberatum*, *ſerium* ſeu promiſſorium, ſignoque externo *expreſſum*, ac *acceptatum* ab altero. Hinc ſi in altero contrahentium contingit error circa *ſubſtantiam*, v. g. dum *vitrum* emitur pro gemma, contractus jure naturæ eſt irritus & nullus: quia deeſt *conſenſus* ſubſtantialis; cum *nullus ſit errantis conſenſus*, ut dicitur *l. non idcirco. cod. de jur. & fact. ignor.*

Si tamen error tantum contingat circa *qualitatem* accidentalem, contractus eſt validus, modo error vel dolus non dederit cauſam contractui, id eſt modo non vere cauſa motiva *principalis* hujus contractus extiterit, neque qualitas fuerit in pactum deducta per modum conditionis. Ratio eſt: quia talis vere conſenſit in emptionem iſtius rei ſeu ſubſtantiæ ejus. *Vid.* P. Spor. *tr. 6. in Dec. c. 2. ſ. 3. à n. 82.* Interim

Prænot. 4. Metum *gravem* non invalidare contractum, ſive deinde *is* incuſſus ſit ab intra v. g. ab infirmitate, ſive ab extra; ſive juſte, ſive injuſte: quia metus non tollit *voluntarium* ſimpliciter, ex *Part. 1. n. 24.* Nihilominus ſi metus incutiatur *injuſte*, tunc *matrimonium* & *profeſſio* religioſa jure poſitivo nulla ſunt: reliqui contractus autem per ſententiam judicis poſſunt reſcindi c. *2. de ijs, quæ vi &c.* ubi decernitur, debere in irritum revocari, quæ *metu* & vi fiunt. *Vid. cit.* Spor. *à n. 108.* Quod attinet ipſos contra- 441

 hentes,

hentes, generatim loquendo *omnes* & *ſoli* illi contrahere poſſunt, qui habent *liberam* bo-
442 norum adminiſtrationem. Adeoque contrahere non poſſunt carentes *uſu rationis*; nec *Religioſi* ſine conſenſu Prælati; nec *pupillus* pubertati proximus, aut minorennis ſine authoritate tutoris vel curatoris, ita ut *civiliter* obligentur, id eſt, ita ut in foro *externo* & civili conveniri queant. Nam hi duo ultimi obligantur ſaltem *naturaliter* (quia vere dederunt *conſenſum*, ex quo oritur obligatio naturalis *l. Stichum. §. naturalis ff. de ſolut.*) quamvis *inefficaciter*, cum per exceptionem legis civilis deobligentur, & etiam in foro conſcientiæ plus ſolvere non teneantur, quam in quantum facti ſunt ditiores. *Vid.* Reiffenſt. *hic n. 29. & ibidem citati.*

443 Prænot. 5. Hactenus prænotata pertinere ad contractum in *genere*. Quia vero nunc agendum eſt de contractibus in *ſpecie*, & quidem inprimis de gratuitis, inter quos primus eſt *promiſſio*; ideo quoad *hanc* ſciendum, illam communiter definiri: eſt *deliberata & ſpontanea fidei obligatio facta alteri de re quapiam bona & poſſibili.* Fit itaque hujusmodi promiſſio tunc, quando quis ſponte, liberaliter, ac animo obligandi, & quidem deliberate pollicetur alteri quidpiam dare, quod *honeſte* poteſt: nam in *malis promiſſis fidem non expedit obſervare. R. J. 69. in 6.* Idque intelligendum eſt, etiamſi promiſſio ſit *juramento* firmata; etenim *non eſt obligatorium contra bonos*

nos mores præſtitum juramentum. R. J. 58. n. 6. Num ſub *gravi* peccato obliget, vel ſub *levi* tantum? ſupereſt quæſtio. Quam reſolvet hæc

444 CONCLUSIO: Promiſſio ſimplex & gratuita *ante* acceptationem in promittente nullam obligationem parit: *poſt* acceptationem autem obligat: ſed per ſe ſub veniali tantum. *Ita in re omnes & cum his* P. Sporer *tr. 6. c. 2. ſ. 2. n. 69.* P. Mezger *tr. 13. d. 45. c. 1. n. 14.* P. Babenſt. *tr. 7. d. 6. a. 2. n. 11.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 772.*

445 Prob. 1. pars: Obligatio non poteſt intelligi, niſi ex mutuo conſenſu duorum, juxta *l. 1. ff. de pactis*: atqui *ante* acceptationem non eſt conſenſus *duorum* in idem, ergo ibi nulla eſt obligatio. Deinde: ut eſſet obligatio in promittente, deberet promiſſarius habere jus *activum*, in quo fundarur obligatio *paſſiva* & correlativa ipſius: atqui promiſſarius *ignorans* vel invitus non poteſt habere jus activũ; ergo. Quippe quævis promiſſio ex natura rei habet imbibitam hanc conditionem, *ſi acceptetur*: unde antequam acceptetur, ſemper *revocabilis* eſt; quia promiſſio tamdiu manet ſub poteſtate promittentis, quamdiu nulla accedit obligatio: ſed antequam fiat acceptatio, ceu eſſentialis conditio ad complendam promiſſionem, nulla reſultat obligatio; ergo.

446 Prob. 2. pars: juxta axioma commune, *promiſſio* cadit in *debitum*; ergo ſi acceptata eſt, parit obligationem. Nam de promiſſionibus

nibus, contractibusque omnibus procedit illud vulgatum DD. *quod à principio eſt voluntatis, ex poſt facto fit neceſſitatis*; id eſt, poſt contractum ſemel rite celebratum. *arg. l. ſicut cod. de action. & oblig.* Adeoque promittens, & poſt acceptationem non ſervans, *peccat* ſaltem venialiter, non conformando verba factis; ſicut quis peccat contra *veritatem* non conformando verba menti.

447 Prob. 3. pars: Tum quia obligatio ejusmodi promiſſionis, etiam acceptatæ, oritur ex virtute *fidelitatis*, quæ ſolum obligat ſub *veniali*, quia non reſpicit debitum rigoroſum & legale ſed *morale* duntaxat. Tum quia ſi exigeres à promiſſoribus, ut promiſſionem ſuam *chirographo* aut juramento firment, ordinarie dicerent, ſe nolle tam *ſtricte* obligari: ergo ſignum eſt, eos ſimpliciter promittendo non imponere ſibi *gravem* obligationem, etiamſi materia gravis ſit. *Vid.* la Cr. *l. 3. p. 2. n. 776.*

448 Objicies 1. cont. 1. part. Promiſſioni nondum acceptatæ poteſt accedere juramentum: atqui tunc jam obligat; ergo non requitur acceptatio. m. p. Juramentum *absque* promiſſione obligaret ante *acceptationem*: ergo quoque ante hanc obligat *cum* promiſſione (: ℞. t. a. n. c. Quia juramentum ſequitur primordialem naturam *actus*, cui adhæret, ejusque obligatio ſe non extendit ſupra obligationem contractus: conſequenter ſicut ipſa promiſſio ſic etiam juramentum imbibit hanc

hanc conditionem, *ſi alter acceptaverit*, uti patet in juratis ſponſalibus; ergo ſicut ſecluſo juramento, ſic etiam juramento adjuncto non obligat actu, manetque revocabilis:) *Vid.* P. Mezger *hic n. 7.* Sporer *n. 41.*

Ob. 2. In jure Canonico c. *ſi tibi de preb.* dicitur, collationem Beneficii non poſſe *revocari* ab Epiſcopo, quamvis ille, cui collatum eſt, necdum *acceptaverit*: ergo etiam promiſſio necdum acceptata obligat, & non poteſt revocari (: n. c. Epiſcopi enim non ſunt *domini* Beneficiorum, quæ ſolus Papa principaliter confert per Epiſcopos, qui etiam non poſſunt illa ſibi retinere. Noluit autem Papa mutare voluntatem ſuam, niſi ille, cui collatum eſt, renuntiet: econtra *promittens* eſt & manet *dominus* rei ſuæ; ergo ſi velit, poteſt promiſſionem necdum acceptatam revocare:) 449

Ob. 3. In jure Civili *l. illud. cod. de ſacroſ. Eccleſiis.* ſtatuitur, quod promiſſio facta ad cauſam *piam* ſtatim obliget (: ſi verba promittentis facta ſint ad ipſum *Deum* c. tunc enim eſt votum: *ſecus* n.:) quamvis nemo acceptet; ergo. Item *legatarius* acquirit dominium rei legatæ in puncto, quo *hæres* adit hæreditatem, quamvis de hoc nihil ſciat (: tum quando de hoc nihil ſcit n. acquirit per retroactionem & fictionem juris, c. quia nempe ſi poſtea acceptet, jura diſponunt, ut cenſeatur acceptaſſe in puncto aditæ hæreditatis:) ergo etiam poterit abſque ulla 450

accep-

acceptatione acquiri jus ad rem promiſſam. *Vid.* la Cr. *n.* 769. Spor. *n.* 46.

451 Ob. 4. cont. 2. part. Si millies quid etiam firmiſſime *proponam*, & dicam, ita *dabo* hoc, *faciam* hoc &c. inde non *obligor* illud exequi: ergo neque ſi promittam & dicam, *promitto, me hoc facturum, donaturum &c.* c. p. Verba *hæc* non habent alium ſenſum quam priora (: n. hoc; nam hæc ultima ſignificant obligationem fidei: non item priora:) ergo. *Vid.* Reiffenſt. *diſt.* 2. *n.* 2.

452 Ob. 5. cont. 3. part. Obligatio pendet ex *intentione* promittentis: ergo per ſolam *promiſſionem* poteſt ſe obligare graviter & ex juſtitia (: ſi ſiſtat intra limites *puræ* promiſſionis n. ſi velit adjicere juramentum aut ſolemnitatem juris c. Sic *vovens* intra limites voti, non poteſt facere, quod debitum Religionis ſit debitum juſtitiæ :) Mezger *n.* 16. Babenſt. *n.* 12.

453 Ob. 6. Votum in re gravi obligat graviter erga Deum: ergo etiam promiſſio in re gravi obligat graviter erga *hominem*. c. p. *Fidelitas*, cujus actus eſt *promiſſio*, eſt quoque pars potentialis juſtitiæ (: habens ſimul debitum rigoroſum, uti habet religio n. ſecus c. Nam religio eſt pars juſtitiæ *potentialis* tantum, *non* ob defectum debiti rigoroſi erga Deum, ſed *ob* defectum alteritatis; adeoque poteſt graviter obligare: at fidelitas eſt pars juſtitiæ potentialis ob *defectum* debiti rigoroſi & legalis; utpote reſpiciens ſolummodo *de-*

bitum

bitum morale & honeſtatis; ergo, non poteſt obligare graviter :) qualis eſt religio, cujus actus eſt votum ; ergo.

Inſtabis: *Fidejuſſio*, quamvis gratis fiat, 454
tamen obligat ex *juſtitia*: ergo & promiſſio *ita* obligare poteſt (: n. c. Quia *fidejuſſio* pro objecto reſpicit debitum *legale* juſtitiæ, quod in ſe recipit fidejuſſor in defectum debitoris principalis: econtra ſimplex *promiſſio* tantum reſpicit debitum *morale* & honeſtatis; uti mox dictum :) *Vid.* P. Mezg. *n. 17.*

Ob. 7. Poteſt contingere, quod, ſi pro- 455
miſſio non impleatur poſt acceptationem, promiſſarius incurrat *grande* malum; uti dum quis promittens tenere *ſecretum* magni momenti illud revelet &c. vel promittens *plures* Miſſas legere pro alio, illas non legat: ergo promiſſio ſaltem tunc obligabit graviter (:*per ſe n.* per *accidens* & ratione illius damni c. Idem eſt de promiſſione Miſſarum *plurium*, ſaltem ſi promiſſarius ad illas teneatur voto vel ſtipendio. Interim ad *unam* tantum *liberaliter* promiſſam, probabiliter non eſt obligatio gravis: quia omiſſio illius in communi apud homines non videtur rationabiliter diſſolvere amicitiam, vel graviter lædere charitatem &c. :) *Vid.* P. la Cr. *n. 755.* P. Kreſſinger *apud* Reiffenſt. *diſt. 2. q. 1. ſub n. 6.*

Quæres 1. Quomodo obliget promiſſio 456
conditionata? ℟. Quando conditio adjecta eſt honeſta aut indifferens, tunc quidem *ante* adventum illius conditionis *nulla* oritur obli-

gatio

gatio implendi contractum; interea tamen tenetur ſic conditionate promittens exſpectare *eventum* conditionis ita, ut interim nequeat pro libitu ſuam promiſſionem (ab altero *acceptatam*) revocare. Econtra ſi illa conditio fuerit *inhoneſta*, tunc promittens non debebit quidem exſpectare eventum illius; *poſt* eventum tamen tenetur ſtare promiſſis; de quo aliquid *Part. 3. à n. 159. 417.* Interim ſi contractui *matrimoniali*, vel *teſtamento*, aut *profeſſioni* religioſæ adjiciatur conditio *turpis* vel impoſſibilis, ex particulari Juris diſpoſitione talis conditio habetur pro non-adjecta; & ſimile matrimonium, teſtamentum, & profeſſio adhuc valet & obligat, ut oſtendit P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 599.*

457 Quæres 2. Quomodo obligatio promiſſionis deſinat? ℞. 1. Ex *condonatione promiſſarii*, potentis condonare. 2. Per mutationem *objecti*, ſi nempe res promiſſa fiat interim *impoſſibilis*, illicita, inutilis, aut nociva promiſſario. 3. Per mutationem *notabilem* circumſtantiarum aut ſtatus circa perſonas ipſas; quæ, ſi ab initio fuiſſet, promiſſionem irritaſſet. 4. Ob gravem *ingratitudinem* promiſſarii. 5. Per compenſationem, dum nimirum in promiſſione *reciproca* alter non vult ſtare promiſſis. 6. Demum, ob non ſubſiſtentiam *cauſæ* principalis: ut ſi cuipiam quid promiſiſti intuitu paupertatis, quem poſtea deprehendis, non eſſe pauperem. Videantur authores hactenus citati.

ARTI-

ARTICULUS II.

Quid ſit donatio, commodatum, precarium, & depoſitum?

PRænotandum: Contractui *promiſſionis* maxime affinem eſſe contractum *donationis*: *de qua* proinde ſtatim in præſenti Articulo. Et quia materia hæc adeo fuſa haud eſt, eidem reſiduos contractus gratuitos adjungimus. E quibus omnibus autem ea præciſe attingemus, quæ ad Moraliſtas ſpectant; cætera Canoniſtis & JCtis relinquentes. 458

CONCLUSIO I. Donatio bene definitur, quod ſit *tranſlatio dominii alicujus rei per actum mere liberalem in alium facta*. Ita communis *quoad rem*. 459

Probatur: Hæc definitio conſtat genere proximo, & differentia ultima; uti patefiet illam examinanti; ergo eſt *bona*, ſiquidem ad *talem* plus non requiratur, ex Sumulis *noſt. Log. n.* 83. & ex ſolutionibus objectionum.

CONCLUSIO II. Donatio in genere dividitur 1. In mere gratuitam & remuneratoriam. 2. In abſolutam & conditionatam. 3. In realem & verbalem. 4. In donationem inter vivos & in donationem mortis cauſa. *Iterum communis*. 460

Probatur, & explicatur: Donatio mere *gratuita* eſt illa: quæ definita fuit in conclu- 461

ſione priore: Remuneratoria, quæ fit quidem per actum liberalem, ſed tamen intuitu alicujus Beneficii. *Abſoluta* eſt, quæ fit ſine conditione: *conditionata*, quæ cum aliqua conditione fit. *Realis* conjungitur cum traditione rei: *verbalis* conſiſtit in ſolis verbis. Donatio *inter vivos* eſt, cum donator, ſe vivente, vult transferre dominium: *mortis cauſa*, qua donator non niſi *poſt* mortem vult rem irrevocabiliter tranſire in dominium alte-
462 rius. Hæc donatio mortis cauſa (ſicut & teſtamentum ac quodlibet legatum) poteſt revocari quocunque tempore usque ad mortem; etiam absque *alia* cauſa præter liberam voluntatem donantis vel teſtantis: quia fit ſub conditione, *ſi moriar*; ergo hac non impleta, ſemper poteſt revocari: *nam ambulatoria eſt voluntas defuncti usque ad vitæ ſupremum exitum. l. quodſi. ff. de adimendis legatis.*

463 CONCLUSIO III. Donatio *ante* acceptationem non parit ullam obligationem, poteſtque libere revocari, etiamſi quis ſe abſolute obligare voluerit: Donatio mere *verbalis* autem ante actualem traditionem rei non dat jus in re ſed ad rem duntaxat: & donatio *inter vivos* ultra 500. aureos eſt invalida *quoad exceſſum*, niſi accedat inſinuatio apud *Judicem*; ſimulque certis adhuc caſibus exceptis. *Rurſum communis.*

464 Prob. 1. pars: Nullus contractus eſt validus ſine acceptatione, ex dictis *n. 445.* adeoque nec donatio: ergo non parit obligationem.

nem. Enimvero licet aliquis poſſit ſua ſolius voluntate *dimittere* dominium rei ſuæ, habendo pro derelicta; tamen ſua ſolius voluntate facere non poteſt alterum *dominum* rei ſuæ: cum ad *acquirendum* dominium requiratur in altero *acceptatio* legis ſibi faventis contra alios: conſequenter poteſt libere revocari.

Prob. 2. pars: Ex *l. traditionibus. cod. de pactis.* ubi dicitur: *traditionibus* & uſucapionibus *dominia* rerum, non nudis pactis, *acquiruntur*; ergo donatio verbalis non dat jus *in re* ſed tantum ad rem. Unde ſi equus tibi donatus ante traditionem *vendatur* alteri & ſimul *tradatur*, tibi nil manet niſi actio perſonalis. 465

Prob. 3. pars: Ita ſtatutum eſt *in l. penult. de donationibus. & alibi*, valde rationabiliter: nempe ut obvietur fraudibus nonnullorum: ſimulque cives cæteroquin locupletes, per *exceſſivas* donationes, temere factas, ad paupertatem redigantur: ergo donatio ultra 500. aureos eſt invalida &c. 466

Objicies 1. cont. 1. concl. Religioſi ſæpe faciunt donationes (: d. a. nomine *ſuo* n. nomine & cum licentia *Monaſterii* c. :) atqui hi non poſſunt transferre dominium; ergo donatio male definitur, quod ſit translatio dominii. 467

Ob. 2. Si alteri quid do *gratitudinis* ergo, eſt donatio (: *ſtricte* dicta n. minus rigoroſe c. quia non fit ex *pura* liberalitate: unde in *probi-* 468

bitione donationum non comprehenduntur donationes *remuneratoriæ* niſi aliud ex fine legis colligatur :) atqui hæc non fit per actum mere liberalem ; ergo. *Vid.* P. Mezger *a. 2. num. 1.*

469 Ob. 3. cont. 3. concl. part. 1. Si donatio fiat præſenti & *tacenti*, valet, obligatque: atqui talis donatio *non* eſt *acceptata* (: *explicite* c. implicite n. Nam in favorabilibus, qui *tacet conſentire videtur*, juxta regulam 43. *juris in 6.* Poteſt autem acceptare pater vel mater pro filio; tutor pro pupillo; monachus pro Monaſterio &c. :) Reiffenſt. *n. 20.*

470 Ob. 4. cont. 3. part. Donatio in *quacunque* quantitate etiam ſine inſinuatione apud Judicem valet 1. Si fiat ad cauſas *pias*; modo non ſit *inofficioſa*, id eſt talis, quæ liberis legitimam à jure naturæ debitam adimat. 2. Si fiat à principe vel principi à privato. 3. Si fiat *militibus* à Belli ducibus ex *propriis* bonis *mobilibus*, vel hoſtium ſpoliis 4. Si fiat ob *cauſam*, puta ad militiam, nuptias, ad ædium reparationes, remunerationem &c. prout habetur *l. ſancimus.* & *l. ſi quis pro redemptione. cod. de donat.* ergo non omnis donatio inter vivos eſt invalida (: c. totum; nam in concluſione addidimus ſtudio, *certis caſibus exceptis* : per *hos* intelleximus mox *adductos* :)

471 Quæres 1. Quis donare poſſit? quid? & quando donatio revocetur? ℞. ad 1. Donare poteſt, quisquis rerum dominium & liberam adminiſtrationem habet, nec ſpecialiter prohibe-

hibetur. Ratio eſt: quia ſuæ quisque rei moderator atque arbiter eſt. *l. 21. cod. mandati.* ℞. Ad 2. Donari poteſt *qualibet* res propria, in commercio humano exiſtens. Si tamen res *aliena* donaretur, valeret quidem donatio in tantum, ut transferatur conditio *uſucapiendi* ſeu illam præſcribendi, non ut dominium *transferatur* immediate per traditionem.

℞. Ad 3. Etſi donatio inter vivos tam verbalis quam realis per ſe revocari nequeat. *l. ult. cod. de revocat. donat.* excipiuntur tamen tres caſus. 1. Si donatio ſit inofficioſa liberis, ita ut hi non amplius habeant legitimam. *l. 1. 2. 4. 7. cod. de inofficioſ. donat.* 2. Si donanti prius nullos liberos habenti, poſtea naſcatur proles una vel plures ex legitimo matrimonio. *l. 8. cod. C. de revocat. donat.* Quando tamen facta fuiſſet *Eccleſiæ* vel piæ cauſæ vel cum juramento de *non-revocando*, tunc non revocaretur tota ſed ſolum quoad legitimam. 3. Si donatarius incipiat eſſe *ingratus* erga donantem, nempe violentas in donantem manus injiciendo, atroces reales injurias inferendo &c. *Vid.* P. Pichler *l. 3. t. 24. n. 5.* P. Sporer *tr. 6. c. 3. ſ. 3. n. 57.* 472

Quæres 2. Quid ſit *commodatum* formaliter acceptum? Nam *objective* acceptum eſt ipſa res commodata. ℞. Eſt contractus realis, *quo res alicui gratis conceditur ad certum uſum & certum tempus, ea lege, ut finito uſu eadem in ſpecie reſtituatur.* Unde & commodatum requiri- 473

tur 1. Ut res *tradatur*: per quod differt à contractibus *conſenſualibus*. 2. Ut detur ad *uſum*: per quod differt à *mutuo*, in quo inſuper dominium transfertur in mutuatarium: item à *depoſito* (quia in hoc res datur cuſtodiæ cauſa) & à *pignore*, in quo datur ad ſecuritatem crediti, non ad uſum. 3. Ut uſus concedatur *gratis* per quod differt à *locatione*, in qua res conceditur ad uſum pro mercede. 4. Ut detur ad certum uſum & tempus: per quæ differt à *precario*, in quo res datur ad uſum & tempus *indeterminatum*. 5. Ut res ſit talis, quæ finito uſu in ſpecie & *individuo* reddi poſſit; adeoque non debet eſſe fungibilis, quæ ipſo uſu conſumitur, tunc enim potius foret *mutuum* &c. *Vid.* P. Pichler *l. 2. t. 15. n. 2.*

474 Quæres 3. Quid ſit *precarium*? Ubi advertendum eſt, quod precarium poſſit ſumi vel *objective* pro re ipſa, quæ per precarium datur; vel *formaliter*, pro ipſo *contractu* precarii. Idem eſt de commodato & depoſito. Jam de precario formaliter ſumpto, ℞. Eſt contractus, quo alicui ad preces gratis conceditur aliqua res in uſum, ita tamen, ut pro libitu ſemper revocari poſſit. *l. 1. A. de prec.* Unde precarium ferme convenit cum commodato; differunt tamen in aliquibus quæ tum ex hac, tum ex data ante definitione commodati facile colligi poterunt. Interim licet precarium detur ad tempus *indeterminatum*, nihilominus ſine neceſſitate non *ſtatim* revocari debet; ſecus videretur datum illuſo

luſorie, ſicque beneficium præſtitum foret damnoſum. Reiffenſtuel *n. 30.*

Quæres 4. Quid ſit *depoſitum* formaliter acceptum? ℟. Eſt contractus realis, *quo res alicui gratis cuſtodienda* traditur, ea lege, ut eadem in individuo *quandocunque deponenti* libuerit, reſtituatur. *l. 1. ff. depoſiti. c. 2. h. t.* Unde apparet, quomodo differat ab *aliis* contractibus, *mutuo*, *pignore*, *commodato* &c. nec enim *uſus* rei depoſitæ regulariter conceditur: nam ſi conceditur uſus rei fungibilis, in *mutuum*, ſi non fungibilis in *commodatum*, aliquo modo degenerat, & fit depoſitum irregulare; ſi autem merces acciperetur, participaret de locatione. Quare ſi depoſitarius re depoſita *ſine* expreſſa vel rationabiliter præſumpta licentia utatur, aut alienet, peccat, & furtum committere cenſetur. Nihilominus, ſi depoſitarius bona fide exiſtiſtimat, domino id non diſplicere, jam non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur: idque multo magis dicendum, ſi dominus expreſſam utendi *licentiam* dedit. Imo dum depoſitum eſt res uſu conſumptibilis, v. g. *vinum*, *triticum* &c. & depoſitarius certus eſt, quod quando dominus id repetet, aliud *ejusdem bonitatis* habere poſſit, tunc non peccabit ſaltem graviter; utendo, aut alienando illud depoſitum: quia taliter deponenti nullum damnum irrogatur; ideoque non cenſetur eſſe invitus. Leſſius *l. 2. c. 27. num. 1* 475

476 Quæres 5. Ex qua culpa teneatur commodatarius &c. ſi res commodata, depoſita, apud ipſum pereat? ante reſponſionem notandum eſt, culpam aliam eſſe *theologicam* (quæ eſt peccatum) aliam *civilem*, quæ eſt omiſſio diligentiæ: & dividitur in *latam* (quæ eſt omiſſio diligentiæ, quam paſſim homines ejusdem conditionis adhibere ſolent) in *levem* (quæ eſt omiſſio diligentiæ, quam ſolent adhibere homines *diligentiores*) & *leviſſimam*, quæ eſt omiſſio diligentiæ quam ſolent adhibere homines ejusdem profeſſionis *diligentiſſimi*. Differt à *caſu*, quod *hic* ſit inopinatus eventus rei, qui nec à *diligentiſſimo* prævideri & caveri poteſt. Jam

477 ℟. Si res apud commodatarium aut depoſitarium pereat absque culpa *theologica* gravi, in foro conſcientiæ ad nihil tenetur ante ſententiam Judicis. Ratio eſt: quia nemo in contractu qualicunque cenſetur ſe obligare ſub gravi ad diligentiam exactiſſimam, ſed ad *communem* tantummodo: ergo ſi *hanc* adhibeat, nunquam peccat graviter; ſicque non tenetur ſub gravi ad reſtitutionem, niſi expreſſe aliter conventum ſit; aut niſi fuerit in mora reddendi; vel denique caſus fortuitus ſua *culpa* acciderit. *Vid.* P. Reiffenſt. *hic n. 37.* item Theol. noſt. Schol. *Part. 5. à n. 435.* De jure civili tamen ſi contractus cedat in utilitatem ſolius *accipientis* (ut eſt contractus commodati & precarii) tunc parit obligationem reſtituendi ex culpa etiam *le-*

viſ-

viſſima. Si econtra cedat in utilitatem ſolius *dantis*, ut eſt depoſitum, oritur obligatio reſtituendi ex culpa *lata* ſolum. Si denique cedat in utilitatem *utriusque*, prout contingit in pignore, emptione &c. talis obligatio reſtituendi poteſt exurgere ex culpa *levi* & lata. *Vid.* P. Sporer *tr. 4. c. 2. ſ. 6. à n. 240.*

Quæres ult. Quid juris, quando *dubium* exiſtit, an damnum acciderit culpa tua? Item an in communi periculo v. g. incendii potius ſalvanda ſit res *aliena* commodata, aut depoſita, quam res propria? ℞. ad 1. In dubio te non teneri in *conſcientia* ad aliquam reſtitutionem: tum quia in dubio *non* præſumitur delictum: tum etiam, quia in dubio eſt *melior* conditio poſſidentis. ℞. ad 2. Negative: ſi res tuæ ſint æque pretioſæ: imo etiam dum ſunt *viliores*, ſi ex earum amiſſione *notabile* damnum incurreres, nec moraliter certus eſſes de pretio recuperando. Ratio hujus eſt: quia nemo intendit in illis contractibus ſe obligare ad faciendas expenſas in rei *alienæ* conſervationem cum notabili damno *ſuo*, vel probabili ejus periculo. *Vid.* P. Spor. *n. 235.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 182.* P. Reiffenſt. *tr. 8. diſt. 2. q. 1. n. 50.* 478

QUÆSTIO II.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

ARTICULUS I.

An teſtamentum non-privilegiatum in foro conſcientiæ validum ſit, ſi ei deſint ſolemnitates juris civilis?

479 PRænotandum 1. Ultimam voluntatem in genere definiri, quod ſit *libera & gratuita diſpoſitio de bonis in tempus mortis ſeu poſt mortem.* Dicitur *ultima*, non quod ſimpliciter ultima ſit, ſed quod tunc primum fiat *firma* & irrevocabilis, quando per mortem aufertur poteſtas revocandi; nam *ante* mortem quocunque tempore revocari poteſt pro diſponentis arbitrio. Ejus ſpecies ſunt quinque, nempe *teſtamentum*, *codicillus*, *legatum*, *fideicommiſſum*, & *donatio mortis cauſa.* Præcipua ex his eſt teſtamentum (de quo in præſenti articulo; de cæteris autem in ſequenti) quod in *l. 1. ff. de teſtament.* definitur: eſt *juſta voluntatis noſtræ ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult cum directa hæredis inſtitutione.* Seu brevius: eſt *ultima voluntas, qua directe hæres inſtituitur.* In hoc enim tam ſolemne quam minus ſolemne teſtamentum conveniunt; utrumque vero à codicillo differt, quo non fit *directa* hæredis inſtitutio.

480 Prænot. 2. Teſtamentum ſic definitum dividitur 1. In *ſcriptum* ſeu *clauſum* (ſic dictum, quia in eo neceſſe non eſt illius tenorem vel in-

inſtitutum hæredem manifeſtare teſtibus) & in *nuncupativum*, (vulgo, *Ein von mund ausgeſprochenes teſtament*) quod *ſine* ſcriptura & ſubſcriptione fit, oretenus tantum nominato coram teſtibus hærede, ſive deinde Notarius hanc ultimam voluntatem in ſcripturam redigat pro memoria & faciliore probatione, ſive non. 2. Dividitur utrumque in *ſolemne* (quod etiam perfectum dicitur, & eſt, in quo adhibentur omnes ſolemnitates à jure communi præſcriptæ) & in *minus* ſolemne, quod etiam imperfectum & privilegiatum appellatur; quod etſi ſolemnitates à jure præſcriptas vel nullas vel non omnes habeat, ex privilegio tamen, ſive juris favore valet; tale eſt 1. Teſtamentum ad *pias* cauſas. 2. Teſtamentum inter *liberos* factum à parentibus. 3. Teſtamentum *militis* in expeditione bellica. 4. Teſtamentum *ruſtici*. 5. Teſtamentum tempore *peſtis*. 6. Teſtamentum *publicum*, quod fit coram principe, vel *apud* acta, vel *ad* acta reponitur.

Prænot. 3. Ad teſtamentum ſolemne *ſcriptum* ſeu *clauſum* de jure civili requiri ſequentia. 1. Directa *inſtitutio* hæredis. 2. Septem teſtes. 3. Et quidem *legitimi*, hoc eſt tales, qui de jure non prohibentur eſſe teſtes; qualiter prohibentur fœminæ, pupilli, infames &c. 4. Ac *rogati*; ut excludatur omnis ſuſpicio ac ſubornatio. 5. Horum teſtium ſubſcriptio & ſubſignatio. 6. *Unitas* contextus; ut nempe hæc omnia fiant uno 481

eodem-

eodemque *continuato* tempore. 7. Denique, ut teſtes omnes *ſimul* præſentes ſint, ipſumque teſtatorem videant & audiant. Ad teſtamentum *nuncupativum* ferme eædem conditiones requiruntur, quæ ad teſtamentum ſcriptum, dummodo demantur *ſcriptura* teſtamenti, *ſubſcriptio* & ſubſignatio; loco quorum requiritur, ut teſtator *coram* ſeptem teſtibus ſimul præſentibus *nuncupet* ſeu *oretenus* exprimat nomen hæredis, & quid poſt mortem velit fieri de bonis ſuis. Jam dubium eſt, an ſi hæ ſolemnitates non obſerventur, teſtamentum (intellige non privilegiatum & ad cauſas profanas factum) ſit nullum non tantum in foro externo, ſed etiam in interno ſeu conſcientia?

482 CONCLUSIO: Teſtamentum Juris ſolemnitatibus deſtitutum valet in *conſcientia* tamdiu, quamdiu non irritatur & reſcinditur per *ſententiam* Judicis, ſi lis ſuper eo mota fuerit, & ad judicium ſæculare deferatur. *Ita* P. Reiffenſt. Laymann, Pichler, *& alii ab his citati contra æque multos.*

483 Prob. 1. pars: *Tale* teſtamentum, ſpectato jure *naturali*, eſt validum; nec poteſt ſufficienter probari; quod ex jure *poſitivo* ſit irritatum, etiam pro fore *interno*; ſecus ſententia *noſtra* contraria non defenderetur ſecure à tot authoribus: ergo pro *hoc* foro valet. Maxime: quia leges irritantes ſunt odioſæ, adeoque reſtringendæ: conſequenter leges *teſtamentum* irritantes, ſunt reſtringendæ

dæ ad forum *externum*; præſertim, quoniam in ſenſu proprio adhuc intelligi poſſunt, etiam *taliter* reſtrictæ; & inſuper *reipublicæ* ſatis ſit conſultum, ſi judices teneantur tale teſtamentum pronuntiare irritum; ergo.

Confirmatur: Lex *ſimpliciter* irritans actum, & nullam mentionem faciens *de* foro *interno*, non hoc ipſo irritat pro foro interno v. g. electionem Prælati eccleſiaſtici, alienationem rerum eccleſiaſticarum, ſine ſolemnitatibus Juris factam: veluti probat P. Pichler. *l. 1. t. 2. n. 33.* ergo nec lex irritans teſtamentum imperfectum ſtatim etiam pro foro interno irritat. Unde infertur, quod hæres in teſtamento *minus ſolemni* inſtitutus poſſit rem ſibi relictam juſte *retinere*, donec ab ipſo per ſententiam Judicis repetatur. Reiff. *n. 16.* 484

Prob. 2. pars: Quando Judex irritat & reſcindit tale teſtamentum, tunc id facit *juſte* et ſecundum leges quæ ſaltem volunt, quod ſit *reſcindibile* & annullabile; ergo *poſt ſententiam* eſt quoque nullum in *conſcientia*; nam lex juſta in foro *externo* eſt quoque juſta in foro *interno*, niſi fundetur in *falſa* præſumptione. 485

Confirmatur utraque pars: Hæc noſtra ſententia conciliat *textus* & authoritates in præſenti quoad apparentiam *repugnantes*: ergo eſt cæteris melior. a. p. In hac ſententia, textus, dicentes teſtamentum tale eſſe *validum*, exſplicari poſſunt de teſtamento *ante* ſententiam reſciſſoriam: dicentes autem, eſſe *invalidum*, loqui de teſtamento *poſt* ſententiam reſciſſoriam; ergo. 486

Obji-

487 Objicies 1. cont. 1. part. Jus Civile omnia *dicta* teſtamenta annullat (: R. d. a. pro foro *externo* c. etiam interno ſubd. *ante* ſententiam reſciſſoriam n. *poſt* c. :) & quidem etiam pro foro *interno* & *ante* ſententiam reſciſſoriam (: d. aliter : ubi teſtamentum eſt imperfectum ex parte *actus* & *voluntatis*, quod nempe teſtator non perfecit, præventus morte vel aliter impeditus c. nam in tali caſu ſolummodo datur *propoſitum* teſtandi, non ipſum teſtamentum : ubi eſt imperfectum ex parte ſolemnitatum duntaxat, n. :) ergo.

488 Ob. 2. urg. Jus ipſam *voluntatem* teſtandi reddit *inefficacem* (: in foro *externo* c. in *interno* n. :) dicit enim *l. hac conſultiſſima. 21. §. 1. cod. h. t. ex IMPERFECTO teſtamento VOLUNTATEM defuncti tenere non volumus :* ergo tale teſtamentum nec in foro interno valet. c. p. Quia Jus canonicum voluntatem *Religioſi* reddit *inefficacem* quoad diſpoſitionem circa res temporales, ideo omnis *ejus* diſpoſitio eſt nulla, etiam in foro interno: ergo pariter (: n. c. & c. Quia jus canonicum Religioſo adimit *dominium* : non item teſtatori Jus civile :)

489 Ob. 3. inſiſt. Non-voluntas nullam omnino producit obligationem; atqui *voluntas* abſolute *irritata* eſt non-voluntas (: pro foro *externo* c. eſt non-voluntas etiam pro foro *interno*, ſi lex id non exprimat ſaltem virtualiter, n. :) ergo, Præterea: lex juſta pro foro *externo* eſt etiam juſta pro *foro* interno (: id eſt, obligat in

in foro interno ſaltem ad *aliquid*, nempe ad id, ad quod legislator intendit obligare vid. pro foro *externo* c. obligat in foro interno etiam *pro* foro interno n. :) ut habet commune axioma : ergo lex de teſtamentis juſta in foro externo, eſt etiam juſta in foro interno.

Ob. 4. inſt. Nihil intereſt in *effectu*, an 490
teſtamentum dicatur *valere*, vel *non* valere in foro interno (: n. hoc; nam ſi non valeret, non poſſent hæredes vel legatarii quidpiam accipere, aut retinere ex imperfecto teſtamento : quod tamen poſſunt in *noſtra* ſententia :) *Vid.* P. Pichler *l. 3. t. 26. n. 30.*

Ob. ult. Si talia teſtamenta eſſent valida 491
in foro conſcientiæ, tunc Judices inique agerent ea *reſcindendo* & annullando (: ſi eſſent valida abſolute & *efficaciter* c. ſi tantum conditionate & *inefficaciter*, nempe uſque dum per ſententiam annullentur n. :) *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 8. diſt. 3. q. 3. n. 18.*

Quæres 1. Quid juris ſi de teſtamentis 492
privilegiatis, ſupra *n. 480.* enarratis, & quidem in primis de teſtamento ad *cauſas pias* facto? hoc eſt, in quo inſtituitur pro hærede vel locus *pius*, ut Eccleſia, monaſterium, hoſpitale &c. vel *pauperes*, etiam conſanguinei *non qua* conſanguinei ſed ex motu miſericordiæ &c. vel aliqua *communitas* aut perſona, aut locus ex *motivo* ſpectante ad *Dei* cultum vel animarum ſalutem.

493 ℞. Ut teſtamentum ad *pias* cauſas ſit validum in foro tum interno tum externo, non requiruntur neceſſario *ſeptem* teſtes, aut aliæ ſolemnitates Juris Civilis, ſed *ſufficiunt* ea, quæ ſunt de jure *naturæ* & gentium: nimirum ut ſit *poteſtas* in diſponente, *capacitas* in eo, in cujus favorem diſponitur, & *libertas* in diſpoſitione, ſimulque adſint duo *teſtes*. Ita expreſſe deciſum eſt in jure canonico c. *relatum 11. de teſtament.* Unde cum hæc materia ſit *ſpiritualis*, tenendum eſt jus canonicum in utroque foro, vid. tam eccleſiaſtico quam civili; prout etiam tenetur in praxi: & optime; non enim bonum animæ debet impediri per humanæ legis ſubtilitatem. Imo tale *teſtamentum* adhuc valet, etiamſi duo teſtes non fuiſſent adhibiti, dummodo *ſufficienter* aliunde conſtet de mente teſtatoris: quia quoad *hoc* non procedunt leges civiles, ob defectum jurisdictionis: à Jure canonico autem nullibi irritatur; ergo valet; quemadmodum etiam valet teſtamentum inter *liberos* absque alio teſte. *l. hac conſultiſſima §. ex imperfecto. cod. de teſtament.* Hinc ſi hæredi conſtat certo, voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut aliquid in cauſas pias expendatur, ad id obligatus eſt, etſi in foro externo id probari nequeat.

494 Quæres 2. Utrum, ſi moriturus *cœpit* facere teſtamentum, vel codicillum, & morte præventus *non* abſolvit (adeoque quoad alia ſit nullum) tamen *valeat* quoad legata *pia*, quæ in ſua illa imperfecta diſpoſitione jam ex-

pre-

preſſerat? ℟. Quod ſic: quia diſpoſitio Juris civilis quoad legata ad cauſas *pias* non valet, ob defectum jurisdictionis; ut mox dictum: & quia inſuper talia legata ſunt pro *remedio animæ* teſtatoris jam defuncti. Num illa legata pia valeant, & executioni mandanda ſint, quæ parochus vel confeſſarius dicit feciſſe moribundum, producta ſchedula? diſtinguendum eſt. Nam ſi *manus* teſtatoris 495
agnoſcitur, vel duobus *teſtibus* probari poteſt, tunc utique valet, ob rationes adductas *n. 482*. Si autem *ipſemet* parochus annotavit illa legata, nec *alium* teſtem habeat, non creditur illi: quia juxta illud Salvatoris Matth. 18. & Luc. 17. *in ore duorum vel trium* teſtium *ſtat omne verbum*: & *vox unius, vox nullius. arg.* c. *licet. de teſtib.* Quapropter parochi & confeſſarii ſimiles ultimas diſpoſitiones ad cauſas pias nunquam debent ſuſcipere, niſi prius duos teſtes maſculos aut fœminas advocaverint: quamquam etiam unus cum parocho probaliter ſufficiat.

Quæres 3. Quid ſit teſtamentum *inter liberos* quod eſt ſecundum inter privilegiata? 496
& quomodo valeat? ℟. Eſt illud, quod à *patre*, matre, aliove utriusque ſexus aſcendente inter *liberos* conditum eſt. Valet, licet ſit *imperfectum*, & Juris ſolemnitate deſtitutum; dummodo adhuc voluntas teſtatoris ſit ſufficienter declarata *l. hac conſultiſſima*. §. *ex imperfecto cod. de teſtament.* Ratio eſt: quia hic nulla fraus præſumitur; cum liberi alias

ab inteſtato eſſent ſucceſſuri. Nec obeſt, ſi liberis inæquales partes aſſignentur; ſecus enim tale teſtamentum foret fruſtraneum. Si *nuncupativum* ſit ſufficiunt duo teſtes; qualis quoque poteſt eſſe fœmina. Si autem ſit *ſcriptum*, hodie plura requiruntur; quæ videri poterunt apud Canoniſtas, P. Pichler *l. 3. t. 26. n. 15.* Schmalzgrub. *eod. num. 54.* Schmier *n. 106. &c.*

497 Quæres 4. Quid tenendum de tertio teſtamento privilegiato, nempe de teſtamento *militis*? ℞. Teſtamentum *militis*, ducis, & eorum qui caſtra ſequuntur militum cauſa, ut Medici, chirurgi, mercatores &c. ſi fiat in actuali *conflictu*, nullas omnino requirit ſolemnitates. *pr. inſtit. de milit. teſt. l. 1. ff. l. 15. cod. de teſt. milit.* Factum vero in caſtris, ſed *extra* conflictum actualem, duos hodie teſtes deſiderat, *ex receſſ. imper. 1512.* Conditum autem extra *caſtra* & actualem *expeditionem*, puta in hybernis, caſſarmis &c. exigit omnes ſolemnitates Juris communis, *cit. receſſ. imper. & l. 16. cod. de teſt. milit.* Et illud, quod in *actuali* prælio, vel *in* caſtris factum eſt, *poſt* obtentam miſſionem non durat *ultra* annum. *l. 38. ff. eod.*

498 Quæres 5. Quale privilegium habeat teſtamentum *ruſticorum*? & factum tempore peſtis? ℞. ad 1. Teſtamentum ruſticorum valet cum quinque teſtibus rogatis, ſi ſeptem commode haberi nequeant: nec opus eſt, ut teſtes ſubſcribant, vel ſigilla apponant, ſi

ſcri-

ſcribere neſciant, & ſigillis careant. Si tamen unus vel plures ſcribendi forent periti, iſti deberent ſubſcribere, & poſſent ſimul pro aliis imperitis, præſentibus tamen. *l. fin. cod. h. t. receſſ. imper. cit.* Nomine *ruſticorum*, juxta multos veniunt hic etiam alii *ruri degentes*, propter paritatem rationis; imo juxta quosdam, etiam Nobiles ruri degentes: Pichler *cit. l. n. 16.* Teſtamentum tempore *peſtis* factum valet quoque, etſi teſtes *ſeptem* non ſpecialiter *convocati* ad hunc actum, vel ſimul & ſemel præſentes non ſint. *l. 8. cod. h. t.* Imo ſi peſtis ita atrociter ſævit, ut ſeptem teſtes difficillime haberi poſſint, ſufficiunt quinque vel duo, velut conſuetudo & DD. explicant *d. l. 8. Pichl. n. 17.*

Quæres ult. Quid denique ſit de ultimo 499
teſtamento privilegiato, *publico*, ſeu ad *acta publica* repoſito? ℟. etiam hoc valet *absque* omni ſolemnitate; modo ſatis conſtet, vel probetur, quod fuerit factum coram Principe aut *Judice* vel *eidem* & deputatis fuerit oblatum, textus & DD. in *l. 19. cod. h. t.* Ratio eſt: quia authoritas Principis vel *Judicis* ſupplet omnem ſolemnitatem, omnemque fraudis ſuſpicionem amovet. Unde cum hæc ratio teſtandi *facillima* ſit, & ſimul ſecuriſſima, præ cæteris teſtandi modis videtur eligenda. Ut autem hoc rite & ſine erroris periculo fiat, praxin breviſſime docet P. Pichler *l. c. n. 18.* quem in eventu caſus conſulere juvabit.

ARTICULUS II.

Quid ſit codicillus, legatum, fidei-commiſſum & donatio mortis cauſa? quæ ſunt ſpecies ultimæ voluntatis.

500 CONCLUSIO I. *Codicillus* eſt ultima voluntas, minus ſolemnis, *absque* directa inſtitutione hæredis. *Ita quoad rem JCTI omnes.*

501 Explicatur: Codicillus eſt quaſi *imperfectum* teſtamentum; tum quia non requirit ſolemnitates teſtamenti: tum quia in eo directa hæredis *inſtitutio* fieri nequit. Poteſt confici vel *in ſcriptis*, vel etiam *nuncupative* ſeu oretenus: ad ejus tamen valorem (ſi fiat ad cauſas profanas) requiruntur & ſufficiunt *quinque* teſtes ſive maſculi ſive fœminæ: qui etiam ſe ſubſcribere debent, ſi codicillus ſit ſcriptus; quamvis ſigilla apponere non ſit neceſſe. *l. ult. cod. de codicill.* Juvat ad teſtamentum declarandum, demendum, aut addendum, ſalva hæredis inſtitutione. Quin
502 imo, quando teſtamentum habet inſertam *clauſulam codicillarem*, ſi ipſum, ob defectum alicujus ſolemnitatis, non valeret ut teſtamentum, valebit tamen ut codicillus. De quo plurima in Compend. P. Pichler *l. 3. t. 26. n. 20.*

503 CONCLUSIO II. Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præſtanda. Ita habetur §. *1. inſtit. de legat.*

Ex-

Explicatur: Dicitur inprimis, *donatio quædam*, per quod inſinuatur, quod legata reſpiciant rem *particularem* & *certam*. Additur, *à defuncto relicta*; quia legata robur non habent niſi *poſt* mortem legantis. Per to, *ab hærede præſtanda*, innuitur, quod legatarius, ſub pœna amiſſionis, nequeat *propria* authoritate occupare legatum, ſed exſpectare debeat, donec ipſi tradatur ab hærede. *l. 5. cod. de legat.* Hic autem notandum, quod etſi teſtamentum *profanum* ob defectum ſolemnitatum corruat, non tamen corruere *legata pia* ſed valere; idque ob favorem pro *religione*, ſimulque ob remedium *animæ* defuncti. Multo magis legata profana valent, facta in teſtamento *pio*, etſi minus ſolemne ſit: quia *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. Reg. 46. Jur. in 6.* Quæ regula tamen non tenet quoad legata pia, ſi teſtamentum profanum ſit nullum: quia in *acceſſorio*, nempe in legatis piis reperitur *ſpecialis* ratio, quæ *non* reperitur in principali, nempe *favor* religionis & *remedium* animæ defuncti. 504

506

CONCLUSIO III. Fideicommiſſum *formaliter* ſumptum (nam *objective* ſumptum eſt ipſa res fideicommiſſa) eſt ſubſtitutio indirecta, qua hæres teſtamento inſtitutus, vel ab inteſtato veniens, *à defuncto gravatur, ut hæreditatem totam, vel ejus quotam, hoc eſt, mediam, tertiam, vel aliam ſimilem partem, alteri reſtituat ſeu tradat. Ita DD. communiter.* 507

Explicatur: Præter hæredis *inſtitutionem* 508

(de qua infra *n. 512.*) frequenter fiunt *ſubſtitutiones*, ut caſu, quo hæres *inſtitutus* hæres eſſe non vult, vel non poteſt, teſtamentum effectum ſuum habeat in *alio*, quem teſtator hæredi ſubſtituit. Hæc ſubſtitutio, ſi fiat verbis *directis*, ita ut ſubſtitutus conſequatur hæreditatem *immediate* ab ipſo teſtatore ſine alterius miniſterio ſuum jus transmittentis (ut
509 ſi teſtator dicat, *Cajum inſtituo hæredem, ſi vero hæres non erit, Titius ſit hæres meus*) vocatur *directa*. Si autem fiat verbis *indirectis*, ita ut ſubſtitutus conſequatur hæreditatem *mediante* primo inſtituto (ut ſi teſtator dicat: Cajus ſit hæres meus, rogo tamen, ut moriturus hæreditatem meam vel partem ejus relinquat Titio) appellatur ſubſtitutio *indirecta* ſeu fideicommiſſoria; quæ in concluſione fuit definita.

510 CONCLUSIO IV. Donatio *mortis cauſa*, qua quis intuitu *mortis* (cujus expreſſa mentio fieri debet) aliquid revocabiliter donat, habendum irrevocabiliter poſt mortem donantis, & prius non revocantis. *Communis quoad rem ex §. 1. inſtit. de donat.*

Explicatio jam eſt data ſupra *n. 460.* Differt à *legato* (cum quo fere coincidit) per hoc, quod requirat acceptionem donatarii, vivente adhuc donatore: quare, ſi quis donet intuitu mortis, & moriatur *ante* acceptionem donatarii, *legatum* erit, non donatio mortis cauſa. Nunc quia prius in concluſione tertia facta eſt mentio de inſtitutione hæredis,

dis, quæ eſt velut caput ac fundamentum totius teſtamenti; ſiquidem *hoc* (ſi fiat ad cauſas profanas) ſine tali inſtitutione non valeret. *l. proxime ff. de iis, quæ in teſtam. debentur.* Ideo

Quæres 1. Quid & quotuplex ſit *hæres?* ℞. Hæres dicitur, qui ſuccedit in univerſum jus defuncti. Alius eſt *neceſſarius*, alius *non-neceſſarius*. Neceſſarius eſt, quem teſtator in portione *legitima* inſtituere cogitur, niſi juſtam exhæreditandi cauſam habeat. Tales hæredes neceſſarii ſunt *deſcendentes* in linea recta, filii nepotes &c. ex legitimo matrimonio procreati. His autem deficientibus hæredes neceſſarii ſunt *aſcendentes* in linea recta, nempe pater, mater, avus, avia, ita tamen, ut ſi adſint deſcendentes ſeu liberi, nihil de jure debeatur aſcendentibus. *Auth. de hæred. ab inteſt.* §. *1. collat. 9.* Hæredes *non-neceſſarii* ſunt reliqui omnes præter enumeratos; ſive qui teſtatori non ſunt conjuncti in linea recta. Unde *frater* de jure non eſt obligatus, ut pro hærede inſtituat fratrem, vel *ſororem*, minus cæteros conſanguineos aut affines. 511

Quæres 2. Quinam in *hæredes* poſſint inſtitui? ℞. Omnes homines, non tantum ſinguli & privati, ſed etiam communitates, Monaſteria, & collegia *niſi ſpecialiter à jure prohibeantur*: quales nominatim ſunt Franciſcani & Capucini, quibus tamen in teſtamento aliquid relinqui poteſt per modum *legati c. exivit* 512

de verb. ſignif. in 6. Hæredibus *neceſſariis* debet in teſtamento relinqui portio *legitima*, & quidem titulo *honorabili* inſtitutionis vel hæredis, non per modum *legati*, atque *ſine* ullo appoſito onere, v. g. fideicommiſſo &c. ſecus teſtamentum vel foret nullum vel ſaltem reſcindibile per querelam inofficioſi, *c. Raynutius de teſtam.* Porro *legitima* portio deſcendentium eſt *triens* (id eſt tertia pars totius hæreditatis. v. g. 4000. ex relictis 12000.) ſi non ſint plures liberi quam quatuor: *ſemis* autem (ſeu media pars *totius ſubſtantiæ*) ſi ſint plures liberi quam quatuor: quæ pars (triens vel ſemis) æqualiter dividenda eſt inter liberos. Loquendo de *aſcendentibus*, legitima *eorum* ſemper eſt triens ſive tertia pars totius hæreditas, quæ remanet poſt mortem teſtatoris: deductis tamen debitis & expenſis funeris. Quæ omnia tamen tantum vera ſunt, ubi *legitima* danda eſt in bonis *privatis*: nam in Regnis, Ducatibus, & Comitatibus, pleraque ad primogenitum pertinent, aſſignata aliis liberis ſuſtentatione congrua.

513 Quæres 3. Quanta pars hæreditatis debeat remanere hæredi *non-neceſſario*? ℞. Saltem *quarta* pars totius hæreditatis ſeu ſubſtantiæ: alioquin ſi à teſtatore facta fuiſſent tam multa *legata* vel donationes mortis *cauſa*, ut ei non remaneat hæc quarta pars, licebit ei detrahere *falcidiam*, aut ſi gravetur tam magnis multisque *fideicommiſſis*, ut dicta quarta pars non remaneat libera, poterit detrahere tre-

trebellianicam. *l. 1. & ſeqq. ad l. falcid. & tot. ff. ad S. C. Trebell. cum concordantiis.* Per *falcidiam* autem intelligitur *quarta pars* bonorum omnium, quæ aderant tempore mortis teſtatoris, deductis tamen debitis & expenſis funeralibus. Et hanc quartam partem poteſt hæres inſtitutus detrahere & defalcare à ſingulis legatis (ſerva tamen *proportione*) & donationibus mortis cauſa, ſi tam multa legata & donationes ſunt, ut dicta quarta pars eidem non maneat libera, donec compleatur. Idem poteſt fieri, ſi ſint tam multa *fideicommiſſa*; & tunc vocatur *Trebellianica*: nominibus his deſumptis à Falcidio, Tribuno-plebis, & *Trebelliano* Conſule, qui primitus ita ſtatuerunt.

Quæres ult. Utrum ſit *obligatio* aliqua faciendi teſtamentum? ℞. Per *ſe* neminem ad hoc obligari: quamquam *per accidens* ſubinde talis obligatio adeſſe poſſit; ne nempe in defectu teſtamenti magnæ lites aut alia incommoda oriantur. Cæterum quando *nullum* omnino factum eſt teſtamentum, aut illud ex quodam defectu irritum fuit & caſſatum, tunc tali defuncto *ſuccedunt* hæredes, *ab inteſtato*; quorum quatuor ſunt ordines. 1. Eſt *deſcendentium* ſeu liberorum; quod ſi unus ex his *defunctus* ſit, in locum *hujus* ſuccedunt ejus filii, non in capita, ſed in *ſtirpes*. *§. cum filius. inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.* 2. Eſt *aſcendentium* ſeu parentum (cum quibus quoque admittuntur fratres & ſorores duplicis 514

vinculi, hoc eſt, ex eodem patre & matre cum defuncto geniti. *auth. de hæred. ab inteſt. collat. 9.*) & his non amplius viventibus, avorum. 3. *Collateralium*, id eſt fratrum, ſororum; & his deficientibus aliorum conſanguineorum propinquiorum. 4. *Conjugum* inter ſe. Tandem his omnibus deficientibus ſuccedit *fiſcus*, qui tamen potius jure *Regalium* quam hæreditario ſuccedere videtur.

ARTICULUS III.

Quinam teſtari ſeu teſtamentum facere poſſint?

515 PRænot. 1. Certum eſſe, quod teſtari ſeu teſtamentum facere poſſint generaliter omnes, qui *nullo jure* prohibentur. *l. 1. cod. de SS. Eccleſ.* Prohibentur autem aliqui jure *naturali*, aut carentes uſu *rationis*, muti & ſurdi ſimul, *nihil* habentes &c. Alii jure *poſitivo*, ut filii ac filiæ *puberes* quidem, ſed adhuc ſub *patria* poteſtate exiſtentes, niſi habeant bona *caſtrenſia* vel *quaſi* caſtrenſia. Item *impuberes* etiam quoad bona caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia, ſaltem ad cauſas profanas. Inſuper *prodigi* à Judice declarati; rei *criminis* læſæ Majeſtatis, proditionis patriæ, & nonnulli alii, quos paſſim referunt Jcti. Theologis moralibus de Regularibus & *Clericis* ſupereſt quæſtio. Circa quam quoad *hos* poſte-

rio-

riores, utpote ad quos devolvitur potior difficultas,

Prænot. 2. Clericos *libere* teſtari poſſe, 516
etiam ad cauſas *profanas*, de bonis ſuis patrimonialibus, *quaſi* patrimonialibus, induſtrialibus, & parſimonialibus; ob rationes adductas ſupra *n. 318.* De bonis mere *eccleſiaſticis* tamen, etſi ſpectato jure communi non poſſent teſtari vel diſponere *mortis cauſa*, etiam ad cauſas *pias* (bene tamen dum ſunt *in vivis*) nihilominus DD. paſſim admittunt, *conſuetudine* induci poſſe facultatem teſtandi ſaltem ad cauſas *pias*, ſicuti defacto in noſtra Diœceſi Conſtantienſi introducta eſt. Major difficultas eſt, num conſuetudine quoque introduci poſſit, ut clerici de bonis beneficialibus ſuperfluis non tantum ad cauſas pias ſed etiam ad *profanas* valide & *licite* teſtentur? de quo in concluſione ſecunda. Nunc ſit

CONCLUSIO I. Prælati Regulares, 517
aliique Regulares ſolemniter profeſſi, non poſſunt teſtari ſeu condere teſtamentum: bene tamen Novitii. *Ita omnes ex c. quia ingredientibus. 19. q. 3. authent. ingreſſa. cod. de SS. Eccleſ.* c. *ſi qua mulier. 19. q. 3.*

Prob. 1. pars: Regulares, propter *vo-* 518
tum ſolemne *paupertatis*, nihil poſſident *proprium*: ergo non poſſunt condere *teſtamentum*; ſiquidem hoc debeat eſſe circa bona propria.

Prob. 2. pars: Novitii adhuc ſunt *ſui* juris, 519
ac bonorum ſuorum *domini*, poſſuntque pro libi-

libitu in ſæculum egredi; ergo quoque poſſunt teſtari.

520 CONCLUSIO II. Probabiliter poteſt introduci *conſuetudine*, ut Clerici de bonis beneficialibns *ſuperfluis* non tantum ad cauſas pias ſed etiam ad *profanas* valide ac *licite* teſtentur. *Ita* P. Pichler *l. 3. t. 36. n. 27. cum ibi citatis.* Ex quo

521 Prob. 1. Clerici ſunt *domini* redituum *ſuperfluorum*; & ex ſolo præcepto eccleſiaſtico tenentur ſuperfluos erogare in cauſas pias, ex *n. 323.* inſuper factio teſtamenti illis prohibetur jure *eccleſiaſtico* duntaxat: atqui omni præcepto & juri eccleſiaſtico per conſuetudinem rationabilem & legitime præſcriptam derogari poteſt. *c. fin. de conſuet.* ergo.

522 Prob. 2. Quidquid eſt obtinibile per *privilegium* S. Pontificis, illud quoque eſt obtinibile per *conſuetudinem*, ſaltem immemorialem. *c. 26. de verb. ſignif. c. 9. de offic. ord. in 6.* atqui per privilegium S. Pontificis obtineri poteſt poteſtas valide & *licite teſtandi* de *ſuperfluis* ad cauſas tam pias quam *profanas*; & de facto tale privilegium Clericis in diſtrictu Romano conceſſum eſt à Sixto IV. in conſtit. *Etſi univerſis.* à Julio III. in conſtit. *cupientes.* à Paulo V. in conſtit. *in eminenti.* & ab Innocent. XII. anno 1691. ſimile privilegium datum eſt Jodoco Edmundo, Epiſcopo Hildeſienſi; ergo.

523 Prob. 3. Ab *actu* ad *potentiam* eſt bona argumentatio atqui *actu* talem conſuetudinem

in

in variis Diœceſibus vicinis vigere conſpicimus, eamque jam pridem in noſtra Diœceſi Conſtantienſi viguiſſe ſupponunt Conſtitutiones Synodales hujus Diœceſis; quamquam moneant, ut in ſuis *teſtamentis PIARUM CAUSARUM rationem* habeant. Nec hujusmodi conſuetudini reclamant Epiſcopi aut S. Pontifex; quod tamen facere tenerentur, ſi eſſet illegitima aut contra jus naturale vel Divinum; ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Illi, qui in Societate JEſu, finito biennio probationis, emiſerunt vota ſubſtantialia ſimplicia, utique ſunt *veri Religioſi* (: R. d. M. ſolemniter profeſſi n. ſimpliciter c. :) atqui, hi poſſunt valide & licite teſtari, accedente licentia ſuorum Superiorum, ex Bulla Gregor. XIII. *aſcendente.* ergo Regulares etiam profeſſi (: vota *ſimplicia* c. *ſolemnia*, de quibus tantum loquitur concluſio n. :) poſſunt teſtari. *Vid. noſt.* Theol. Scholaſt. *in Part. V. n. 199.* 524

Ob. 2. urg. Religioſi ſolemniter profeſſi ſubinde obtinent à S. Pontifice licentiam teſtandi ſi obtineant *extra* clauſtrum Beneficium eccleſiaſticum præſertim *Epiſcopatum* vel *Cardinalatum*: ergo etiam *ſolemniter* profeſſi poſſunt *teſtari* (: *improprie* & quidem ex *ſpeciali* conceſſione c. *proprie* ſubd. in ſenſu compoſito *quà Religioſi* n. quia *ſic* ſunt incapaces domini: in ſenſu *diviſo* c. :) 525

Ob. 3. inſt. Religioſi Ordinum *militarium* ſolemniter profeſſi paſſim teſtantur (: *ex ſpeciali* 526

ciali conceſſione t. ſecus n. :) ergo & teſtari poterunt Religioſi *aliorum* Ordinum (: n. c. Quia *hi* ſtrictiorem paupertatem profeſſi ſunt :)

527 Inſiſtes: Religioſus cum licentia Prælati poteſt facere donationem *mortis cauſa* (: in re *parva*, quam poſſet *donare* in vivis c. ſecus n. :) ergo etiam teſtari (: n. c. & c. Quia teſtamentum ſupponit dominium *immediatum* :)

528 Ob. 4. cont. 2. part. Nullum teſtamentum Novitii valet, niſi fiat intra *duos* menſes *proximos* ante profeſſionem : ergo ſecunda pars non eſt vera univerſaliter. a. p. Concilium *Trident. ſ. 25. c. 16. de regular.* ſtatuit ita: *nulla quoque renuntiatio aut OBLIGATIO ante facta etiam cum juramento vel in favorem cujuscunque cauſæ piæ valeat, NISI cum licentia Epiſcopi vel ejus Vicarii fiat INTRA DUOS MENSES PROXIMOS ante profeſſionem &c. aliter vero factæ, ſit irrita & nullius effectus*: ergo teſtamentum prius factum non valet (: n. c. Nam ex declaratione Cardinalium ſub hoc decreto Tridentini non comprehenduntur *teſtamenta*, codicilli & donationes *mortis cauſa*; unde valent, quocunque tempore fiant, etiam ante ingreſſum Novitii in Religionem. Ratio eſt: quia Tridentinum tantummodo voluit prohibere eas renuntiationes & obligationes, per quas Novitii *depauperantur*, ita ut poſtea *egeſtate* compulſi, cogantur *profiteri* inviti: hoc autem non contingit in teſtamen-

tis & aliis *ultimis* voluntatibus, cum adhuc *ante* profeſſionem *ſemper* libere revocari queant:) *Vid.* P. Mezger *tr. 13. d. 46. a. 1. §. 3. n. 12.* Salmant. *tr. 14. c. 3. punct. 5. num. 40. &c.*

Ob. 5. cont. 2. concl. Conſuetudo, ut Clerici teſtentur de bonis Beneficialibus ſuperfluis *etiam* ad cauſas profanas, non poteſt eſſe *rationabilis* (: n. hoc; nam rationabilis vel *unde* redditur, quod per facultatem libere teſtandi *refrænetur* Clericorum *luxus*, pompa, prodigalitas: item quod inde alliciantur *viri nobiles* aut aliis dotibus *inſignes*, ad amplectendum ſtatum eccleſiaſticum, ſi ſciant, ſe ſuis quos amant ex reditibus eccleſiaſticis aliquid poſſe *poſt* mortem relinquere, &c. :) ergo nunquam poteſt efficere, ut Clerici id valide & *licite* faciant. 529

Ob. ult. Adhuc varias authoritates, & etiam rationes, quas congerunt adverſarii, quæque ceu *inſolubiles* videri poterun apud P. Schmier, Engel, Pirrhing, Reiffenſtuel &c. ergo hæc ſententia *non* eſt tuta (: n. c. Quippe authoritates & rationes pleræque fundantur in erronea doctrina, quod Clerici non ſint domini redituum ſuperfluorum; vel ſaltem eos teneantur jure *naturali* vel *Divino* in pias cauſas expendere: quorum utrumque tamen negavimus ſupra *n. 322. & n. 325.* cum citato P. Pichler, qui more ſolito ſolide & cordate fere in terminis hanc ſententiam defendit. 530

DISPU-

DISPUTATIO II.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

POſt contractus *gratuitos* & teſtamenta reſtat agendum de contractibus *oneroſis*, qui magis proprie contractus ſunt; utpote *reciprocam* hinc inde obligationem inducentes. In Quæſtione prima itaque agemus de mutuo, uſura, aliiſque contractibus huc reducibilibus. In ſecunda de emptione, venditione, ludo, & ſponſionibus.

QUÆSTIO I.

DE MUTUO ET USURA, ALIISQUE CONTRACTIBUS HUC PERTINENTIBUS.

ARTICULUS I.

Quo jure uſura ſit prohibita? & num licita fieri poſſit per ſtatutum loci aut conſuetudinem?

531 PRænotandum 1. *Multum* ſic dictum eſſe, quaſi ex *meo tuum*. Formaliter & pro contractu ſumptum definitur: eſt contra-

tractus, *quo dominium rei fungibilis* (id eſt, pecuniæ, frumenti &c.) *in accipientem transfertur ea conditione, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis, poſt aliquod tempus reſtituatur*: prout colligitur ex *l. mutuum. ff. ſi certum petatur.* In mutuo itaque transfertur rei datæ dominium in mutuatarium; unde ſi res mutuata pereat quocunque caſu aut infortunio, perit mutuatario: quia quælibet res perit ſuo domino. Poſſunt autem mutuum dare & accipere omnes illi, qui poſſunt *contrahere*; ſi quidem hoc tanquam *genus* ſub ſe contineat *omnes* contractus, conſequenter quoque *mutuum.* Monaſterium, Eccleſia, civitas, & communitas quæcunque ex *mutuo* (*quod* eorum rectores vel adminiſtratores ſuſceperunt) tunc ſolum obligantur, ſi creditor (in quem onus *probandi* rejicitur) oſtenderit, pecuniam fuiſſe in communitatis illius *utilitatem* converſam; alias enim ſoli *adminiſtratores* conveniri poterunt, non vero ipſa communitas. *l. civitas. ff. ſi certum petatur c. 1. de ſolutionibus.* Filiusfamilias vi Senatus-conſulti *Macedoniani*, ſi ſine conſenſu parentum mutuas accepit *pecunias*, neque ipſe, neque parentes in conſcientia tenentur quidquam ſolvere: niſi talis filius habeat bona *caſtrenſia*; vel *publice* putatus fuerit ſui juris, vel mutuo accepit *alias* res quam *pecunias*, vel has converterit in commodum parentum, aut hi ſoliti fuerint *aliàs* ſolvere; vel pater *illas*, ſecundum rectam rationem 532

debuiſſet alioquin ſuppeditare ; vel denique filius *juraverit* ſe ſoluturum. *Vid.* Reiffenſt. *tr. 8. diſt. 4. q. 1. per tot.*

533 Prænot. 2. Quia in mutuo nidulari conſuevit *uſura*, ideo hanc illi recte ſubjungi. Definitur uſura proprie & objective ſumpta: eſt *lucrum immediate ex mutuo proveniens*. Formaliter accepta pro *contractu* uſurario eſt *mutuatio* cum pacto expreſſo vel implicito recipiendi *aliquid* ſupra ſortem ratione mutui. Ubi nomine *lucri* intelligitur *qualibet res* pretio æſtimabilis, *immediate* (id eſt, *vi pacti* mutuationis) proveniens & exacta tanquam ex *juſtitia* debita. Nam ſi mutuatarius *ſponte* aliquid tribuat, vel aliquid exigatur ratione *locationis*, *conductionis* &c. uſura non committitur; quia tale lucrum non provenit ex mutuo. Dividitur autem uſura recte in *expreſſam* (quando *expreſſe* exigitur pretium pro *mutuo*) & *tacitam* ſeu palliatam, aut virtualem, quando pretium pro ſolo mutuo exigitur *tacite*, nempe ſub *pallio alterius* contractus, venditionis v. g. ut ſi mercator ob ſolam dilationem ſolutionis (ſecus ſi ratione *lucri* ceſſantis vel *damni* emergentis) mer-
534 ces multo carius vendat &c. *Uſura* itaque *proprie* ſumpta eſt, ubi *alius* titulus ſeu juſta cauſa aliquid ultra ſortem accipiendi præter mutuum non intervenit; & communiter vocatur *uſura lucratoria*. Quippe ſi alius titulus adſit, v. g. *damnum* emergens, *lucrum* ceſſans reſpectu mutuantis &c. tunc foret

uſura

uſura *compenſatoria*, & non tam lucrum quam *intereſſe* ſeu quod *intereſt* dicendum eſſet, *quod* exigitur & accipitur à mutuatario: item ſi mutuans paciſcatur cum mutuatario, ut ſi intra *certum* tempus non reddat mutuum, propter *moram* quaſi in pœnam aliquid ſolvat ultra ſortem, uſura *punitoria* vel *moratoria* dicitur: demum ſi ex alio juſto titutlo, v. g. ex mera *liberalitate* mutuatarii, vel ratione *ſtatuti* aut *conſuetudinis* aliquid ultra ſortem accipiatur, non datur uſura proprie & ſtricte dicta ſeu *mere* lucratoria ex mutuo; ut ſtatim amplius videbimus. Itaque

Prænot. 3. Certum eſſe, quod uſuræ *compenſatoriæ* omni jure ſint licitæ: quia æquitas naturalis dictat, quod mutuatarius teneatur mutuantem ceu benefactorem ſuum ſervare indemnem, & compenſare ipſi *damnum*, quod mutuans incurrit, vel merito *timet* ex mutuo dato, v. g. ſi mutuum det frumentum, & ideo poſtmodum ipſemet cogatur majori pretio emere &c. ergo. Similiter uſuræ punitoriæ ſeu *moratoriæ* etiam licitæ ſunt: quia exactio auctarii tanquam *pœnæ* propter moram in ſolvendo non eſt ullo jure prohibita; imo ſatis aperte conceſſa, eoquod ſerviat ad firmandos contractus, eosque certius executioni mandandos. *l. 14. cod. de pact. c. 4. de arbit.* Juſti itaque tituli aliquid ultra ſortem principalem exigendi & accipiendi, ſunt 1. *Damnum* emergens. 2. *Lucrum* ceſſans. 3. *Periculum* ſortis *amittendæ*, ſi nimirum mutua- 535 536

P 2 tarius

tarius ſit pauper, parum fidus &c. nec mutuanti ſatis caveat per pignora, fidejuſſores, de recuperanda ſorte. 4. *Aſſecuratio* ſortis, ſi nempe mutuans ſuſcipiat in ſe *periculum* ſortis forſan perituræ, *quod* alias foret penes mutuatarium. 5. *Mora* culpabilis mutuatarii, ut dictum. 6. Denique ſtatutum aut conſuetudo loci; prout oſtendemus in concluſione ſecunda. Nunc ſit

537 CONCLUSIO I. Uſura *lucratoria* non tantum jure humano eccleſiaſtico: ſed etiam Divino: quin & jure naturali eſt illicita & prohibita. *Ita unanimis catholicorum DD.*

538 Prob. 1. pars: Jus Canonicum non ſolum uſuras ſub graviſſimis pœnis prohibet, ſed etiam expreſſe dicit, quod uſurarum *crimen* utriusque *teſtamenti* pagina deteſtetur. c. *ſuper eo. de uſur.* Quinimo, pertinaciter aſſerens, exercere uſuras non eſſe peccatum, velut hæreticus eſt puniendus. *Clem. un. de uſur.* ergo eſt illicita & prohibita *jure eccleſiaſtico.*

539 Prob. 2. pars: In S. Scriptura clare præcipitur: *ne accipias uſuras ab eo, nec amplius quam dediſti.* Levit 25. & infra: *pecuniam tuam non dabis eis ad uſuram. Non fænerabis fratri tuo. Deut. 23. Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes, Luc. 6.* ubi *præceptum* nihil ſupra ſortem accipiendi agnoſcit Urbanus III. *in* c. *conſuluit de uſur.* ergo quoque ſunt illicitæ jure *Divino.*

Prob. 3.

Prob. 3. pars: Jus *naturale* prohibet capere lucrum ex re *aliena* & non amplius ſua; præſertim ſi non adſit ullus *juſtus* titulus: atqui res mutuo data *non* amplius eſt mutuantis; ſiquidem per traditionem in contractu mutui tranſierit in dominium *mutuatarii*; nec adeſt ullus juſtus titulus inde lucrum recipiendi: ergo etiam jure *naturali* uſura eſt illicita & prohibita. 540

CONCLUSIO II. Uſura *lucratoria moderata* probabilius fit licita per *ſtatutum* loci vel *conſuedutinem*; adeoque ſtatutum vel conſuetudo ſunt *juſtus* titulus accipiendi aliquid ſupra ſortem principalem ſeu ſummam capitalem mutuatam. Ita contra communiorem P. Pichler *l. 5. t. 19. n. 4. cum ibi citatis DD. Tanner, Haunold. Böckhn. &c.* 541

Prob. 1. Reſpublica habet dominium *altum* in bona ſubditorum, vi *cujus* poteſt dominium unius *transferre* in alium; ut patet in præſcriptione: ergo etiam vi hujus dominii alti poteſt *moderatas* uſuras ex mutuo concedere mutuanti, ſi ita exigat neceſſitas vel utilitas publica. Suppoſ. ç. p. Id exigit 1. Evitatio *litium*, quæ alioquin emergerent circa titulum exigendi uſuras, nempe an mutuans patiatur damnum emergens, *lucrum* ceſſans, aut ſortis *periculum* &c. 2. *Facilitas* obtinendi *mutuum*, Reipublicæ membris valde utilis, imo ſæpe neceſſaria &c. 3. Tranquilitas conſcientiæ, & evitatio ſcrupulorum. 4. Demum ſubſidium Eccleſiis, locis piis, 542

Ordinibus religioſis, viduis, pupillis & aliis perſonis obveniens, quæ per *ſe ipſas* negotiando *difficulter* vel omnino non ſe poſſent ſuſtentare, niſi ipſis liceret ex pecuniis mutuo datis lucrum & ſuſtentationem quærere; ergo.

543 Prob. 2 Receſſus Imperii de anno 1530. 1548. 1577. 1600. *indiſtincte* approbant uſuras *moderatas* ex mutuo, nempe quinque pro 100. ſtatuta Auſtriaca autem *ſex* pro centum: idque receptum eſt univerſali praxi & conſuetudine etiam virorum doctorum, Deumque timentium tam eccleſiaſticorum quam laicorum, ita ut in Judiciis nullo *alio*, præter mutuum, titulo petantur & adjudicentur dictæ uſuræ, atqui hæc ſtatuta, iisque conſona praxis tam univerſalis hominum quoque timoratorum non poteſt argui vel injuſta, aut juri naturali contraria; ergo debet dici licita. Præſertim: quia *taliter* non amplius eſt uſura *ſtricte* lucratoria; eo ipſo quod accipiatur ex *juſto* titulo.

544 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Per uſuras nemini infertur *injuria*: ergo jure eccleſiaſtico non ſunt prohibitæ. a. p. Uſuræ ſolvuntur à mutuatario *conſentiente* (: ℞. d. a. ſponte & *libere* n. *coacto* tum præſente neceſſitate ſua, tum avaritia mutuantis; mutuum non dantis niſi ſub uſura c. :) ergo ei non fit injuria. Deinde: in mutuo pecunia mutuata cedit in commodum ſolius *mutuatarii*: ergo æquum eſt, ut viciſſim *mutuans* recipiat commodum (: n. c. Alioquin poſſes

rem

rem vendere majori pretio quam ſit ſummum, ſi emptori allatura eſſet utilitatem :)

Ob. 2. In omni contractu licitum eſt apponere conditiones (: *juſtas* c. quaſcunque etiam *inique* prementes n. Sic in venditione non poteſt apponi conditio, ut venditor rem vendat *infra* juſtum pretium infimum :) ergo etiam in mutuo licebit apponere conditionem de ſolvendo *auctario* ultra ſortem. Præſertim: quia pecunia *numerata* eſt pretioſior quam *numeranda* (: *ſecundum ſe* præciſe n. quatenus pecunia præſens eſt *utilis* ad negotiandum c. Nam pecunia numerata ceu præſens non eſt *utilis* mutuanti quamdiu domi *otioſa* manet, & actu in uſum mutuanti proficuum non expenditur; conſequenter *pretioſior* dici non poteſt quam pecunia numeranda, tanquam futura; ut ſonat propoſitio 41. ab Innoc. XI. damnata :) ergo. 545

Ob. 3. cont. 2. part. Deus olim Judæis conceſſit uſuras exercere ſaltem erga *alienigenas* (: *permiſſive*, ad evitandum *gravius* malum, nempe uſuras cum fratribus, ad quas erant nimium proclives c. conceſſit tanquam *licitas* n. Vel dici poteſt, quod Deus dederit Judæis *dominium* in bona Ægyptiorum, aliorumque gentilium, utpote *hoſtium* ſuorum; conſequentur accipiendo quid ratione mutui non commiſerunt uſuram, quia acceperunt ſuum: ſicut non commiſerunt furtum, ſpoliando Ægyptum :) dum dixit: *non fænerabis fratri tuo ad uſuram, ſed alieno. Deut. 23.* ergo non ſunt prohibitæ jure Divino. 546

547 Inſtabis: Chriſtus ipſe *Luc. 19.* reprehendit pigrum ſervum, quod pecuniam ſuam non dederit nummulariis, hac addita cauſa: *ego veniens cum uſuris exegiſſem illam*: ergo jure Divino non eſt prohibita (: ſi ſumatur *myſtice* pro augmento bonorum ſpiritualium, ut ibi ſumitur, c. ſi *proprie* n. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 5. t. 19. n. 10.*:)

548 Ob. 4. cont. 3. part. Jure naturæ licitum eſt aliquid exigere pro *labore* & opera mea: ergo & pro *pecunia* mea (: n. c. Quia labor *fructificare* poteſt: non item pecunia, quæ ex ſe omnino ſterilis eſt:) Adhæc: poſſum aliquid exigere pro conceſſo uſu *vaſorum* argenteorum v. g. ergo etiam pro uſu nummorum (: n. c. & parit. Nam ego maneo *dominus* vaſorum *commodatorum*, non item nummorum *mutuatorum*: ſiquidem horum dominium tranſit ad mutuatarium; ergo & fructificatio; cum quælibet res *domino* ſuo fructificet:)

549 Urgebis: in noſtra ſententia, *n. 541.* vi conſuetudinis vel *ſtatuti* licitum eſt accipere quinque *vel* *ſex* pro centum mutuo datis, quos vocant *cenſus germanicos*: ergo uſuræ non ſunt prohibitæ jure *naturali* (: abſoluto c. *conditionato* ſeu ſub conditione, niſi legislator humanus faciat *ſtatutum* contrarium vel approbet *conſuetudinem* uſuras permittentem, n.:) c. p. Conſuetudo vel ſtatutum nil valet contra jus *naturale* (: abſolutum c. conditionatum ſeu *permiſſivum* n. Sic teſtamentum *ſine* ſolemnitatibus jure *naturali* valet, & tamen jure

jure poſitivo reſcinditur: ſic venatio eſt juris naturalis, & tamen à Legibus prohibetur &c.:) ergo. Sed contra hoc cum cit. P. Schmalzgrueber. *num. 12.*

Ob. 5. cont. 2. concl. In Jure canonico 550
Clement. un. de uſur. reprobantur ſub pœna excommunicationis omnia *ſtatuta* & decreta uſurarum exercitio faventia; & qui in tantum errorem inciderint, ut eas licite exerceri poſſe exiſtiment tanquam *hæretici* dicuntur eſſe puniendi: ergo ſicut Principibus *ſæcularibus* circa materiam *hæreſis* nulla eſt poteſtas, ita neque circa uſuras (: *exceſſivas*, mordentes, & legi charitatis adverſas c. circa uſuras *moderatas*, & conducentes ad utilitatem boni publici n. Nam Eccleſia nec vult, nec poteſt, dominium *altum*, Reipublicæ ab ipſo DEO conceſſum, invertere. Proin cum hæreſi nequeunt comparari dictæ uſuræ *moderatæ*, ex cauſa boni publici permiſſæ :)

Inſiſtes: In *c. ſuper eo 4. de uſur.* negatur 551
poteſtas diſpenſandi ad uſuras accipiendas, ex ratione; quia *utriusque teſtamenti* pagina *eas deteſtatur*, & quia magis ſunt prohibitæ quam *mentiri* pro conſervanda alterius vita: ergo ſicut *mendacium*, etiam ex bono fine, reddi non poteſt *licitum* per ullum ſtatutum aut conſuetudinem, ita nec uſuræ (: n. c. Etenim aliud eſt *diſpenſare* ex cauſa *privata*, & aliud *permittere* aliquid per legem ex cauſa *publica*: per diſpenſationem nec Pontifex poteſt uſuras facere licitas; bene tamen Princeps

quilibet per legem in ſuo territorio: reflecte te ad legem præſcriptionis. *Mendacium* eſt prohibitum jure naturali *abſoluto* ; ergo non eſt paritas cum uſura, quæ tantum prohibita eſt jure naturali conditionato; adeoque ob bonum publicum permitti poteſt vi dominii *alii* :)

552 Ob. ult. Principes nequeunt immutare *naturas rerum*, & res ex natura ſua *infructiferas* reddere fructiferas: atqui *pecunia* mutuo data ex natura ſua eſt *ſterilis* & infructifera (in ſe & *naturaliter* c. *civiliter*, ſi nempe accedat vel *induſtria* hominis, vel *diſpoſitio* legis n. Et hinc quoque in pecunia conſtitui poteſt *quaſi uſusfructus. l. 1. l. 2. ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.* Sic quoque *domus* civiliter fit *frugifera* :)

553 Reclamas: Receſſus Imperii & conſuetudo non permittunt uſuras ratione *mutui* ſed ratione *alterius* tituli, ſaltem præſumpti; v. g. *lucri* ceſſantis ex pecunia mutuo data, ut colligitur ex Receſſu Spirenſi, qui facit mentionem de præſumptione tituli (: n. hoc ; nam *anteriores* Receſſus nihil prorſus habent de præſumptione tituli: Spirenſis autem dictæ præſumptionis mentionem facit, *ut* ad *minimum* quinque pro centum adjudicentur, niſi nempe creditor *probet*, ob lucrum ceſſans vel damnum emergens *plus* ſibi deberi, ut patet ex contextu : ergo *quinque* pro centum non tam propter præſumptionem alterius tituli quam propter mutuum concedit. Deinde

de Receſſus Imperii præſumit, *generaliter* ju-ſtum eſſe lucrum 5. ex 100. in mutuante: ergo non ceſſat, nec vim ſuam amittit in caſu *particulari*, ubi per accidens non datur lucrum ceſſans: velut patet in lege Tridentina, matrimonium clandeſtinum irritante:) ergo ubi *alius* titulus non concurrit, ceſſat præſumptio & in foro ſaltem *interno* cedere debet veritati. *Vid.* P. Pichler *cit. l. 3. t. 19. n. 5. ad 4.*

ARTICULUS II.

Utrum emptio cenſus, cambium, montes pietatis, pactum de reſtituendo mutuo in eadem ſorte, bonitate, & quantitate, ac contractus ſocietatis involvant uſuram?

PRænot. 1. *Cenſum*, formaliter ſumptum, in propoſito idem eſſe ac *jus* contractu aliquo conſtitutum, percipiendi *annuam penſionem* vel ex *re* vel *perſona* alterius. Objective ſumptus eſt ipſa penſio. Venditor cenſus dicitur *cenſuarius*: emptor, *cenſualiſta*. Dividitur cenſus in *reſervativum* (quando quis rem ſuam alteri vendit, permutat &c. *reſervata* ſibi annua *penſione* ex illa re præſtanda: & hunc certo eſſe licitum, probat exemplum Joſephi. *Gen.* 47.) & in *conſignativum*, quando quis dominium rei quidem 554

re-

retinet, interim tamen alteri *conſignat*, ſeu concedit *jus* exigendi & percipiendi ex ea annuam penſionem. Cenſus hic conſignativus ſubdividitur in *realem* (qui, in certa aliqua *re* fructifera, domo, agro &c. conſtituitur: & ideo rem comitatur ad quemcunque poſſeſſorem perveniat) & *perſonalem* qui conſtituitur *in* certa aliqua *perſona*, obligante ſe ad annuam penſionem ex arte ſua, opificio aut aliunde præſtanda. Quodſi *res*, ex qua præſtandus eſt cenſus, pereat, aut perſona ad lucrum faciendum *inhabilis* reddatur, ceſſat cenſus, quin ab emptore repeti poſſit pretium; quia poſt perfectam emptionem-venditionem periculum eſt emptoris. *l. 1. ff. de peric. & commod. rei vend.*

555 Prænot. 2. Cenſum ratione temporis futuri inſuper dividi in *perpetuum* (qui ex ſe in perpetuum durat; adeoque ad hæredes tranſit: eſtque vel *redimibilis*, dum vid. reſtituto pretio redimi poteſt, vel *irredimibilis*, dum taliter redimi non poteſt) & *temporalem*, qui tempore abſolvitur, eoque vel *determinato* v. g. intra 20. annos; vel *indeterminato*, v. g. ad vitam unius hominis vel duorum; & hic cenſus proprio nomine vocatur *vitalitius*. Cæterum etſi cenſus conſtitui poſſit etiam mediante donatione, permutatione, aut alio contractu ſimili, tamen potiſſimum *emptione* conſtituitur: de *qua* ideo quoque in con-

conclusione prima. Sed prius in ordine ad ſecundam,

Prænot. 3. Cambium (vulgo *ein Wechſel*) eſſe contractum, quo *permutatur pecunia pro pecunia cum modico lucro.* Dividitur in *reale* ſeu manuale (quando moneta *minor* datur pro majori, vel argentea pro aurea) & *locale*, quando datur pecunia in uno loco, ut red-datur in altero: & quia hoc ſolet plerumque fieri per litteras dicitur etiam *cambium per litteras* ſeu litterarium. Qui pecuniam alio loco recipiendam offert, appellatur *cambſarius*; & qui præſtare tenetur, *cambſor.* Num uſuram contineat, dicet concluſio ſecunda. In ordine ad hujus partem ſecundam, 556

Prænot. 4. Per *montes pietatis* hic intelligi æraria, *piorum* hominum liberalitate conſtituta, ut indigentes ad ea quaſi ad montem refugerent, ne magis ab uſurariis, præſertim Judæis opprimantur. In *his* enim pecuniæ mutuantur petentibus ea lege, ut pro aſſecuratione illarum dent *pignus*; & ſi debitum præfixo tempore non ſolvatur, tunc pignus vendatur pretio maximo. Ex quo pretio ſolvitur monti ſors credita, & ſubinde etiam *modicum* quid *ultra*, ad ſuſtentandos miniſtros. Reſiduum vero pretii reſtituitur mutuatario. De quibus montibus in cit. concl. part. 2. In ordine ad quartam (nam de tertia non eſt opus prænotatione) 557

Prænot. 5. Quod contractus ſocietatis ſit ille, *quo duo vel plures conferunt res & operas ſuas* 558

ſuas communis lucri gratia; vel quo unus *res*, alter *operas*. Quorſum etiam ſpectat contractus ille, quo quis *ſalva* ſorte *principali*, ac poteſtate diſſolvendi pro libitu contractum ipſum, dat mercatori pecuniam, ut is inſtituta negotiatione (ſive lucrum inde capiat, ſive damnum patiatur) in ſingulos annos teneatur certum quid ſolvere, v. g. quinque pro centum; ita tamen ut ſoluto illo modico alter velit, debeatque ſemper eſſe contentus, non conſiderato *majori* lucro, ſi quod inde mercatori advenerit, de cujus utriusque licititate quoque aget dicta concluſio ſecunda. Modo ſit

559 CONCLUSIO I. Non tantum cenſus conſignativus *realis* (ſive perpetuus ſit ſive temporalis, etiam vitalitius) ſed quoque perſonalis eſt licitus ac neutiquam uſurarius, ſi debite fiat. *Eſt communis quoad 1. part. quoad 2. P. Pichler, Reiffenſt. &c.*

560 Prob. 1. pars. Uſura non committitur præterquam in *mutuo* ut conſtat ex definitione uſuræ. *n. 533.* atqui in cenſu *reali* non intervenit *mutuum*, ſed verus contractus *emptionis* & venditionis; quia cenſuarius ſub certa pecunia vendit cenſualiſtæ jus percipiendi partem fructuum ex prædio, agro: ergo eſt licitus. Præcipue quia cenſus eſt pars *uſusfructus*; *qui* utique licite emitur, non minus ac licite donatur vel legatur: ergo *l. neceſſario. 8. pr. ff. de peric. rei vend.*

Prob.

Prob. 2. pars: Etiam in cenſu *perſonali* 561
non intervenit mutuum: ergo neque uſura.
a.p. Solummodo emitur *jus* annuatim aliquid percipiendi ex lucris, quæ cenſuarius ſua induſtria acquirit: ergo. Deinde: *locatio* & conductio operarum pro *penſione* eſt licita: ergo & licita eſt emptio *hujus*. Reiffenſtuel *n.28.* Pichler *n.8.* Interim tamen notanter additum eſt in concluſione: *ſi debite fiat*; nimirum ſi pretium attentis circumſtantiis ſit juſtum, & juxta ſtatutum vel conſuetudinem loci; ſi res cenſui ſubjecta, inſcio cenſualiſta, non alienetur in alium à quo ſolutio cenſus obtineri nequeat, vel difficulter. Conditiones Martini V. Calliſti III. & S. Pii V. vel non ſunt receptæ, vel per conſuetudinem abrogatæ. *Vid.* Reiffenſt. *n. 67.*

CONCLUSIO II. Uſuram *per ſe* non con- 562
tinet cambium: neque montes pietatis: neque pactum de *reſtituendo* mutuo in eadem ſorte, bonitate, & quantitate: neque contractus ſocietatis. *Communis quoad omnes partes.*

Prob. 1. pars: In *cambio* utroque, reali 563
nempe & locali, requiritur ſpecialis *labor* in aggregandis variarum ſpecierum monetis, in earum numeratione, transportatione, ſcriptione litterarum, ſuſtentatione famulorum, *periculo* amittendi pecunias in viis, mutandi valoris &c. quæ omnia in ſe ſuſcipit cambſor: ergo ratione horum *licite* lucrum exigit,

ma-

majus vel minus pro magnitudine circumſtantiarum.

564 Prob. 2. pars: Quamvis in *montibus pietatis* quid *modicum*, v. g. unus pro centum detur ultra ſortem, id tamen non exigitur, neque datur tanquam lucrum ex *mutuo*, ſed pro ſumptibus neceſſariis ad montis conſervationem, ſuſtentationem miniſtrorum &c. ergo non eſt uſura.

565 Prob, 3. pars: In pacto de *reſtituendo* mutuo in *eadem* ſorte &c. ſervatur *æqualitas* inter datum & acceptum: inſuper periculum damni, & ſpes lucri eſt æqualis ex *utraque* parte; ergo tale pactum eſt licitum.

567 Prob. ult. pars: Juſtum eſt, ut ſi *alius* ex contractu negotietur *mea* pecunia, lucrumque honeſtum acquirat, vi talis contractus ſocietatis mihi partem *lucri* attribuat: ergo *illud* licite exigo, & accipio. Et quidem etiam, ubi ſumma *capitalis* deberet manere ſalva, & contractus ad libitum reſcindi queat: eadem enim eſt ratio.

568 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. In emptione aut venditione cenſuum intervenit mutuum *virtuale* ſeu quaſi-mutuum: ergo & uſura palliata. a. p. In re idem eſt emere pro 1000. florenis cenſum annuum 50. florenorum, ac *mutuos* dare 1000. florenos ſub lucro 50. florenorum per ſingulos annos recipiendo: ergo. a. p. *Summa* capitalis utrobique manet *ſalva* (: ℟. d. a. cum *magna* tamen differentia c. ſecus n. Nam in cenſu emitur

jus

jus ; non eſt obligatio reddendi *ſortem* ; & adeſt titulus *juſtus* : quorum nullum eſt in mutuo :) ergo. *Vid.* Reiffenſt. *n. 69.*

Ob. 2. Qui emit cenſum; v. g. quinque pro 100. annuatim ſolvendos, poſt lapſum 20. annorum accipit *totam* ſummam *capitalem*, & poſt quadraginta annos accipit duplum, nempe 200. florenos, ac inſuper in debito manet *tota* ſumma capitalis : atqui hoc eſt *iniquum* (: n. *hoc* ; quia in æſtimatione *morali* illæ penſiones, poſt multos annos ſucceſſive ſolvendæ, non valent plusquam pretium emptionis datum ; & , quatenus ſunt in *ſpe*, non valent tantum, quantum valerent *ſimul* omnes præſentes & quatenus ſunt in re: dum contingere poteſt, ut *fructus* vel non naſcantur , vel non ſolvantur : penſiones autem pecuniariæ variis periculis , laboribus , & moleſtis ſollicitudinibus obnoxiæ ſunt. Sic ſi ematur *totus* ager v. g. per centum florenos , hic poſt 20. annos adhuc manet ementi , etſi *fructus* ex eo percepti adæquent vel ſuperent pretium emptionis :) ergo. 568

Ob. 3. In contractu cenſuali non emitur *penſio* ; quia iſta ſucceſſu temporis longe tranſcendit ſummam capitalem : nec *dilatio* ſolutionis ; quia *moram* ſolvere apud plerosque eſt uſurarium : nec *jus* percipiendi annuos cenſus ; ergo. a. p. *quoad hoc ult. memb.* Jus illud nondum exiſtit (: in *re* c. in *ſpe* n. hæc autem eſt pretio æſtimabilis , ſicut æſti- 569

mabile eſt *jus* piſcandi, imo & *ſpes*, etſi nondum exiſtant in re:) ergo non poteſt vendi.

570 Ob. 4. cont. 2. part. Cenſus *perſonalis* prohibitus eſt à S. Pio V. in conſtitutione, *cum onus*, juxta quam non poteſt conſtitui cenſus niſi in re *immobili* fructifera (: ubi hæc conſtitutio *recepta* eſt c. ſecus n. apud nos Germanos, autem vel *non* eſt recepta, vel contrario uſu abrogata:) atqui cenſus perſonalis non conſtituitur in re immobili & frugifera; ergo non eſt licitus. *Vid.* P. Reiffenſt. *n. 68.* Pichler *n. 8.*

571 Ob. 5. cont. 2. concl. part. 1. Altefatus S. Pius V. in Bulla, quæ incipit *In eam pro noſtro*, damnavit *cambium* (: *ſiccum*, ut vocant, quod caret humore & juſto titulo c. *noſtrum* n. Cæterum conditiones quædam pro cambio reali à S. Pio in cit. Bulla præſcriptæ, apud nos quoque non ſunt uſu receptæ:) ergo non eſt licitum. *Vid.* Reiffenſt. *num. 75.* item *n. 85.*

572 Ob. 6. urg. Famulus vel nuntius aliquis peccat ſi pro *ducatis* creditori det monetas minutas cum *lucro* (: quando mens domini eſt ut ducatos *ipſos* tradat c. ſecus n. nam lucrum illud eſt fructus induſtriæ:) ergo cambium ſaltem manuale non eſt authenticum. Ex dictis

573 Deduces 1. Uſuram ſaltem palliatam involvi inprimis *in pacto remutuandi*, dum nempe quis mutuat cum obligatione, ut alter viciſſim remutuet, aut certum officium procuret,

ret, ex ſua officina emat &c. Ratio eſt: quia *taliter* immediate ex mutuo lucrum tanquam *debitum* accipitur: prout conſtat ex propoſitione 42. ab Innoc. XI. damnata. Secus tamen dicendum foret, ſi talia dentur tantum ex titulo *remunerationis*, & *ſecluſo* omni pacto. Similiter uſura involvitur in contractu *Mohatræ*; quando quis vendit rem *magno* pretio, cum pacto, ut emens ipſi ſtatim *revendat* pretio minore. Ratio eſt: quia hujusmodi venditio & emptio cum pacto redimendi eſt ficta tantum; in effectu enim eſt mutuum cum lucro ex fœnore; prout iterum conſtat ex propoſitione 50. damnata ab eodem Innoc. XI.

Deduces 2. Inſuper uſuram committi 574 poſſe in pacto antichriſeos, quo id agitur, ut mutuatarius mutuanti permittat fructus rei oppignoratæ v.g. prædii vel agri hypothecati, donec debitum exſolvatur. Ratio eſt: quia per hoc pactum creditor ultra pecuniam, mutuo datam, cauſa ſolius mutui aliquid lucratur, nempe *fructus* hypothecæ: quod tamen prohibitum eſt *c. 1. 2. 8. de uſur. c. 6. de pignor.* Interim hoc intelligendum eſt de caſu, ubi nullus *alius* titulus præter mutuum intervenit. Unde in Germania vi ſtatuti & con- 575 ſuetudinis licitum eſt ex re oppignorata fructus pro mutuo *percipere*, qui non excedunt *quinque* pro centum. Item licitum eſt marito fructus rei, pro dote nondum ſoluta ſibi oppignoratæ, & domino directo ex re feu-

dali ſibi oppignorata percipere: qui caſus ſunt excepti *c. 1. & c. 16. de uſur.* Pari modo uſura committitur in pacto *legis commiſſoriæ*, quo creditor cum debitore convenit, ut ſi intra certum tempus non fuerit debitum ſolutum, pignus pleno jure acquiratur creditori. Ratio eſt: quia pignus ordinarie *plus* valet quam ipſum debitum; ergo hujusmodi pactum eſt vere uſurarium. Cæterum differt *pignus* ab hypotheca, quod hæc fiat in re immobili; *illud* autem in *mobili*.

576 Deduces 3. Præterea uſurariam eſſe emptionem *chirographi* ſeu nominis, aut debiti alieni pro *minori* pretio, v. g. Si debitum alienum 100. florenorum ematur pro 80. florenis. Ratio eſt: quia pretium 80. florenorum non adæquat pretium 100. florenorum; & virtualiter idem eſt, ac ſi quis 100. daret mutuos, & ſtatim 20. retineret pro lucro. Si tamen (ut facile contingit) alius titulus interveniat, ut dum *debitum* alienum eſt dubium vel *litigioſum*, dum pro eo obtinendo faciendi ſunt ſumptus, utique *licitum* erit tale chirogra-
577 phum *minori* pretio emere. Denique uſurarius etiam eſt anatocismus, per quem intelliguntur uſuræ uſurarum, ſeu lucrum ex ipſis uſuris nondum ſolutis, in ſortem tamen redactis: petitum: e. g. ſi ſors credita ſint 1000. & uſuræ 50. mutuatarius autem non ſolvat hos 50. & tu poſtea ex his 50. tanquam ex *novo* mutuo poſt anni lapſum exigas *duos cum dimidio* florenos. Ratio eſt: quia jus naturale

&

& Divinum uſuras *mere* lucratorias prohibet; nec uſuras uſurarum ullum ſtatutum aut conſuetudo Romani Imperii approbat. Imo etſi adeſſet *alius* titulus damni emergentis aut lucri ceſſantis, attamen uſuræ uſurarum prohibentur à Jure civili *l. 29. ff. l. 3. l. 28. cod. de uſur.* Quod ſi uſuræ prius fuiſſent *ſolutæ*, & ab accipiente crederentur *de novo*, foret novum mutuum; conſequenter ex iis uſuræ *moderatæ* exigi poſſent; ſicut ex ſorte & mutuo priore. *Vid.* P. Pichler *l. 5. t. 19. num. 11.* P. Schmalzgr. *eod. l. & t. à n. 216.*

578 Deduces ult. Uſuras *ſine* titulo, & ſic illicite petitas, *neminem* teneri ſolvere, etſi promiſerit. Si quis autem promiſiſſet *jurato*, teneretur quidem vi juramenti (niſi prius obtineret hujus relaxationem) non tamen ex juſtitia: & ſolutas quantocius poſſet *repetere* in judicio; prout docet communis ex famoſo c. *debitores 6. de jurejur.* Econtra uſuras *inique* acceptas in utroque foro tenentur reſtituere non tantum ipſe uſurarius, ſed etiam cooperantes, & hæredes uſurarii, juxta leges dandas *Part. 3. à n. 207.* De reliquo pœnæ 579 uſurarii (manifeſti ſolummodo *c. 3. de uſur.*) de Jure canonico ſunt infamia, depoſitio, vel ſaltem ſuſpenſio, ſi ſit clericus: ſi laicus, excommunicatio, invaliditas teſtamenti, & privatio ſepulturæ eccleſiaſticæ. De Jure Civili non reperitur pœna ſtatuta: in receſſu tamen Imperii *de anno 1530. §. 7.* præter annullationem contractus privatur quarta parte

ſortis ; in aliis locis totam ſortem amittit. Eſtque crimen hoc fori mixti. *Vid.* P. Pichl. *n. 12.* P. Schmier *l. 5. tr. 2. ſ. 3. à num. 121.* Schmalzgr. *l. c. à n. 223.* P. Mezger *tr. 13. a. 5. per tot.* P. Spor. *tr. 6. c. 4. ſ. 4. à n. 120.* La Cr. *l. 3. p. 2. à n. 926.*

QUÆSTIO II.

DE EMPTIONE, VENDITIONE, LUDO, ET SPONSIONIBUS.

ARTICULUS I.

An licitum ſit quolibet pretio vendere & emere?

680 PRænotandum 1. Emptionem definiri: *eſt pactio pretii pro merce* : venditionem econtra, *eſt pactio mercis pro pretio.* Vel ſi ſumatur ſimul, ſic: venditio eſt *contractus ſolo conſenſu initus, quo de re pro certo pretio tradenda convenitur, & viciſſim pro pretio pro re dando. §. 1. inſtit. de empt.* Tria proinde ad ſubſtantiam emptionis & venditionis requiruntur. 1. Res certa, quæ venditur ; & *merx* apellatur. 2. *Pretium* certum, & quidem pecuniarium ; alioquin enim non erit emptio & venditio ſed permutatio. 3. *Pactio* ſeu conſenſus verus tam emptoris in pretium

tium dandum, quam venditoris in mercem tradendam. De quibus ſiugulis ulterius

Prænot. 2. Quod *merx* ſeu res quæ vendi & emi poſſunt, ſint res omnes *pretio* æſtimabiles & non exemptæ à commercio humano per jus naturale, gentium aut *poſitivum*, ac ſpecialiter non prohibitæ alienari. *l. 34. §. 1. de contr. empt.* Conſenſum ponere ſeu *emere* & vendere *poſſunt* omnes, qui contrahendo ſe *obligare* queunt, nec ſpecialiter prohibentur. Nemo tamen regulariter *cogi* poteſt ad vendendum rem ſuam (quia quilibet eſt dominus rei ſuæ; ſicque de ea diſponere poteſt pro libitu) niſi in caſu publicæ *neceſſitatis*; vel *utilitatis*, quæ privatis commodis præponderat. Circa pretium 581

Prænot. 3. *Pretium* rerum generatim eſſe duplex: unum *legitimum*, quod vid. à magiſtratu taxatum eſt: alterum *vulgare* ſeu naturale, quod ex valore rei *plurium judicio* dependet. Ex his pretium *legitimum* conſiſtit in indiviſibili, nec licet *hoc* præterire: ſiquidem cenſeatur *verum* rei pretium, cum judicium magiſtratus præferendum ſit judicio populari. Pretium *vulgare* econtra non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet quamdam latitudinem, & communiter dividitur in *ſummum*, *medium*, & *infimum*. Eſtque hæc latitudo tanto major, quanto merx eſt pretioſior; ſic ſi merx eſſet talis, cujus pretium *ſummum* reputantur eſſe 150. *medium* forent 100. & *infimum* 95. Econtra ſi pretium medium cenſe- 582

rentur eſſe 10. floreni, ſupremum forent 11. & infimum forent 9. ut exemplificat P. Engel *l. 3. t. 17. n. 11.*

583 Prænot. 4. Loquendo de pretio rerum *vulgari*, generatim *juſtum* mercis pretium eſſe, quod loci *conſuetudo* approbat ſecundum communem hominum æſtimationem: quæ quidem æſtimatio deſumitur ex *abundantia* vel penuria illius mercis, ex *facilitate* aut difficultate acquirendi, ex *utilitate*, uſu aliisque hujusmodi circumſtantiis. Hinc pretia rerum ex variis cauſis poſſunt creſcere vel decreſcere. Ita creſcunt 1. Si merces ſunt *ſubhaſtatæ*, & dantur plures offerenti. 2. Ratione *lucri* ceſſantis vel damni emergentis, ut ſi hodie rem vendas, quam cras potuiſſes carius vendere. 3. Propter labores & *expenſas* factas in comparatione rei. 4. Propter *copiam* emptorum vel mercium raritatem. P. Mezger *tr. 13. d. 43. a. 1. n. 2.*

584 CONCLUSIO: Non eſt licitum *quolibet* pretio vendere & emere, ſed debet eſſe pretium unum ex *tribus* dictis, nempe medium, infimum, vel ſummum: & ſi hæc latitudo excedatur, in foro conſcientiæ venditio & emptio eſt iniqua; ideoque lædens alterum *notabiliter* tenetur ad reſtitutionem. *Ita Theologi & Juriſtæ communiter.*

585 Prob. 1. pars: Pretia rerum *non ex affectu aut utilitate ſingulorum, vel communiter funguntur*, ut dicitur *l. pretia 63. ff. ad. l. Falc.* id eſt; res tanti æſtimanda eſt, quanti vere eſt & *omni-*

omnibus valet, non quanti *uni* & alteri tantum ex particulari affectione: ergo non poteſt vendi aut emi quolibet pretio; nam æquitas hujus contractus conſiſtit in *æqualitate* pretii cum re, quæ emitur: conſequenter debet emi uno ex *tribus* aſſignatis (poſito quod à magiſtratu determinatum non ſit) nam ita ſemper adhuc ſervatur *æqualitas* inter datum & acceptum.

Prob. 2. pars: Si excedatur latitudo dictorum *trium* pretiorum, tunc violatur *æqualitas* inter datum & acceptum; adeoque committitur *injuſtitia*: ergo *notabiliter* lædens tenetur ad reſtitutionem. Nam ſi læſio non ſit admodum notabilis, cenſentur contrahentes invicem condonare. Reiffenſt. *tr.* 8. *diſt.* 4. *q.* 8. *n.* 97. 586

Objicies 1. cont. 1. part. Eſt commune axioma Juriſtarum ex *l. ſi quis uxori ff. de furtis.* Res tanti valet, quanti vendi poteſt; cum concordantiis: ergo quælibet res licite venditur *quolibet* pretio (: ℞. d. c. intra *limites* tamen *juſti* pretii c. ſecus n.:) 587

Ob. 2. Quisque *rei ſuæ* moderator & *arbiter* eſt. *l. in re cod. mandati.* adeoque venditor non tenetur rem ſuam tradere, niſi pretio, quo ipſe vult: ergo poteſt vendere pretio *quocunque* (: n. c. Plus enim non ſequitur, quam quod quis non *teneatur* rem ſuam *alienare*: ſi tamen alienare vult, id facere debet modo qui æquitati & legibus non repugnet:) 588

Ob. 3. Dantur multæ res, quæ nec vul- 589

 garem,

garem, nec legalem æſtimationem habent, uti ſunt aves Indicæ, gemmæ, picturæ ſingulares &c. ergo ſaltem *hæ* vendi poterunt tanto pretio, quantum emptor dare voluerit (: t. totum: interim tamen negativa eſt probabilior & tutior ; ſecus enim vendentium cupiditati & fraudibus nimium fræna laxarentur :) *Vid.* P. Mezger *à n.* 7. P. Schmalzgr. *num.* 92.

590 Infers: Ergo injuſtitiæ rei ſunt, qui minutiſſimas reculas, puta vitra Veneta, acus, cultellos, Indis auro vendunt, aut gemmis permutant (: n. illat. Nam in illis Regionibus *raritas*, ideoque *vulgaris* æſtimatio ejusmodi reculis *vulgare* pretium imponit, ut auro & gemmis, quæ ibidem ſua copia vileſcunt, pares habeantur :) P. Mezger *loc. cit. num.* 8.

591 Ob. 4. cont. 2. part. Poteſt contingere, quod emptor *ſciens* & prudens det quid notabile *ſupra* pretium *ſummum*: ergo ſaltem hic non erit obligatio reſtituendi. c. p. Taliter emens cenſetur exceſſum illum donare (: n. hoc; nam exceſſum illum dat vel ex *ignorantia*; vel ex *neceſſitate*; vel ex affectu *cæco*; quæ omnia non faciunt pretium rebus ſed proportio, quam mercis bonitas vel utilitas cum *intrinſeco* aut authoritate publica *taxato* pretio habet :) ergo. Schmalzgrueber *loc. cit. num.* 92.

592 Ob. 5. In foro *externo* non ſuccurritur, niſi quis deceptus fuerit ſupra *dimidium* pretii juſti.

juſti. *l. rem majoris, cod. de reſcind. vend. c. dilecti. c. cum cauſa. de empt.* ergo deceptio ſaltem infra dimidium non parit obligationem reſtituendi (: in foro *externo*, quod vult vitare multitudinem litium, c. in *interno* n. Etenim ab hac reſtitutione, utpote jure naturæ debita, nec potuit nec voluit decipientem eximere jus civile :)

Ob. ult. Etſi ſciam, pretium mercis brevi ita minuendum, ut emptor ſupra dimidium ſit perditurus, nihilominus adhuc licite vendo: ergo non *omnis* læſio ſupra dimidium obligat ad reſtitutionem (: n. ſupp. quod adſit *injuſta* læſio; nam res juſte venduntur ſecundum valorem, quem *habent*, & non quem ſunt *habitura*; ergo :) 593

Deduces 1. Si inter duos conventum fuerit de *infimo* pretio, non poſſe ſine injuſtitia à vendente ſurripi, quod ſupereſt usque ad *ſummum* pretium; quia tunc *conventio* ponit menſuram pretii, quod non licet excedere. Similiter peccabit contra juſtitiam, & tenebitur ad reſtitutionem emptor, qui ſummum pretium pactus ſua deceptione vendentem *adigit* ad infimum pretium. Cæterum ſicut rem carius vendere propter dilatam ſolutionem, aut vilius propter *anticipatam* ſolutionem præciſe per ſe illicitum eſt: ita ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, vel periculi, juſtificari queunt ejusmodi contractus. *Vid.* P. Mezger *n. 16.* 594

De-

595 Deduces 2. Venditorem, ſi vitium mercis ſit *occultum*, teneri illud manifeſtare, præſertim ſi ſit in *ſubſtantia* (alioquin contractus foret nullus) vel etiam in *qualitate* ita, ut res vendita in ordine ad *communem* uſum non amplius retineat *eamdem* utilitatem: quia taliter in re gravi deciperet emptorem. Secus ſi vitium ſit *manifeſtum*, & facile deprehendi poſſit: quippe tunc emptor ſibi debet imputare, quod rei emptæ manifeſtos defectus *non* inquiſiverit. Interim tenetur tamen venditor *minus* pretium pro qualitate defectus exigere; ſiquidem hoc poſtulet æquitas juſtitiæ. *Vid.* P. Babenſt. *tr. 7. d. 6. a. 3. à n. 22.*

596 Deduces 3. Rem venditam perire emptori *poſt* traditionem, quamvis pretium necdum ſolutum ſit: quia per *traditionem* emptor factus eſt *dominus*. Imo etiam perit emptori *ante* traditionem, ſi res vendita ſit certa & *determinata. l. 7. 8. 16. ff. &c.* Ratio hujus eſt: quia licet ex diſpoſitione Juris contractus venditionis & emptionis non transferat reipſa dominium ante traditionem: idem tamen jus noluit impedire *effectum*, qui ex dominio per traditionem ſequi ſolet, nempe ut etiam *ante* traditionem omnia rei *commoda* vel

597 incommoda ad emptorem pertinerent. Aliud eſt, ſi res vendita ſit *indeterminata*, ut dum quis emit decem oves *indeterminatas* ex grege &c. Nam tunc ſolus *venditor* damnum ferre debet. Ratio eſt: quia in emptione rei *indeterminatæ* involvitur conditio, *ſi res tradatur*.

tur. Unde non ſecuta traditione nihil damni ferre tenetur emptor; nam cum conditio non ſit *impleta*, venditio non cenſetur perfecta. Babenſt. *l. c. n.* 29. P. Pichler *l.* 3. *t.* 17. *n.* 15.

ARTICULUS II.

Utrum luſus & ſponſiones ſint licitæ?

PRænotandum: Ludum, prout eſt hujus loci accipi pro contractu, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque depoſuit. *Sponſio* autem eſt contractus in quo duo vel plures de veritate vel eventu alicujus rei contendentes ſibi invicem aliquid ſpondent, ut ejus ſit, qui *veritatem* fuerit aſſecutus. De licititate utriusque ſit 598

CONCLUSIO: *Ludus* omnis generis, quantum eſt de jure naturæ, per ſe licitus eſt: idem eſt de *ſponſionibus*. *Communis* DD. 599

Prob. 1. pars: Ludus qualiscunque, ſi *debito* modo inſtituatur, nullam prorſus habet *injuſtitiam*; quinimo conducit ad honeſtam animi *relaxationem*; ſimulque utilis eſt ad vitandum *otium*, & quæ inde ſequuntur mala: ergo per ſe licitus eſt. Si nempe ludentes habeant *liberam* diſpoſitionem rei, quam in ludum deponunt: ſi ludens ad ludum *non* cogatur: ſi ludentes *non* utantur *fraudibus* contra leges ludi. *Vid.* P. Sporer *tr.* 6. *c.* 6. *ſ.* 4. *à n.* 44. 600

Prob.

601 Prob. 2. pars : Sponſiones nihil illiciti vel injuſti in ſe continent ; ergo per ſe ſunt licitæ. a. p. Sicut in poteſtate cujuslibet eſt rem ſuam alteri donare *abſolute*, ita etiam ejus dominium transferre in alterum ſub *conditione*, ſive jam impletio *hujus* ab arte vel induſtria, ſive à caſu & fortuna dependeat : ergo. De quibus mox aliquid in objectionibus.

602 Objicies 1. cont. 1. part. In Jure canonico *c. clerici. de vit. & honeſt. cler.* & ſimul in Jure civili *l. 1. & 3. cod. de aleat.* prohibitus eſt luſus *alearum* (: ℞. d. a. *qui* potiſſimum *arte* & induſtria regitur, ut eſt nominatim luſus fritilli, vulgo Bretſpil. n. luſus alearum, qui principaliter *fortuna* & caſu regitur, ut eſt luſus alearum *ſolarum*, *ſortium &c.* c. Vel ſubd. eſt de jure *poſitivo* c. quantum eſt de *conſuetudine* n. :) ergo luſus *omnis* generis non eſt licitus. Babenſt. n. 2. Spor. *n. 80.*

603 Ob. 2. urg. Qui luſu *alearum* aliquid lucratus eſt, tenetur ad illius *reſtitutionem* (: n. hoc ; quia contractus ludi alearum *jure naturæ* valet, nec à jure poſitivo eſt irritatus :) ergo non eſt licitus. a. p. Perdens poteſt illud *repetere* (: *privatum* n. *in judicio* c. proin ante ſecutam condemnationem judicis victor nihil tenetur reſtituere :) ergo. *Vid.* P. Spor. *à n. 81.*

604 Ob. 3. Multi ludunt non propter animi oblectationem ſed *principaliter* propter *lucrum*: ergo ſaltem *hi* non ludunt *licite*. c. p. Intendunt

dunt principaliter *damnum* proximi, adeoque contra decimum præceptum *concupiſcunt* bonum proximi (: modo *illicito* n. licito, & quiem contractu *oneroſo*, qualis eſt ludus, c. :) ergo peccant, ad minimum venialiter; cum deſiderium lucri, contineat avaritiam (: ſi lucrum deſideretur *inhoneſte* c. ſi *honeſte* n. :) Reiffenſt. *n. 109.* Spor. *n. 63.*

Ob. 4. cont. 2. part. *Alter* ſpondentium ſæpe eſt *certus* de eventu aut veritate rei: ergo ſaltem *hic* non poteſt ſponſionem inire, & inde *lucrum* licite accipere (: *regulariter* c. ſi, altero pertinaciter contradicente, *incipiat* dubitare, aut in *pœnam* alterius, nolentis credere dicenti, ſe certo ſcire, n. :) *Vid.* P. Spor. *n. 85.* Reiffenſt. 117. 605

Quæres: Quid ſit ſentiendum de *juramento* vel voto *non* amplius *ludendi*, aut ſpondendi? ℞. Juramentum & votum nunquam ludendi *plerumque* validum eſt: quia plerumque concipitur *honeſto* fine, ut nimirum *bonorum* prodigalitas, aliaque peccata, vel damna evidentur. Obligat graviter vel leviter, juxta intentionem jurantis, vel voventis. In *dubio* num intellexerit *omnem* luſum, vel duntaxat *illicitum*? inſpiciendus eſt *finis*. Nam quando finis jurantis fuit privare ſe *hac* temporali *delectatione*, ut *peccata* ſua puniat, Deo *magis* ſerviat &c. Cenſetur *omni* luſui renunciaſſe. Et tunc an fractio ſit mortalis vel venialis, dijudicandum ex *duratione* ludi; ubi ſi non extendatur ad *duas* horas, mortale 606 607

non

non erit. Quando autem finis fuit, vitare *jacturam* pecuniæ, tunc ludere adhuc licebit in levi quantitate &c. Plura de his videri poterunt in P. Spor. *tr. 3. c. 3. ſ. 2. à n. 43.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. à n. 454.* Reverenſſ. DD. Franc. Abb. Major. Aug. *tr. 2. ſ. 2. a. 2 n. 4.* Nos finem ludi & hujus ſecundæ Partis facimus,

Ut in omnibus glorificetur DEUS.

CURSUS
THEOLOGIÆ
MORALIS
ABBREVIATUS,

Id eſt,

Tractatuum Theologico - Moralium omnium Summa

Seu

COMPENDIUM,

Quod

In uſum SS. Theologiæ Studioſorum, pro Gradu, Ordinibus, Cura &c. examinandorum, imo & in ipſorum Examinantium, aliorumque Theologorum commodum è ſuis Prælectionibus nuper fuſius traditis

Collegit

R. P. ANSELMUS SCHNELL,

O. S. B. in Imper. Monaſt. Weingartenſi Profeſſus, ac Profeſſor emeritus; nunc Prior ibidem.

PARS III.

Complectens Tractatus de præceptis Decalogi (ubi etiam de reſtitutione) & præceptis Eccleſiæ: item de Beneficiis eccleſiaſticis, jure patronatus, decimis; de immunitate eccleſiaſtica, & indulgentiis: ac demum de cenſuris, irregularitate, aliisque pœnis canonicis.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſtatis ſpeciali ac Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus Joan. Jacobi Mauracher, Bibliopolæ. 1744.

INDEX TITULORUM PRO PARTE III. THEOLOGIÆ MORALIS.

TRACTATUS I. DISPUTATIO I.

De præceptis Decalogi & Reſtitutione.

QUÆSTIO I.

De quinque primis præceptis Decalogi.

Numerus eſt Marginalis.

ART. I. Quid præcipiatur in quatuor primis præceptis? *n. 1.*
2. Quænam præcipiantur vel prohibeantur quinto Decalogi præcepto? *n. 19.*

QUÆSTIO II.

De ſexto & ſeptimo præcepto Decalogi.

Art. 1. Quid prohibeatur ſexto præcepto? *n. 44.*
2. Quid ſeptimo? *n. 73.*

3. Quale peccatum contrahatur per furta minuta multiplicata? præſertim à domeſticis? n. 91.

QUÆSTIO III.

De tribus ultimis præceptis Decalogi.

Art. 1. Quidnam prohibeatur octavo Decalogi præcepto? n. 114.

2. Quale peccatum ſit detractio & contumelia? n. 127

3. Quid prohibeatur nono & decimo præcepto Decalogi? n. 146.

DISPUTATIO II.

De reſtitutione.

QUÆSTIO I.

De reſtitutione in genere.

Art. 1. An & quales fructus debeant reſtitui ex- & cum re accepta? n. 155.

2. Utrum culpa mere juridica obliget ad reſtitutionem ex injuſta acceptione? n. 176.

3. Quisnam ex cooperantibus ad damnum debeat reſtituere? n. 205.

4. Quænam excuſent à reſtitutione? n. 223.

QUÆSTIO II.

De reſtitutione in ſpecie.

Art. 1. Qualis reſtitutio facienda ſit ob læſa bona animi? n. 242.

2. Qualis reſtitutio facienda ſit ob læſa bona corporis? n. 255.

TRACTAT. II. DISPUTATIO I.

De præceptis Eccleſiæ &c.

QUÆ-

QUÆSTIO I.
De primo & ſecundo præcepto Eccleſiæ.
Art. 1. Quid prohibeatur primo præcepto Eccleſiæ? *n. 282.*
2. Quid ſecundo præcepto Eccleſiæ præcipiatur? *n. 301.*
QUÆSTIO II.
De tertio, quarto, & quinto præcepto Eccleſiæ.
Art. 1. Qualiter & quos obliget tertium præceptum Eccleſiæ de jejunio? *n. 319.*
2. Qualiter obliget quartum præceptum Eccleſiæ de confeſſione annua? & quintum de communione paſchali? *n. 347.*
DISPUTATIO II.
De Beneficiis eccleſiaſticis, jure patronatus, & decimis.
QUÆSTIO I.
De Beneficiis Eccleſiaſticis.
Art. 1. Quinam poſſint libere conferre Beneficia? & quibus? *n. 368.*
2. Quomodo licitum ſit plura Beneficia habere, reſignare, & permutare? *n. 388.*
QUÆSTIO II.
De jure patronatus & decimis.
Art. 1. Quid, & quotuplex ſit jus patronatus? ubi de promiſſione Beneficii nondum vacantis. *n. 404.*
2. Cuinam debeantur decimæ? & an jus decimandi laicis competere poſſit? *n. 422.*

TRACTAT. III. DISPUTATIO I.
De immunitate Eccleſiaſtica &c.
QUÆSTIO I.
De Immunitate.

Art. 1. Utrum bona Eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum ſint ab exactionibus ſæcularium immunia? *n.* 438.
2. Quænam loca & perſonæ gaudeant jure aſyli? *n.* 451.

QUÆSTIO II.
De Indulgentiis.

Art. 1. Quid requiratur ex parte concedentis indulgentias? & quid ex parte lucrantis? *n.* 470.
2. Quid ſit jubilæum? & quæ ejus privilegia? *n.* 498.

DISPUTATIO II.
De cenſuris, irregularitate, aliisque pœnis canonicis.
QUÆSTIO I.
De cenſuris eccleſiaſticis.

Art. 1. Quinam ſint excommunicationis majoris effectus? *n.* 519.
2. Quid ſit ſuſpenſio, & interdictum? ubi concluſive de utriusque effectibus. *n.* 558.

QUÆSTIO II.
De Irregularitate.

Art. 1. Propter quas cauſas contrahatur irregularitas tam ex delicto quã ex defectu? *n.* 576.
2. Qualiter irregularitas contrahatur ex homicidio & mutilatione? *n.* 602.

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS ABBREVIATI PARS III.

COMPLECTENS

Tractatus de præceptis Decalogi (ubi etiam de reſtitutione) & præceptis Eccleſiæ: item de Beneficiis Eccleſiaſticis, jure patronatus, Decimis: de immunitate Eccleſiaſtica, & indulgentiis: ac demum de Cenſuris, irregularitate, aliisque pœnis Canonicis.

IN hac præſenti Parte tertia materiæ, mox enumeratæ, omnes pertractandæ ſunt. Singulis attribuemus Tractatus, Diſputationes, aut Quæſtiones ſingulas;

 prout

proutnempe exigit materiarum quantitas aut qualitas. Itaque in ſequenti Tractatu primo diſſeremus de præceptis *Decalogi*; ubi occaſione quinti & trium ſubſequentium præceptorum ſimul ſat multa de reſtitutione: in ſecundo, de præceptis Eccleſiæ; de Beneficiis Eccleſiaſticis, jure Patronatus, & decimis: in tertio demum de immunitate Eccleſiaſtica, indulgentiis, cenſuris, aliisque pœnis canonicis.

TRACTATUS I.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI, ET RESTITUTIONE.

DISPUTATIO I.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

NOmine *Decalogi* intelliguntur illa decem præcepta, quæ DEUS tulit in monte Sinai, Moyſique tradidit duabus tabulis lapideis inſculpta, atque populo Iſraëlitico promulganda, ut legitur in S. Scriptura *Exodi* 20. & *Deuteronomii* 5. Tria priora ex illis reſpiciunt immediate DEUM; dicunturque præcepta *primæ* tabulæ: ſeptem poſteriora autem *proximum*; & vocantur præcepta *ſecundæ* tabulæ. De quibus præceptis omnibus

nibus nunc tractandum in hac Diſputatione prima per Quæſtiones tres: in altera poſtmodum ſeparatim de Reſtitutione in genere & ſpecie.

QUÆSTIO I.

DE QUINQUE PRIMIS PRÆTIS DECALOGI.

ARTICULUS I.

Quid præcipiatur in quatuor primis præceptis? ubi ſimul de præceptis in genere.

PRænotandum 1. *Decalogum*, ut recte notavit S. *Aug. q. 140. in Exod.* eſſe omnium legum epitomen abſolutiſſimam; ſiquidem ad *illum* omnia præcepta moralia aliqua ratione reducantur. Nam tria prima (quæ hominem ad *Deum* ordinant) complectuntur omnia aliquo modo, *quecunque* ad Dei cultum pertinent: ſeptem poſteriora autem (quæ hominem ordinant ad *proximum*) continent univerſa, quæ tam Superiori quam proximo exhibere obligamur. Hinc etſi Decalogus ad *mandatum* de diligendo Deo & proximo reducatur tanquam *concluſio*, attamen illud ipſum mandatum quoque ad Decalogum reducitur, & in illo continetur tan-

quam præmiſſæ in concluſione, in qua per *partes* explicatur. Ob quam ipſam explicationem datæ ſunt quoque aliæ adhuc leges plurimæ; ideoque non ſuperfluunt. Quare

2 Prænot. 2. Præcepta Decalogi eſſe de *jure naturali*: quia ſunt de his, quæ homo ſtatim ceu amplectenda cognoſcit, & quorum contrarium videtur repugnare rationi. Proinde obligabant & adhuc obligant *omni* tempore: quia lumine naturali notum eſt, non eſſe furandum, non eſſe blasphemandum &c. Quod, his non obſtantibus, poſtmodum ſcripta, & à Moyſe promulgata, atque à Chriſto amplius declarata ſint, ideo factum eſt ut magis memoria tenerentur, ac frequentius meliusque in cognitione haberentur. Cauſam invaleſcentis adeo idololatriæ dedit malitioſa horum præceptorum *oblivio*, inordinatum deſiderium *præſentiæ* mortuorum, data ex idolis *reſponſa* dæmonum.

3 Prænot. 3. Omnia præcepta Decalogi per ſe obligare ſub peccato mortali: eoquod verſentur circa talem materiam, quæ graviter repugnat charitati Dei aut proximi. Per accidens tamen ſubinde à mortali excuſat tum *parvitas* materiæ, ubi dari poteſt, (*hæc* enim non datur in juramento, blasphemia, & nonnullis aliis) tum defectus *deliberationis* aut plenæ *advertentiæ*, ex dictis in *Part. 1. n. 328.* Interea quoad obligationem notabilis eſt differentia; etenim præcepta Decalogi quatenus ſunt *negativa*, obligant ſemper & *pro*

ſemper

ſemper: quia obligant ad *omiſſionem* mali (quod nunquam eſt licitum) adeoque ad *non agere*, quod nobis eſt facillimum: econtra quatenus ſunt *affirmativa* non obligant *pro ſemper*; quia obligant ad *actionem* boni, quæ *pro ſemper* nobis non eſt poſſibilis. Ad hujus declarationem,

Prænot. 4. Etſi, præter *tertium* & *quartum*, omnia alia præcepta Decalogi proponantur *ut* præcepta *negativa* v. g. *non habebis Deos alienos*; *non aſſummes*; *non occides* &c. reipſa tamen ſimul *affirmativa* & negativa eſſe, ita ut quodvis affirmativum includat *negativum* in eadem materia oppoſitum; & ſimiliter quodvis negativum includat affirmativum. Sic primum præceptum negativum, *non habebis Deos alienos coram me*, includit hoc affirmativum, *habebis me ſolum Deum* &c. Econtra hoc tertium præceptum affirmativum, *memento, ut diem ſabbathi ſanctifices*, includit hoc negativum *ne diem ſabbathi profane violes*, & ſic de cæteris, prout in decurſu videbimus. Inſuper aliqua ſunt de jure naturæ *abſoluto*, ut præceptum *non blaſphemandi*, non mentiendi &c. aliquatantum de jure naturæ *conditionato*, ut præceptum *non furandi*, non *occidendi* &c. In *prioribus Deus* non poteſt diſpenſare; bene tamen in poſteribus: ſic Iſraëlitis conceſſit, ut Ægyptiis auferrent vaſa aurea; Abrahamo præcepit, ut occideret Iſaacum. Qualiter fiat talis diſpenſatio, diximus in *Part.* 1. *n.* 171. Nunc circa præcepta in ſpecie ſit 4

5 CONCLUSIO I. Primum præceptum Decalogi ita ſonat: *Ego ſum Dominus Deus tuus &c. non habebis Deos alienos coram me.* Ita legitur *Exodi 20.* Explicatur: Hoc præceptum eſt *partim* affirmativum, quatenus aliquid præcipit, & *partim* negativum, quatenus aliquid prohibet. Eſtque ejus ſenſus: *Me verum Deum coles, & Diis alienis cultum non adhibebis.* Prout *affirmativum* eſt, verſatur circa actus virtutis religionis; mandatque uni Deo verum *cultum*, venerationemque debitam eſſe exhibendam: item circa *virtutes* Theologicas, utpote quibus immediate attingimus Deum tanquam objectum & finem noſtrum ultimum. Prout eſt *negativum*, prohibet vitia religioni, & virtutibus theologicis oppoſita, uti ſunt idololatria, infidelitas &c. De quibus omnibus ſufficienter tum in *Part. 1. à n. 510.* tum in *Part. 2. à n. 37.*

6 CONCLUSIO II. Secundum præceptum Decalogi eſt hoc: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ita S. Scriptura *exod. 20.*

Explicatur: Hoc ſecundum præceptum rurſus eſt partim *affirmativum*, dum præcipit Nomini Divino debitam reverentiam exhibendam; partim *negativum*, dum prohibet aſſumere nomen Domini in vanum. Adeoque hoc præcepto *præcipitur* debitus *honor* Divino nomini impendendus, ac reverentialis ejus *invocatio*; ſimulque ut in nomine iſto *juremus* in veritate, juſtitia & judicio. *Jer. 4.* Item, ut in ejus nomine *vota* faciamus, & expleamus,

mus, juxta illud: *vovete, & reddite Domino Deo veſtro. Pſal. 75.* Deinde prohibetur, ne hoc Diviniſſimum nomen quoquo modo Dei in rebus leviſſimis in teſtimonium adducendo, blasphemando, vota non ſervando &c. De quibus quoque ſatis actum eſt *in cit. Part. 2. à n. 69. & à n. 207.*

CONCLUSIO III. Tertium Decalogi præceptum his verbis exprimetur: *Memento diei ſabbati. cit. Exod. 20.* 7

Explicatur: Hoc præceptum eſt quoque affirmativum *ſimul* & negativum; quia præcipit quædam opera *virtuoſa*, & prohibet ſervilia; de quibus infra. Et optime ſubjungitur duobus prioribus: nam vi primi Deum colimus *corde*; vi ſecundi *ore*; vi tertii hujus *opere*.

CONCLUSIO IV. Quartum præceptum eſt: *Honora patrem & matrem tuam; ut ſis longævus ſuper teram.* Iterum S. Script. *l. c. Exod. 20.* 8

Explicatur: Poſtquam in præceptis *primæ* tabulæ Deus tradidit ea, quæ Deum reſpiciunt; in ſecunda tabula ſtatim tradit ea, quæ ſpectant ad *proximum*: & quia *hic* poſt Deum præcipue ſunt *parentes* (utpote *particulare* noſtrum principium) ideo mox ibi præcipit: *honora patrem tuum & matrem tuam.* Nomine autem *honoris* parentibus exhibendi tria principaliter ſignificantur, vid. *reverentia*, *amor*, & *obedientia*: qui 9

ſunt

ſunt actus virtutis *pietatis*, quæ eſt pars potentialis juſtitiæ. Et quidem quantum attinet ad *reverentiam*, ex virtute pietatis tenemur parentibus exhibere illam non ſolum *externe* ſed etiam *interne*, ipſos æſtimando, honorando, vilipenſionem fugiendo &c.

10 Quantum ad *amorem*, tenemur illos *vere* diligere: ſiquidem *taliter* quilibet *proximus* diligendus ſit &c. Et denique quantum ad *obedientiam* tenemur ipſis obedire in iis, quæ ſpectant ad bonos mores, vel ad domus gubernationem, ita ut filii, ſi obedire recuſent in materia *gravi*, peccent mortaliter; præſertim ſi *non* obediant ex conceptu, aut ex obſtinatione. De quibus aliquid in objectionibus, *à n. 12.*

11 Objicies 1. cont. 3. concl. Præceptum tertium de colendo ſàbbato eſt *cæremoniale* (: ℟. d. a. quoad tempus *determinatum* ſabbati c. quoad tempus *indeterminatum* n. quia ex inſtinctu naturæ homo tenetur ſe impendere cultui Divino, ſepoſitis negotiis, ſaltem *aliquo* tempore; quod loco ſabbati ex inſtitutione Apoſtolorum nunc eſt dies *Dominica*, in honorem reſurrectionis Domini; & aliæ feſtivitates B. V. & SS. loco aliarum ſolemnitatum Judaicarum :) ergo non amplius obligat. *Vid.* S. Th. 1. *2. q. 103. a. 3. ad 4.*

12 Ob. 2. cont. 4. concl. In noſtra & communi ſententia, filius peccaret *mortaliter*, ſi parentibus inferret *gravem* irreverentiam verbo, ſigno, vel facto &c. atqui hoc videtur nimis

nimis durum; ergo m. p. Furtum etiam *aliqualiter* gravius, factum parentibus, non ſtatim eſt peccatum mortale; ergo neque quælibet *irreverentia* gravis eſt tale (: n. c. Quia irreverentia afficit ipſas *perſonas*, furtum autem tantum *res* parentum. Hinc injuria, quæ *aliis* hominibus illata *mediocris* foret, poteſt eſſe *gravis*, ſi parentibus inferatur, præſertim *percuſſione*, etiam dum manus duntaxat elevantur :) *Vid.* P. Sporer *tr. 3. d. 5. ſ. 1. n. 32.*

Ob. 3. Nil ſæpius contingit, quàm quod 13 parentes dicant *filiis*, ut *mature* domum redeant, ut noctu plateas non frequentent, ut familiaritatem cum illa perſona fugiant, ut catecheſin adeant &c. & tamen confeſſarii *tales* contravenientes non ſtatim condemnant peccati *mortalis* ſaltem ratione *inobedientiæ* (: ex ſuppoſitione quod non fuerit *mandatum* expreſſum & *ſerium*, ſed tantum *monitio* & directio ordinaria c. ſecus n. Imo etſi tales non peccent peccato inobedientiæ *ſpeciali*, peccant tamen *alio* peccato, cujus *periculo* ſe exponunt :) ergo *non* obedire parentibus non ſtatim eſt peccatum grave. *Vid.* P. Sporer *n. 14. & ſeqq.*

Ob. 4. urg. Etſi parentes ſerio præcipiant 14 filio, ut *non* ingrediatur Religionem, attamen *poteſt* illam licite ingredi, ſaltem ſi parentes non ſint in *gravi* neceſſitate conſtituti, ut docet S. Th. *2. 2. q. 189. a. 6.* ergo non eſt obligatio obediendi parentibus etiam *ſerio* præ-

præcipientibus (: quoad *electionem* ſtatus præſertim religioſi c. nam quoad *hanc* eſt ſui juris; quoad alia n. :) *Vid.* P. Sporer *à n. 19.* Reiffenſt. *n. 9.* &c.

15 Ob. ult. inſt. Si filius vult inire matrimonium tenetur ſaltem ſub *veniali* requirere conſilium parentum injuſte non obſiſtentium (: ita ut obligetur *ſequi* illud conſilium n. ut non obligetur c. Nam in *electione* ſtatus & maxime *matrimonii*, filii ſunt ipſo jure naturæ liberi, & nemini ſubjiciuntur.. Unde *probabiliter* non peccant mortaliter, etſi diſſentientibus & *contradicentibus* parentibus ineant matrimonium etiam cum *indignis*, ut docet P. Sporer *n. 27.* Kimpfler *caſ. 77.* :) ergo & ſi vult inire Religionem (: n. c. Quia in *hac* non ſunt tot pericula, velut in matrimonio :) Hæc de obligatione filiorum erga parentes. Jam viciſſim

16 Quæres 1. Quænam ſit obligatio *parentum* erga filios? ℞. Parentes obligantur exhibere filiis certa *charitatis* ſigna; & quidem inprimis tenentur eos educare & *alere*; quod primo triennio præcipue ad matrem ſpectat (niſi forſan foret periculum perverſionis; tunc enim pater poteſt petere filium etiam triennio minorem *c. 2. de converſ. infid.*) poſtmodum autem ad patrem uſque ad emancipationem. *l. nec filium. cod. de patr. pot.* niſi mater dives ſit, & pater pauper; tunc enim etiam poſt triennium ſpectabit ad matrem alere filium. Inſuper *tenentur* diligentiam ſaltem *mediocrem* adhibere, ut illis relinquant *ſuffi-*

cien-

tientem hæreditatem ad vitæ *ſuſtentationem*; vel certe ita dirigant filios, ut ipſi per *artem* aut ſcientiam ſibiipſis providere queant de neceſſariis. Deinde tenentur illos *inſtruere* vel per 17
ſe vel per alios in neceſſariis ad ſalutem, ad bonos mores inducere, à peccatorum occaſionibus avertere. Et demum quoque relinquere *libertatem* circa *electionem* ſtatus, ita ut eum eligere ſinant, ad quem ſe à DEO vocatos cognoverunt. Nam ſi absque juſta cauſa filios impediant ne Religionem ingrediantur, aut econtra invitos ad illam adigant, graviter peccare poſſunt. Reiffenſt. *n.* 19. Sporer *à n.* 38.

Quæres 2. Quænam ſit obligatio *Superiorum* erga ſubditos, & econtra? ℞. Quia in 18
quarto præcepto nomine *parentum* intelliguntur quoque illi omnes, qui quamdam *ſuperioritatem* in nos habent ſive deinde *illa* ſit ſpiritualis ſive temporalis, ideo illa, quæ diximus de obligatione *filiorum* erga parentes, & parentum erga filios, ſervata debita proportione, etiam intelligenda ſunt de quibuscunque *ſubditis*, quod nempe *hi* ſuis Superioribus aliquam debeant (quoties recta ratio & prudentia id poſtulat) reverentiam, amorem, & obedientiam: econtra *Superiores* tenentur ad diligenter gerendam ſibi ſubditorum curam tam in temporalibus quam ſpiritualibus, prout cujuscunque officium & conditio poſtulat. Totam hanc *Superiorum* erga ſubditos, horumque erga ſuperiores obligatio-

tionem, paucis complectitur Apoſtolus *ad Hebr. c. 13.* ſcribens: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, QUASI RATIONEM PRO ANIMABUS VESTRIS REDDITURI.* Qui plura de his deſiderat, videat P. Sporer *tr. 3. c. 5. ſ. 1. 2. a. 3. & 4.* ſubi materiam hanc uti fuſiſſime ita & ordinatiſſime proſequitur.

ARTICULUS III.

Quænam præcipiantur vel prohibeantur quinto Decalogi præcepto? ubi præcipue: an, & quando liceat occidere nocentem?

19 PRænot. 1. Nunc ſequi ea præcepta Decalogi, quæ quoad verba negativa ſunt, ſeu quatenus expreſſe prohibetur injuſta læſio proximi, aut bonorum illius. Quia autem inter bona hominis primum locum obtinet *vita*, ideo in quinto præcepto primitus prohibetur *hujus* læſio per verba illa: *Non occides Exod. 20.* Vi cujus prohibitionis inprimis ſeveriſſime à DEO interdicitnr non tantum homicidium injuſtum, *opere* conſummatum (eo quod hoc ſit ultimum & ſummum damnum in corpore) aut quæcunque *injuſta* læſio corporalis (ut eſt *mutilatio* vel vulneratio) ſed etiam *interior* deliberata *voluntas* occidendi, vel lædendi proximum ex iracundia; ve-

velut Chriſtus ipſe docet *Matth. 5.* & S. Th. *2. 2. q. 158. a. 3. ad 2.* Inſuper hoc quinto præcepto prohibetur quodcunque *convitium*; item quilibet *iræ* motus, præſcriptum à ratione modum excedens, uti & quilibet injuſtus *vindictæ* appetitus, etiamſi neque actu, neque verbo ullo, aut ſigno exteriore prodatur; prout colligitur ex loco citato.

Prænot. 2. Dubium proinde ſupereſſe, 20 quænam homicidia hoc præcepto prohibeantur? Ubi certum eſt, quod, cum homo non ſit dominus, ſed tantum cuſtos vitæ ſuæ, nunquam licitum ſit ſeipſum *directe occidere*, & per *propriam* authoritatem. Martyres, qui *ſeipſos* occiderunt, fecere id vel ex Divina inſpiratione, vel ex inculpata ignorantia. Quodſi damnato *ad mortem* præcipiatur, ut exequatur in ſe ſententiam, v. g. venenum, bibat, venam ſibi aperiat, ſe in ignem conjiciat &c. *poteſt* quidem, ſi velit, illa facere, uti poteſt in ſe exequi pœnam exilii, at facit authoritate *publica*; quia tunc conſtituitur miniſter publicus necis ſuæ: Interim tamen talia facere non tenetur; quia præcipi non poteſt, ut aliquis agat carnificem ſui ipſius, ut docet P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 781.* Dixi prius, *directe*: quia indirecte quandoque licet ſe occidere, hoc eſt, aliquid facere vel omittere, ex quo *præter* intentionem mors certo ſequatur, nam præceptum conſervandi vitam (utpote affirmativum) non ſemper obligat, ſed poteſt omitti propter bonum ſi-

nem, neceſſitatem vel magnam utilitatem. Caſus plures exhibet P. Buſenbaum *l. 3. tr. 4. c. 1. d. 1.* & P. Reiffenſt. *tr. 9. diſt. 3. q. 2. n. 11.*

21 Prænot. 3. Pariter certum eſſe, & quidem de fide contra Manichæos & Waldenſes, maleficos & *nocentes* licite occidi. Ratio eſt: quia talis occiſio ad defenſionem & conſervationem reipublicæ neceſſaria eſt. *Hæc* poteſtas tamen competit ſolis perſonis *publicis*; iſti enim ſoli, quibus cura & adminiſtratio boni communis incumbit, ſunt *DEI miniſtri*, ut loquitur Apoſtolus, *& in iram maleficorum gladium portant.* Hinc homini *privato* occiſio malefactoris nunquam eſt licita, niſi talis malefactor eſſet homo proſcriptus ſeu *Bannitus*, ut vocant; *hic* enim occiditur ex poteſtate *publica.* Econtra quoque certum eſt, *innocentem* nullo caſu licite poſſe *directe* occidi: quia nemo eſt dominus alterius vitæ, ne quidem ipſa Reſpublica. Qualiter *indirecte* fieri poſſit, decidimus in Theol. noſt. Schol. *Part. 5. n. 554.* Ex qua

22 Prænot. 4. Nos ibi ad famoſam illam quæſtionem *an Judex poſſit condemnare nocentem ſecundum allegata & probata, quem novit innocentem ex privata ſcientia?* reſpondiſſe, & adhuc reſpondere *negative.* Ratio præcipua eſt: quia in caſu poſito judex occideret *innocentem*, etiam in foro *externo* (ut præveniam effugio aa.) nam in *hoc* nemo reus eſt, quando allega-

23 ta & probata ſunt falſa. Et quidem occideret *directe*; quia ejus ſententia *immediate* tende-

deret in mortem innocentis (non enim poteſt tendere directe in obſervationem ordinis juris (quoniam contra jus naturale non datur ordo juris) ergo *talem* nunquam poteſt licite condemnare; quia condemnare *innocentem* eſt *intrinſece* malum. Sic quia *mentiri* eſt intrinſece malum, in nullo caſu poteſt fier licitum. Rationes plures ſubminiſtrabit *cit. noſt. Theol. Schol. à n. 557*. Quæſtio reſolvenda ſupereſt num ſaltem *nocentem* occidere ſit licitũ *privata* authoritate, dum nos *injuſte* aggreditur lædendo bona *corporis*, *fortunæ*, aut *animi*, loco reſolutionis ſit

CONCLUSIO I. Ad ſervanda bona *corporis*, vitam nempe & membra, licitum eſt occidere injuſtum aggreſſorem, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, nimirum ut defendens non *plus* agat, quam ad defenſionem opus ſit. Eſt communis ex S. D. *2. 2. q. 64. a. 7. &c.* 24

Probatur: Ex jure naturæ & charitatis quivis poteſt vitam ſuam *præferre* alienæ: ergo licite poteſt vim *injuſtam* propriæ vitæ illatam vi repellere, ſicque injuſtum aggreſſorem occidere. Præſertim: quia *jura*, dum talem occiſionem permittunt, cenſentur authoritate *publica* quemlibet conſtituere executorem *defenſionis* ſuæ neceſſariæ: ergo. Idem eſt de *mutilatione* apud la Cr. *l. 3. p. 1. num. 814.* Interim tamen ad *hanc*, non tenetur, ſed ex charitate poteſt pati injuriam & mor-

tem, prout oſtendit P. Sporer *tr. 5. c. 2. ſ. 3. n. 141. & ibi citati.*

25 CONCLUSIO II. Etiam ad ſervanda bona *fortunæ*, ſi ſint notabiliter *majora*, quam alias requiritur ad furtum mortale; licitum eſt injuſtum aggreſſorem taliter occidere. *Ita communis DD. ex c. dilecto. de ſent. excomm. in 6. &c.*

Probatur: Bona fortunæ ſunt neceſſaria ad conſervandam *vitam*: ergo ſi ad defenſionem *hujus* poteſt occidi injuſtus aggreſſor, pariter occidi poterit ad defenſionem *illorum*, pariter tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ. Præcipue: quia alioquin *improbis* daretur anſa impune graſſandi in quovis, bonaque licentius auferendi, probis ſingulariter. Quæ ratio probat, id etiam licere *clericis*, & *Religioſis* quia & hi à natura habent jus conſervandi propriam vitam juxta dignitatem ſtatus ſui. P. Sporer, *hic n. 142. 155.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 809.*

26 CONCLUSIO III. Ad defendenda bona *animi*, nominatim ad defendendam *famam* & *honorem*, non eſt licitum occidere injuſtum aggreſſorem: bene tamen ad defendendam propriam pudicitiam. *Rurſus communis Theologorum modernorum.*

27 Prob. 1. pars: Innocentius XI. damnavit hanc 30. propoſitionem: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel*

fuſte

fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel fuſtis ictum fugiat: ergo ſententia nuper docens, ad defenſionem famæ & *honoris* licitum eſſe occidere aggreſſorem, amiſit ſuam probabilitatem. Maxime: quia talis occiſio infamatoris aut inhonoratoris non eſt certum *medium* conſervandi famam & honorem: imo ſæpe minuit. Ad hæc: talis defenſio eſſet in certam & maximam perniciem Reipublicæ; nam quisque ex invidia, aliove affectu malo, ſibi facile fingeret, ab hoc vel illo imminere proximum periculum infamiæ, & inhonorationis. Accedit: quod occiſio *privata* nunquam ſit licita, niſi ad defenſionem rei, quam *aliter* conſervare non potes; nam alioquin non erit inculpata defenſio, ſed vindicta, privato ſemper illicita: fama autem & honor poſſunt *aliter* conſervari, aut reparari, nempe per viam *juris*, retractationem &c. ergo.

Prob. 2. pars: *Pudicitia* & integritas eſt 28
bonum longe *præſtantius* quam bona fortunæ: ergo ſi pro conſervatione *horum* poteſt occidi aggreſſor, etiam poterit occidi pro conſervatione *illius*. Præcipue: quia talis perſona eſt in graviſſimo periculo conſenſus; & quia integritas ſemel *amiſſa* nunquam recuperari poteſt fama & honor &c.

Objicies 1. cont. 1. concl. Vindicta homi- 29
ni *privato* nunquam eſt licita: atqui occiſio aggreſſoris injuſti eſt ſpecies *vindictæ*; ergo. m. p. Taliter ſe defendens propter factam

aggreſſionem tendit *directe* in necem alterius (: ℞. d. *per ſe* abſolute tanquam *in finem*, & *quatenus* eſt *malum* proximi n. *per accidens*, & quatenus eſt *medium* neceſſarium ad juſtam ſui defenſionem, & quatenus eſt bona defendenti c. :) ergo. Deinde: ſtante hac ſententia poſſem prævenire occidendo (: ſi in *actuali* approximatione periculi nequeam aliter evadere c. nam illa tanta propinquitas periculi eſt *moraliter* actualis aggreſſio: ſecus n. :) quod iterum non videtur admittendum: ergo. *Vid.* P. Sporer *n. 136. 150.* P. Pichler *l. 5. t. 12. n. 2.*

30 Inſtas: Aggreſſor injuſtus eſt in *certo* periculo æternæ damnationis; ergo non poteſt occidi. c. p. Charitas proximi exigit, ut quis ſalutem alterius præferat jacturæ vitæ temporalis (: ſi proximus ſeipſum non poſſit juvare c. ſecus n. ſi enim aggreſſor non *deſiſtat* ab injuria, tunc damnatio evenit ex *propria* malitia :) Imo Chriſtus jubet percutienti maxillam præbere alteram (: ex *præcepto* n. ex *conſilio* c. :) ergo.

31 Ob. 2. In tali periculo conſtitutus plerumque poteſt evadere *fugiendo*; ergo ſaltem tunc non poteſt occidere aggreſſorem (: ſi *fugiendo* non incurrat gravem ignominiam, aut æquale periculum c. ſecus n. Quippe ſi aggreſſus nolit fugere, utitur jure ſuo :) c. p. Occiſio tunc non eſt neceſſarium medium defenſionis (: abſolute c. *ex ſuppoſitione*, quod invaſus velit uti *jure* ſuo ad non fugiendum n.

Ete-

Etenim *ante* invaſionem non habuit obligationem fugiendi; ergo nec *poſt* illam; adeoque non fugiendo non peccat contra juſtitiam :) ergo. P. Mezger *n. 14.*

Repones: Aggreſſor ſæpe eſt ebrius aut amens; ergo ſaltem non licet occidere talem. 32
c. p. Talis, eo ipſo quod careat *ratione*, non eſt aggreſſor *injuſtus* (: ex parte *ſua* t. ex parte *cauſæ*, quia ſc. me *ſine* juſta cauſa vult occidere n. Nam talis adhuc infert injuriam *materialem* graviſſime damnoſam, quam jure repellere poſſum :) ergo. Inſuper: aggreſſor frequenter non intendit occidere, ſed ſolum mutilare: ergo non poteſt occidi ſed tantum mutilari (: n. c. Quia mutilatio gravis utique eſt majus malum quam *ereptio* bonorum fortunæ, ob *quam* poteſt fieri occiſio :) *Vid.* P. la Cr. *n. 814.*

Ob. 3. cont. 2. concl. Innocentius XI. 33
damnavit hanc ordine 31. propoſitionem: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Item hanc 32. ordine: *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus*: ergo non licet occidere aggreſſorem ad conſervanda bona fortunæ (: ſi *non* ſint notabiliter *majora* quam aureus, qui ad furtum mortale ordinarie ſufficit c. ſi ſint notabiliter majora n. Hinc concluſioni limitatio addita eſt. His non attentis, ſi fur violenter & cum *rapina* de manibus viri honeſti vel crumena tentaret

aureum rapere, vel ſpoliare eum veſte, pallio, aut gladio, poſſet *raptor* talis occidi, ſi alia via non ſupereſſet: quia damnatio propoſitionis cadit *ſolum* ſupra malitiam *furti*, non ſupra malitiam *violentiæ* ignominioſæ: ait P. Sbogar *tr. 84. n. 36.* :)

34 Urgebis: *Exodi 22.* permittitur occidi ſolus fur *nocturnus*: ergo non poterit occidi *diurnus* (: ſi *hic* ſine occiſione ſe permittat abigi c. ſecus n. :) Rusſus S. Auguſtinus *l. 1. de lib. arbit. c. 5.* expreſſe ait: *à peccato liberos non eſſe, qui pro rebus, quas contemni oportet, id eſt, quas homines inviti amittere poſſunt, humana cæde polluuntur* (: ſi invaſor occidatur ex *odio*, vel *non* ſervato *moderamine* inculpatæ tutelæ c. ſecus n. Alioquin ne quidem licebit occidere pro defendenda *vita* ſua, cum etiam *hanc* inviti amittere poſſimus :) ergo.

35 Ob. 4. Vita proximi eſt *ſuperioris* ordinis & longe æſtimabilior, quam *bona* fortunæ: ergo *his* præferenda eſt (: ſemper n. quando verſatur in neceſſitate c. Invaſor autem in neceſſitate non eſt, ſed me injuſte vult conjicere in illam: ergo me juſte defendo eo quo poſſum modo: nam *inæqualitas*, quæ eſt inter rem & vitam, favore innocentis & raptoris odio compenſatur :) P. la Cr. *n. 812.* P. Pichler *l. 5. t. 12. n. 3.*

36 Ob. 5. Injuſtum aggreſſorem non poſſunt occidere *Clerici* & Religioſi: ergo concluſio univerſaliter non eſt vera. a. p. Fierent irregulares (: ſi excederent moderamen incul-

pa-

patæ tutelæ c. ſecus n. *His* enim facultas defendendi bona ſua de jure naturæ competit, neque jure Eccleſiaſtico ſublata eſt, nec *renuntiarunt* juri, quod habent ad bona ſua, quibus etiam ad vitam indigent; ergo poſſunt illa defendere ut laici ſine periculo irregularitatis, prout ceu probabile refert P. la Cr. *l. 7. n. 526.* & aperte docet P. Sporer *hic n. 171. & 178.* :) ergo.

Ob. 6. cont. 3. concl. Fama & honor ſunt bonum pretioſius quam *bona* fortunæ: ergo ſi propter *horum* conſervationem poteſt occidi aggreſſor, quoque poterit occidi propter conſervationem famæ & honoris (: n. c. Quia etſi fama & honor etiam actu lædantur, facile reparari poſſunt per viam juris :) *Vid.* P. Mezger *tr. 12. d. 37. n. 12.* 37

Ob. 7. cont. 2. part. Ordine charitatis *vita* & *ſalus* proximi etiam integritati virginali præferenda eſt (: ſi poteſt fieri *ſine* peccato vel ejus *periculo* c. ſecus n. :) ergo violentum aggreſſorem pudicitiæ occidere non expedit (: id eſt non eſt licitum n. id eſt opprimenda *non tenetur* occidere ſubd. ſi non eſt periculum conſenſus c. ſecus n. Enim vero *ſi invitam juſſeris violari; caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* ait S. Lucia in Breviario :) 38

Quæres 1. An injuſtum aggreſſorem occidere quoque liceat pro defenſione *alienæ* vitæ, bonorum, & pudicitiæ? ℞. Affirmative: quia licitum eſt defendere innocentem, & quo jure aliquis poteſt defendere *ſeipſum*, eo- 39

dem poteſt defendere *proximum*, ſibi naturæ & charitatis nexu conjunctum; ſemper tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nihilominus ad occidendum invaſorem *non* eſt obligatus: quia non eſt obligatio occidendi invaſorem pro *propria* vita conſervanda; ergo multo minus pro conſervanda *aliena* &c. P. Mezger *n. 6.*

40 Quæres 2. Utrum liceat acceptare duellum? ℟. Nunquam, per ſe & *directe*: quia duellum eſt prohibitum ſub excommunicatione, veluti conſtat ex *Trid. ſ. 25. de refor. c. 19.* & decretis plurium SS. Pontificum, propter maxima damna, quæ inde conſequuntur: ergo nunquam acceptari poteſt, etiamſi interveniat aliqualis ignominia; velut iterum certum eſt ex propoſitione 2. damnata ab Alexandro VII. *Vir equeſtris ad duellandum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* De quo plura in compendio offeret P. Pichler *l. 5. t. 14.* in abundantia P. Sporer *à n. 183.* P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *tr. 9. diſt. 2. q. 3. ſub num. 45.* unanimiter admittentes, licitum eſſe duellum, quod quis acceptat, vel etiam offert non præciſe ad declinandam ignominiam, ſed etiam ad conſervandum officium ad ſuam & familiæ ſuſtentationem neceſſarium, ſi alia via non ſuperſit: quia ſic eſt tantum defenſio contra iniquum aggreſſorem bonorum fortunæ maximi momenti.

41 Quæres 3. Quid ſit ſentiendum de iis legibus

gibus juris Civilis *l. patri 20. ff. ad leg. Jul. de adult-* 41
l. ſi adulter & l. marito. quæ marito permittunt, in continenti occidere adulterum cum ſua uxore vel filia in actuali peccato deprehenſum? ℞. Illas non favere in foro *interno*, prout expreſſe declarat Nicol. I. *in c. inter hæc 33. q. 2.* Ratio eſt: quia talis occiſor faceret id vel *propria* authoritate? & ſic eſſet ſpecies vindictæ: vel *publica?* hoc autem non poteſt præſumi: cum *nec* ipſe *judex* poteſtatem habeat in *continenti* reum puniendi, nullo ſervato juris ordine &c. Unde tales leges tantum permittunt in foro externo *indemnitatem* à pœna alias ſubeunda, ut ſic juſtus dolor mariti aut patris mitigetur, ac ſimul ſimiles hirci ab hujusmodi criminibus magis deterreantur, ſi noverint, ſe poſſe in foro externo impune à marito aut patre ſuperveniente trucidari. *Vid.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 787.* P. Sbogar *tr. 89. c. 1. à n. 7.*

Quæres ult. Quænam homicidia conti- 42
neant malitiam *ſpecialem*? ubi præſciendum, quod homicidium generatim aliud ſit *ſimplex*, aliud *qualificatum.* Hujus poſterioris generis eſt occiſio parentum, aut perſonarum propinquarum; & vulgo *Parricidium* appellatur. Item Homicidium *ſacrilegum*, *proditorum*, & ſi quod eſt aliud, ſpecialem malitiæ qualitatem, ſive circumſtantiam includens, quæ non reperitur in ſimplici homicidio. Jam

℞. Homicidium, quo occiditur perſona

con-

conſanguinea vel *affinis*, habet *ſpecialem* malitiam in confeſſione explicandam: quia non tantum eſt contra *juſtitiam*, ſed etiam contra *pietatem* noſtris conſanguineis & affinibus debitam. Idem eſt de homicidio qua occiditur perſona *ſacra*, vel etiam laica in loco ſacro: quia tunc inſuper peccatur contra virtutem *religionis*. Item ſi *parens* procuret abortum fœtus animati; quæ animatio ſolet contingere circa trigeſimum à conceptione diem, ex Phil. noſt. *part. 3. n. 314.* ubi ſi procurans ſit clericus, præter excommunicationem & irregularitatem incurrit privationem *Beneficii*, ſi quod habet; ſi non habet, ſit ſaltem inhabilis ad aliquod acquirendum.
43 Reiffenſt. *n. 36.* Cæterum *directe* procurare abortum, etiamſi fœtus nondum animatus ſit, nunquam eſt licitum; quia ſi ſemel conceditur, directam procurationem abortus non eſſe intrinſece illicitam, tunc erit honeſtabilis non tantum propter graviſſimam neceſſitatem vitæ, ſed etiam *famæ* & *honoris*, ſimilisque gravi damni; quod tamen damnatum eſt ab Innocentio XI. in hac 34. propoſitione: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

Interim licitum eſt ſumere medicinas directe & ex natura ſua ſolum ordinatas ad ſanitatem, etſi indirecte & conſequenter deſtruatur fœtus. Similiter licitum eſt fœtum jam corruptum ob ſanitatem ſervandam directe

abi-

abigere; quia tunc non amplius habet rationem fœtus ſed molæ & maſſæ malignæ. *Vid.* P. Sporer *Theolog. Sacr. part. 4. c. 4. n. 702.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. à n. 822.* P. Placidus Böckhn *l. 1. t. 32. à n. 18.* Quæ & quanta ſit obligatio reſtituendi pro homicidio & mutilatione, commodius decidetur infra *n. 255.*

QUÆSTIO II.

DE SEXTO ET SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

ARTICULUS I.

Quid prohibeatur ſexto præcepto? & utrum ibi detur parvitas materiæ?

PRænotandum 1. Sexto Decalogi præcepto, quod *Exod. 20.* his verbis exprimitur, *Non mœchaberis*: non ſolum prohiberi adulterium (quod proprie *mœchia* dicitur) ſed quoque omnem illicitum concubitum, & inordinatum actum in materia venerea ſeu *caſtitati* oppoſita. Eſt autem caſtitas ſpecies temperantiæ, quæ *moderatur inordinatum appetitum uſumque venereorum.* Generatim eſt duplex, nempe *perfecta* (quæ ab omnibus voluptatibus carnis, etiam licitis, *perpetuo* abſtinere proponit) & *imperfecta* 44

quæ

quæ id ad *tempus* duntaxat proponit; vel ſolum intendit abſtinere ab illicitis, ſed uti licitis moderate, prout ſit in matrimonio. Hinc caſtitas alia eſt *conjugalis*, alia *vidualis*, alia *virginalis*. de quibus S. Auguſt. *lib. de viduit.* ait: *bona eſt pudicitia conjugalis; melior vidualis, & optima virginalis.*

45 Porro *virginitas* à cit. S. Aug. *l. de S. Virgin.* deſcribitur, quod ſit in *carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio*: adeoque duo involvit, ſc. *integritatem* corporis, & propoſitum ſervandi *hanc* in perpetuum. Amittitur *formaliter* per peccatum contra caſtitatem quodcunque, etiam præciſe internum (& taliter amiſſa virginitas adhuc eſt recuperabilis per pœnitentiam ex S. Th.) *materialiter* autem per fornicationem aut pollutionem *voluntariam*, & taliter amiſſa recuperari non poteſt, licet (quoad ſtatum) coram facie Eccleſiæ maneat virginitas, quamdiu clauſtrum virginitatis non eſt violatum, in puella, ab extrinſeco; in maſculo autem per copulam carnalem. *Vid.* P. Sporer *tr. 5. in append. ad 6. & 9. præcept. n. 5.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 917.*

46 Prænot. 2, Caſtitati opponi *luxuriam*, quæ *eſt inordinatus appetitus vel uſus venereorum*, ut jam diximus ſupra *n. 44.* Ejus ſpecies ſunt ſeptem, nimirum ſimplex *fornicatio*, *adulterium*, *ſtuprum*, *inceſtus*, *raptus*, *ſacrilegium*, & *vitium contra naturam*; quod ſubdividitur in *mollitiem*, *beſtialitatem*, *ſodomiam*, ac *indebitum*

bitum

bitum concumbendi *modum.* De quibus curſim dabimus neceſſaria , ut via adeo lutulenta quam citiſſime expediamur. *Fornicatio ſimplex* eſt peccatum luxuriæ , quo ſolutus cum ſoluta per carnalem commixtionem peccat : quæ ſi *frequenter* fiat , & quidem cum perſona *cohabitante* , dicitur *concubinatus.* Eſtque vel *perfecta*(ſi fiat cum immiſſione ſeminis; quod ſupponitur , nec explicari debet quo *modo* factum ſit) vel *imperfecta* , ſi fit *ſine* illa immiſſione aut emiſſione ſeminis: quod ultimum ſpecialiter in confeſſione explicari debet ; quia reducitur ad peccatum *mollitei* , cum affectu fornicario conjunctæ ; adeoque ſpecie diſtinguitur à fornicatione perfecta. Fornicatio cum ſponſa *alterius* non addit mali- 47
tiam diſtinctam, ex *part. 4. n. 781.* nec cum hæretica ; aut etiam *infideli* ; ſiquidem hoc nullo jure probetur : nec obeſt , quod cum infideli non poſſit contrahi *matrimonium*; nam in *hoc* eſt major conjunctio, quam in acceſſu fornicario. Reiffenſt. *n. 15.* Adulterium ex S. Th. *2. 2. q. 154. a. 8.* eſt acceſſus *ad torum alienum* ; ſeu ut loquuntur Canoniſtæ ; *alieni tori violatio.* Si maritus cum ſoluta vel uxor cum ſoluto commiſceatur , vocatur adulterium *ſimplex* : ſi vero utraque pars delinquens eſt in conjugio , *duplex* appellatur. Omne adulterium præter peccatum *luxuriæ* involvit quoque peccatum *injuſtitiæ* , non obſtante , quod forſan maritus conſentiat in copulam conjugis cum alio ; nam contrariam propoſitio-

tionem damnavit Innocentius XI. De reſtitutione ob *hoc* videatur *n. 262.* Quoad tertiam ſpeciem

48 Prænot. 3. *Stuprum* ſumi tripliciter. 1. *Latiſſime*, pro ſimplici fornicatione, dum ſolutus concumbit cum ſoluta jam *deflorata*, & ad matrimonium non impedita. 2. *Strictius* pro defloratione *virginis*, ſed conſentientis. 3. *Strictiſſime*, pro ſuppreſſione virginis invitæ; & hæc *ſpecie* diſtinguitur à fornicatione ſimplici; quia non eſt contra ſolam *caſtitatem* ſed etiam contra *juſtitiam*; eo quod gravis injuria fiat virgini, quæ jus habet integritatem ſuam ſervandi illibatam. De reſtitutione ob hanc dicetur *n. 258.* *Inceſtus* eſt concubitus inter perſonas conſanguineas vel affines in eo gradu, in quo matrimonium nequeunt contrahere: eſtque eo gravius peccatum, quo *gradus* eſt propinquior, & continet *duo ſpecie* diſtincta peccata, unum contra *caſtitatem*, & alterum contra *pietatem* ob reveren-

49 tiam ſanguinis & conjunctionis. Inceſtum committens cum *conſanguinea* uxoris in *primo* vel *ſecundo* gradu, amittit *jus* petendi debitum; non tamen ſi peccet cum muliere affine uxori ſuæ, aut cum conſanguinea *ſua*. In confeſſione ſufficit dicere, *commiſi inceſtum*: nec opus eſt explicare; an commiſſus ſit in *conſanguinitate* vel *affinitate* (quia unus inceſtus non diſtinguitur ſpecie morali ab altero; cum ex *eodem* motivo & fine prohibeantur, nimirum ut ſervetur *honor* & *reverentia* inter cer-

certas perſonas) vel in quoto *gradu?* quia gradus hi *omnes* quoque non diſtinguuntur ſpecie; ſiquidem omnes ſint *contra* eamdem virtutem pietatis & reverentiæ *conjunctis* debitam. Reiffenſt. *n. 47. in addit.* Sporer *Theol. Sacr. p. 4. c. 3. ſ. 3. n. 609.*

Prænot. 4. *Raptum* tunc dici proprie, 50
quando perſona aliqua abducitur (nam quando *domi* violatur, eſt *ſtuprum*) per vim (ſi enim *ſponte* diſcederet, raptus non foret) ad libidinem explendam, vel ad matrimonium *contrahendum*, in *quo* caſus raptus eſt impedimentum dirimens matrimonii; de quo in *Part. 4. tr. de mat. n. 905.* & incurritur excommunicatio ipſo facto, & infamia, cum obligatione dotandi raptam ſive ducatur, ſive non. *Trid. ſ. 24. c. 6. de reform. mat.* Sacrilegium prout hic ſumitur eſt quodvis peccatum carnis factum à perſona, vel cum perſona habente *votum caſtitatis.* Adeoque in confeſſione explicari debet perſona quæ peccavit, & cum qua peccavit, ut & res ſacra, qua forſan abuſus eſt. Sufficit tamen fateri, ſe peccaſſe *contra* votum caſtitatis; nec opus eſt addere, an habeat votum *ſolemne* vel *ſimplex* &c. quia cum opponantur eidem virtuti Religionis inter ſe ſpecie non diſtinguuntur. *Vid.* P. Sporer *l. c. ſ. 4. n. 618.* Babenſt. *tr. 5. d. 7. a. 2. n. 87.* Peccatum *contra naturam*, 51
eſt actus luxuriæ, in quo contra ordinem naturæ non poteſt fieri conceptio. Prima hujus ſpecies eſt *mollities*, quæ eſt peccatum

contra naturam, per quod *voluntaria pollutio* ſeu ſeminis effuſio quæritur, *absque* omni concubitu. Eſt idem peccatum ſive *foras* effundatur (uti fit in maribus) ſive *intus* diffluat in matricem (prout ordinarie contingit apud fœminas, quod facile ſentiunt; non tamen niſi in genere quæri debent ordinarie, an nihil *aliud* ſimul contigerit, dum fatentur tactus &c.) etſi quandoque per motus valde enormes quoque exterius effluat. *Vid.* P. Kreſslinger *apud* P. Reiffenſt. *ſub n.* 44. 49. Quoad cæteras ſpecies

52 Prænot. 5. *Beſtialitatem* (quæ eſt ſecunda ſpecies peccati contra naturam) tunc committi, quando concumbit quis cum re *animata non ejusdem ſpeciei* cum homine. Eſt peccatum graviſſimum, & in foro externo punitur merito pœna mortis & combuſtionis. Non variatur ſpecie ex eo, quod committatur cum *animalibus* ſpecie diſtinctis; eoquod omnia conveniant in ea ratione, quod non ſint ejusdem ſpeciei cum homine. Concubitus cum *dæmone* huc quoque ſpectat (quia etiam dæmon eſt diverſæ ſpeciei ab homine) qui propter *ſocietatem* cum dæmone inſuper continet malitiam *irreligioſitatis* & ſuperſtitionis, uti & *alias* malitias ex parte affectus, ut ſiquis coëat cum dæmone in forma mulieris affectu *fornicario*, adulterino &c. *Sodomia* eſt peccatum contra naturam, quo ex affectu ad *indebitum* ſexum vir concumbit *cum viro*, vel fœmina cum fœmina. Alia eſt *perfe-*
53
ct,

cta, quando coëunt duo ejusdem ſexus, alia *imperfecta*, quando quidem ſervatur diverſitas ſexus, non tamen vas naturale, ſed coitus fit in parte *non* ordinata ad generationem; vel ſi fiat in vaſe naturali, ita fit, ut *impediatur* generatio, & tunc eſt indebitus *concumbendi modus*. Quæ quatuor peccata contra naturam inter ſe diſtinguuntur *ſpecie*: quia licet opponantur *eidem* virtuti caſtitatis, tamen *ipſi* opponuntur ſecundum *diverſam* ſpeciei rectitudinem. Jam de his ſpeciebus luxuriæ *conſummatis* quæritur qualia peccata ſint: & an non in illis detur parvitas materiæ? de *non-conſummatis* (in quibus nempe non fit effuſio ſeminis) aliquid dicetur *à n. 67.*

CONCLUSIO: Non tantum luxuria 54
ſed quoque *omnes* ejus *ſpecies* ſunt peccata graviſſima: nec datur *parvitas materiæ* in re venerea. Ita *DD. omnes.*

Prob. 1. pars: Luxuria & omnes ejus 55
ſpecie *directe* opponuntur *virtuti* caſtitatis, adeoque ſunt maximus *exceſſus* circa rem ad bonum *commune*, ſc. ad conſervandam propagandamque ſpeciem humanam, maxime neceſſariam: ergo ſunt peccata graviſſima. Nam *fornicatio* eſt contra bonum prolis; quia tollit certitudinem *patris*, qui ad educationem maxime neceſſarius eſt: *Adulterium* infert conjugi innocenti & ſtatui matrimoniali inſuper novam & *ſpecialem* malitiam *injuſtitiæ*: *ſtuprum* autem virgini *invitæ*: Inceſtus ſuperaddit ſpecialem malitiam contra pietatem;

Raptus malitiam abductionis *violentæ*: *Sacrilegium* contra *religionem*: & demum peccata *contra naturam perverſionem* ordinis à natura præſcripti; ergo.

56 Prob. 2. pars: Si daretur *parvitas materiæ* in re venerea, hæc maxime deberet dari in delectatione *carnali*: atqui in hac non datur, juxta propoſitionem 40. ab Alex. VII. damnatam, quæ ita ſonat eſt *probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob ſolam delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & polutionis*; ergo. Ratio eſt: quia omnis delectatio *venerea* & libidinoſa ex natura ſua *ordinatur* ad copulam ſeu ſeminationem, imo reipſa (ut docet Galenus) eſt ipſiſſima inchoatio pollutionis; cum ſit commotio ſpirituum genitalium: ergo ſicut velle ipſam copulam ſeu ſeminationem ſolutis ſemper eſt peccatum *mortale*, ita & *tale* ſemper eſt velle delectationem *veneream*. Sporer *tr. 1. c. 5. n. 18.* La Cr. *l. 3. n. 910.* Reiffenſtuel *tr. 9. q. 1. diſt. 4. n. 87.* Imo etiam præſcindendo à commotione ſpirituum genitalium; delectatio venerea tamen eſt peccatum mortale, ut habet S. Th. *1. 2. q. 74. a. 8.* quia adhuc eſt de objecto graviter malo (eoipſo quod in materia venerea non detur parvitas materiæ) ergo. *Vid.* La Cr. *l. 3. p. 1. n. 892.* Nihilominus

57 Objicies 1. cont. 1. part. Procuratio pollutionis quandoque videtur licita; ergo

non

non eſt peccatum adeo magnum. a. p. Emiſſio ſanguinis, imo & amputatio cujuscunque membri, eſt licita pro conſervatione vitæ: ergo & emiſſio ſeminis (: R. n. c. & c. Quia ſemen eſt inſtitutum ad propagationem *ſpeciei* duntaxat; conſequenter ejus uſus non eſt licitus niſi ob dictum finem in legitimo matrimonio: econtra ſanguis & omnia membra ſunt ordinata ad conſervationem *individui*, ergo ſi opus ſit, poſſunt emitti & abſcindi, præſertim quia hoc fieri poteſt ſine delectatione intrinſece mala; non item emiſſio ſeminis. Interim tamen licitum eſt, dare pharmaca, quibus ſemen in ſanguinem vel alium humorem convertatur, vel corruptum expellatur ſine illo impetu, quem natura ad generationem prolis inſtituit. Videatur Pars prima *à n. 342.* ubi reſolvimus *quasnam* cauſas pollutionis, aliorumque motuum inordinatorum vitare teneamur. Pollutionem *involuntarie*, v. g. in ſomno ortam permittere, ſecludendo omnem affectum ad eam, ac cæteroquin ſe habendo *negative*, eſſe licitum docet P. Sporer *Theol. ſacr. part. 4. ſ. 5. n. 656. & ſeqq.* Idem eſt de diſtillatione, quæ ſi fiat ſine omni carnis *commotione*, non curanda eſt. Quinimo affectu *ſimplici* & ſine ulla procuratione ob finem honeſtum, v. g. ſedandæ tentationis gratia vel ſanitatis ergo, deſiderare, ut pollutio naturaliter eveniat, vel de ea, naturaliter ſecuta, gaudere, non eſſe peccatum, docet cit. author *n. 655.* & la Cr. *l. 3.* 58

C 3 *n. 933.*

n. 933. quia ejusmodi deſiderium vel gaudium (quod tamen indicat imperfectum caſtitatis affectum) jam non eſt de ipſa pollutione ſed de objecto honeſto & licito :)

59 Ob. 2. *Indebitus* concumbendi *modus* non eſt peccatum mortale ; ergo. a. p. Quocunque modo conjuges congrediantur *nunquam* peccant mortaliter (: ſi abſit periculum *effundendi* ſeminis, aut *impediendæ* generationis c. ſecus n. Imo ſi *absque* aliqua neceſſitate concumbant *præpoſtere* , aut modo *inverſo*, eſt ſaltem peccatum *veniale*, & quidem *grave* in ſuo genere :) ergo. *Vid.* P. Sporer *cit. part. 4. c. 2. ſ. 2. n. 492.*

60 Ob. 3. cont. 2. part. *Multi* authores docent, dari parvitatem materiæ in genere *luxuriæ* (: ſi ſumatur *generice*, prout involvit delectationem *veneream* & ſenſibilem c. ſi *ſpecifice* ſumatur , prout involvit *ſolam* delectationem *veneream* n. Vel ſubd. datur parvitas materiæ propter *imperfectionem* actus , vel etiam reſpectu *conjugatorum* c. ſecus n. Vel aliter : datur parvitas materiæ in delectatione venerea *directe* intenta n. *indirecte* tantum voluntaria c. :) ergo. a. p. Inter alios P. Sporer *p. 4. c. 3. ſ. 5. n. 660.* docet, non eſſe peccatum, ſi diſtillatio contingat ſine delectatione, quamvis adſit levis erectio genitalium (: ſi quis nude *patitur* & permittit tamen *motum* c. ſecus n. Imo tales motus ſæpe proveniunt ex retentione urinæ, ut docet la Croix *l. 5.*

l. 5. n. 101. :) ergo. *Vid.* P. Sporer *num. 691.* Pichler *l. 5. t. 16. n. 14. & 15.*

Ob. 4. Poteſt quis velle delectationem cum efficaci propoſito non conſentiendi in *gravem* (: n. hoc; ſicut enim qui vult accendere *unum* granum pulveris, non poteſt habere voluntatem efficacem non accendendi *reliqua* grana contigua, ita & hic :) ergo ſi ſuboriatur gravis, erit per accidens, & non voluntaria; conſequenter non erit mortale. *Vid. Theol. Schol. noſt. Part. 3. à n. 200.* 61

Inſiſtes: Delectatio venerea hoc ipſo eſt *levis* quod hic & nunc non trahat ſecum *periculum* pollutionis vel conſenſus in copulam, aut vehementer non turbet rationem (: n. ſupp. quod non adſit *tale* periculum: nam in omni delectatione venerea, quantumvis modica, in quam quis conſentit, datur ob vehementem inclinationem, quam habet apetitus carnalis ad eas delectationes, periculum proximum *majoris*, quæ in homine ſoluto erit mortalis; ergo etiam illa modica erit mortalis :) ergo. La Cr. *l. 3. p. 1. n. 910.* 62

Ob. 5. Non tenemur ſub mortali vitare alias cauſas commotionis ſpirituum, v. g. ſtudium circa caſus venereos, comeſtionem aut potationem calidorum &c. ergo nec delectationem de objecto venereo (: n. c. Quia tale ſtudium vel comeſtio tantum per accidens & valde *mediate* eſt cauſa talis commotionis, & inſuper habet finem *honeſtum*: non 63

ſic delectatio de objecto venereo :) La Cr. *l. 5. n. 97.*

64 Dices: Si delectatio interna eſt inchoatio profuſionis ſeminis, erit *ſemper* mortaliter mala, etiam in *conjugato*, ſi abſit conjux (: n. ſ. non enim ſemper affert periculum *proximum* illius effuſionis, quæ multis modis ſubditur poteſtati voluntatis :) La Cr. *loc. cit. num. 97.*

65 Ob. 6. Hæc propoſitio eſt damnata: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem CARNALEM & SENSIBILEM, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris: & pollutionis:* ergo delectationes etiam tantum *ſenſibiles* ſemper erunt peccata mortalia (: ſi ſint *ſenſibiles* & *carnales* ſimul c. ſecus n. Nam illa propoſitio damnata manifeſte loquitur de delectatione *carnali* ſenſibili, utique *venerea*, ex illis oſculis orta, & *directe* volita cum conſenſu in illam, uti conſtat ex illis verbis, *absque periculo conſenſus ulterioris* (nempe in fornicationem, aliudve opus turpe) & *pollutionis*: ergo ſupponitur jam conſenſus in ipſammet delectationem carnalem ſeu *veneream* ex illis oſculis ortam, cui utique mortalis eſt: & ita quidem ſentio non meo ſolius judicio, ſed plurium virorum doctorum requiſito conſilio, ſalva ſemper authoritate S. Sedis, ait P. Sporer *tr. 1. c. 5. ſ. 2. n. 19.* :) *Vid.* La Cr. *l. 5. n. 106.* Sporer *Theol. ſacr. p. 4. c. 3. ſ. 6. n. 685.* Sbogar *tr. 119.*

tr. 119. in prop. 40. Alex. VII. Viva, *in hanc prop.*

Ob. ult. Delectatio *pure ſenſibilis*, qualis 66
eſt delectatio ex viſu picturæ, tactu holoſerici, adoratu floris, auditu muſicæ, guſtu ſacchari, de ſe mala non eſt: ergo nec delectatio *carnalis* ſeu venerea (: n. c. Quia hæc habet objectum malum; & inſuper plerumque fit cum commotione ſpirituum circa partes genitales: econtra illa, nempe *pure ſenſibilis*, non habet objectum malum, ſed oritur ex proportione & connaturalitate, quam res tales habent cum organo talis ſenſus; & inſuper fit ſine *commotione* circa partes genitales, etſi communiter ſentiatur circa pectus cum aliquo *calore* vel quaſi cum commotione ſanguinis aut ſpirituum animalium circa cor:) *Vid.* La Cr. *l. 5. n. 93. & ſeqq.* Item *l. 3. p. 1. num. 891.* Sporer *cit. p. 4. c. 4. ſ. 6. num. 686.*

Deduces 1. Num ſpecies luxuriæ non- 67
conſummatæ (uti eſt impurus *aſpectus*, turpiloquia, *oſcula*, tactus, complexus, & hujusmodi) ſint peccata mortalia nec ne, dijudicari poſſe ex tribus 1. Ex *objecto*, nam ſi *hoc* ſit *valde* turpe, & notabiliter apud pleroſque ad *libidinem* provocans, ſemper *actus* impurus circa illud cenſetur eſſe *mortale*, etiam ſi delectatio venerea per ſe directe non intendatur, ſed ex ſola levitate vel curioſitate fiat. 2. Ex *intentione* aſpicientis, tangentis &c. Quippe ſi hæc *libidinoſa* ſit, etiam actio *talis*

erit, & peccatum mortale, etſi objectum adeo malum non foret, aut etiam omnino indifferens. 3. Ex *periculo* animadverſo *conſentiendi* in delectationem *veneream*: etenim qui tale periculum in ſua actione (absque neceſſitate vel utilitate exercita) advertit, nec deſiſtit, peccat mortaliter ejusdem *ſpeciei*
68 peccato cujus periculo ſe exponit. Tali periculo ſe exponere cenſentur *ſoluti* præſertim diverſi ſexus, ſe invicem ob delectationem ſenſibilem cum *ardore* & *mora* oſculantes, ſtringentes &c. adeſt enim, & *adverti* omnino debet ab ipſis præſentiſſimum *periculum* conſenſus libidinoſi in delectationem veneream, inde inſeparabiliter enaſcentem &c. Et quidem majus ſemper eſt periculum in oſculis, tactibus, amplexibus, quam in *aſpectu* aut *alloquio*; utpote *quæ* non adeo propinque tendunt ad concubitum. Ex his bene obſervatis caſus innumeri reſolvi poterunt: quos ſecundum longum & latum affert P. Babenſtuber *tr. 5. d. 5. a. 2. à n. 98.* P. Sporer *Theol. Sacr. p. 4. c. 3. l. 6. à n. 667.* La Croix *l. 3. p. 1. à n. 898.* P. Pichler *l. 5. t. 16. à n. 15.* P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *tr. 9. diſt. 4. q. 7. à n. 83.*

69 Deduces 2. In caſu dum confitens ſe accuſat tantummodo, *quod peccaverit contra ſextum præceptum* plura caute quærenda eſſe, juxta principia generalia, *Quis, quid ubi, quibus auxiliis &c. in* Part. 4. data *n. 575.* Et quidem præcipue, *qualiter* peccaverit, num *cogita-*

gitatione , *verbo* vel *opere* ? *cum quibus* , ſolu-
tis , ligatis , voto caſtitatis obſtrictis &c?
quod ipſum de *confitente* ſciri debet, nempe in
quali ſtatu ſit ? item an cum pollutione ? deſi-
derio ? ſcandalo ? ſollicitatione ? &c. ſerva-
ta tamen ubique communi regula Theologo-
rum : in materia caſtitatis *interrogationes* de-
bere eſſe *paucas* & *cautas* ; & præſtare ali-
quando, ſacerdotem minus perfecte pecca-
tum intelligere, quam ſibi vel pœnitenti ali-
quod ſcandalum parere. Spor. Buſenbaum,
Kreſsling. *ſub n. 43.* Singulariter *conjugati* in
hac materia parciſſime examinandi ſunt; ſi-
quidem hi *inter ſe* non facile peccent mortali-
ter, niſi ſe exponant *periculo* pollutionis, aut
generationem prolis impediant : prout ite-
rum fuſe oſtendit cit. P. Sporer *à n. 495.* Spe- 70
cialiſſime cum omni cautela apud fœminas in-
quirendum eſt de *pollutione* facta ; nam multæ
de *hac* nihil ſciunt, multæ non advertunt
&c. Quare ſi fateantur tactus cum *ardore* &
mora factos, poterunt in genere interrogari:
num nihil *aliud* exinde ſecutum ſit? ſi reſpon-
deant: *nihil*: acquieſcendum erit. Si dicant
aliquæ, ſe ſenſiſſe magnam *delectabilitatem* :
tunc pollutio intelligi poterit. P. Kreſsling.
cit n. 49. Sponſis inter ſe prohibita ſunt, quæ
aliis ſolutis : cum adhuc nullum jus ad copu-
lam habeant, ut recte diſcurrit P. Babenſt. *n. 128.*
Plus aliquid ipſis concedit P. Pichl. *l. 5. t. 16. n. 23.*
nempe amplexus, oſcula, & tactus non *impudi-
cos*, locutiones amatorias, aſpectus affabiles &c.
licet

licet hæc omnia ſimul diſſuadeat. *Vid.* P. Reiſſenſt. *à n. 77.*

71 Deduces ult. Choreas ducere ſeu ſaltare cum altero ſexu, *ſecundum ſe* eſſe actionem indifferentem; adeoque licitam, niſi malo *fine* fiat, aut cum *periculo* ſe aut alios incitandi ad libidinem, vel cum alia circumſtantia *mala.* Ratio eſt: tum quia choreæ ex ſe ipſis non ſunt natæ *proxime* provocare ad libidinem (præſertim ſi fiant publice) ſed ſunt ſignum *lætitiæ* communis: tum quia receptæ ſunt per *conſuetudinem*; *quam* eſſe corruptelam non eſt præſumendum: tum quia ſæpe ſunt *occaſio* honeſte contrahendi nuptias; & perſonas ſolutas inſuper avocant ab otio: tum quia experientia patet, poſt abrogatas choreas *publicas* multo majora mala perpetrata fuiſſe, quam iis permiſſis &c. Quando SS. PP. *eas* interdum valde reprehendunt, lo-
72 quuntur de *turpibus*, & earum *abuſu.* Invigilandum tamen eſt, ne choreæ ducantur in *noctem*; ne poſt finitas choreas una pars alteram *domum* ducat, ne nimis *ſæpe* frequententur &c. prout optime hortatur P. Kreſslinger *l. c. ſub n. 84. addit. 5.* cæterum tamen nobiſcum ſentiens, & pro ſe authores variarum nationum citans: rurſum tamen monens, quod ſiquis in *particulari* experiatur, ſe ſub his choreis indifferentibus ſæpius lapſum eſſe in peccatum grave, *tali* ordinarie non amplius licere eas accedere. *Vid.* P. Fegeli *p. 3. n. 135.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Quid prohibeatur ſeptimo præcepto, & quænam quantitas faciat furtum mortale?

PRænot. 1. Septimum Decalogi præceptum *cit. Exod. 20.* tradi per modum negationis his verbis: *Non furtum facies.* 73
Quo non tantum prohibetur furtum, & omnis injuſta læſio ſeu damnificatio proximi in bonis fortunæ, ſed ſimul quoque (in quantum virtualiter affirmativum eſt) præcipitur *reſtitutio* rei alienæ; nam ut poſt S. Aug. *Regula 4. Juris. in 6.* aſſerit, *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* De reſtitutione ſermo obveniet in Diſputatione ſequenti; in præſenti eſt de *furto*: Definitur *hoc* à S. Thoma *2. 2. q. 66. a. 3.* quod ſit *occulta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter invito.* Dividitur ratione *materiæ* in furtum *ſimplex*, & *qualificatum*, cum nempe ſpecialis malitia aliunde adjungitur. Hujuſmodi ſpecies ſunt 1. *Sacrilegium*, quod committitur, ſi vel res *ſacra* de loco *ſacro*, vel ſacra de loco non-ſacro, vel etiam res *non ſacra*, ſed in loco ſacro *depoſita*, ſurripiatur. 2. *Peculatus*, qui eſt ablatio rei pertinentis ad fiſcum vel ærarium Principis, vel ad quamcunque communitatem. 3. *Plagium*, quod eſt abductio *hominum* ſub poteſtate aliena conſtitutorum. 4. *Abiegatus*,

cum

cum quis abigit, & furatur aliena animalia. Ratione *temporis* dividitur in *nocturnum*, & *diurnum*: inter quæ in Jure fit hoc diſcrimen, quod fur *nocturnus* in foro externo *impune* occidi poſſit; non item diurnus.

74 Prænot. 2. Certum eſſe, quod furtum ex genere ſuo ſit peccatum *mortale*, utpote contra 7. præceptum Decalogi, & repugnans juſtitiæ & charitati. Interim tamen *excuſatur* à mortali non tantum quando dominus non eſt *graviter* invitus, aut quando non adeſt ſufficiens *deliberatio*, & *cognitio* ſed etiam & plerumque, quando non adeſt materia *notabilis*. Nam bona fortunæ, cum ſint infimi ordinis, ſunt maxime diviſibilia, ideoque admittunt *parvitatem* materiæ. Difficultas tamen ſupereſt, quænam ſit *illa determinata* materia, infra quam ſi fiat furtum, ſit ſolum peccatum veniale, & ſupra quam ſi fiat, ſit mortale? in qua quæſtione maxime practica Theologi communiter fatentur, non poſſe aliquam regulam certam & fixam conſtitui, ſed totum pendere ab æſtimatione morali, & judicio prudentis ex circumſtantiis in particulari definiendum eſſe. Unde materiam gravem furti aliam ſtatuunt *abſolutam*, aliam autem *reſpectivam*, prout amplius patefaciet noſtra

75 CONCLUSIO: Materia furti *gravis* & ſufficiens ad mortale *abſoluta* ac reſpectu cujuscunque etiam opulentiſſimi aut Regis vel Principis potentiſſimi ſunt duo circiter ducati: *Reſpectiva* vero ad conditiones perſonarum

eſt

eſt illa, quæ ſufficeret ad victum ſeu ſuſtentationem unius diei *tali* perſonæ, cui ablata eſt; veluti ſi à Rege *ditiſſimo* fureris *duos* ducatos; ab inferiore Principe *unum*; à mercatore valde divite duos *florenos*; à cive mediocriter divite florenum; ab opifice dietim victitante tres vel quatuor *bacios*; ab operario diurno labore ſe ſuſtentante, aliquos *crucigeros*, quibus ſe *uno* die utcunque aluiſſet. *Ita ex communi DD.* P. Spor. *tr. 5. c. 5. ſ. 1. n. 92.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 987.*

Prob. 1. pars: Etſi ablatio unius vel alterius aurei Regi ditiſſimo non graviter noceat, quatenus inſervit ad ipſius victum, graviter tamen nocet, quatenus inſervit ad alendam familiam, & poteſt eſſe ſalarium menſtruum alicujus famuli inferioris, vel ſtipendium militis: ergo reſpectu talis quantitatis eſt rationabiliter & *graviter* invitus; conſequenter per ablationem ejus *graviter* peccatur, & contrahitur obligatio gravis reſtituendi. Præcipue: quia ſi tale furtum eſſet peccatum leve tantum, ex nimia hominum proclivitate ita multiplicarentur ejusmodi furta, ut exinde etiam diſtiſſimi *grave* damnum paterentur; ergo. 76

Prob. 2. pars: Valor pecuniæ pro victu vel mercede diurna ſufficientis merito cenſetur *notabilis* in ordine ad illam perſonam, quæ juxta communem conſuetudinem vivendi tali pecunia ad honeſtum victum unius diei indiget: ergo reſpectu talis furti cenſe- 77

tur

tur notabiliter & graviter *invita*: ſicque qui talem quantitatem eripit, graviter peccat, & obligatur ad reſtitutionem ſub mortali.

78 Objicies 1. cont. 1. part. Per unicum furtum unius vel alterius ducati Regi ditiſſimo non infertur *grave* damnum (: ℞. d. a. *actuale* t. habituale & *conſecutivum* n. ſic unica pollutio aut fractio ſigilli eſt mortalis; quia quamvis, ſi ſemel tantum fierent, non ita graviter nocerent, tamen quia eſt periculum, ne, ſi ſcirentur *aliquando* licere, ſæpius repeterentur, eoquod homines putarent, hic & nunc eſſe *illam* circumſtantiam, in qua licerent:) ergo unus aut alter aureus non eſt materia gravis abſolute.

79 Ob. 2. urg. In hac ſententia *unus* ducatus non eſſet materia gravis *abſolute*: atqui hoc non poteſt admitti; ergo. m. p. Si homines ſemel ſciunt ſe poſſe citra mortale furari Regi ditiſſimo aureum, cum ſumma ita magna multum alliciat, omnino præſens periculum eſt, ne ſummam illam ſæpius furentur (: ita ut maneat *idem* furtum. n. *aliud* duplicatum c. Nam ſi ea furta repetantur non manebit furtum *unius* ſed *fiet* furtum *duorum* aut trium aureorum; qui erunt materia gravis. Deinde ſi argumentum valet, probat contra aa. etiam *medium* aureum eſſe materiam gravem reſpectu Regis ditiſſimi; eadem enim ratio applicari poteſt: ergo nec *unus* quidem aureus requireretur, quem tamen requirunt aa. :) ergo.

Ob. 3.

Ob. 3. cont. 2. part. Non eſt ratio, cur gravitas furti potius deſumatur in ordine ad ſuſtentationem diurnam quam ad aliquid aliud (: n. hoc; nam indigere *ſuſtentatione* diurna eſt commune *omni* homini, & præcipuus *finis* bonorum externorum; ergo inde recte petitur regula univerſalis :) ergo. a. p. Poteſt deſummi à *conducentia* ad ſuſtentationem: atqui *hæc* eſt eadem in divite & paupere (: *materialiter* c. eſt eadem *formaliter* n. Pauper enim accipit *majus* damnum, ideoque eſt *magis* invitus, ſi ei quid auferatur quam dives :) ergo.

Ob. 4. inſiſt. Jus *divitis* ad ſuum denarium eſt *æque* magnum (: *materialiter* c. formaliter n. Sic ſi pauperi dono denarium, cenſeor plus donare, quam ſi donem diviti :) quam jus *pauperis* ad ſuum: ergo ſive diviti ſive pauperi furer denarium, æqualiter pecco. Præterea: denarius eſt quid *notabile* etiam reſpectu divitis; ergo. a. p. Dives per denarium poteſt pauperi facere notabile beneficium, & implere præceptum eleemoſynæ (: ita tamen, ut etiam hoc ablato illud poſſit aliunde implere ſine magno detrimento c. ſecus n. :) ergo. 81

Ob. 5. Diverſitas ſtatus & conditionis inter homines eſt mere per accidens (: ſi conſiderentur *ſecundum ſe* c. ſi ſecundum *bona* n. Sic gravitas vel levitas detractionis & inhonorationis deſumitur per reſpectum ad diverſitatem ſtatus & conditionis :) ergo ex natu- 82

ra rei eſt eadem quantitas ad furtum requiſita reſpectu *omnium*. a. p. Natura omnes genuit æquales ; ergo (: n. c. Quippe pauperi plus nocetur :)

83 Ob. 6. Quod eſt tale ex genere ſuo (: *phyſico* c. *morali* n. Alias quælibet detractio ſemper eſſet peccatum mortale :) ſemper eſt tale : ergo ſi furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale, tunc ſemper eſt tale. Deinde : ſi non eſt eadem materia ad furtum mortale, tunc *divites* erunt deterioris conditionis ; quia *citra* peccatum mortale *illis* poteſt plus auferri (: ita tamen ut damnum illud ſit *faciliter* compenſabile c. ſecus n. :) ergo. Imo : in hac ſententia multi innocentes exponuntur aliorum furtis (: & hoc *per accidens* c. ſecus n. :) dum enim apparent divites, cum tamen ſint pauperrimi, datur furibus occaſio *plus* illis auferendi absque peccato mortali, quam ſi eſſent pauperes : ergo.

84 Ob. 7. Ad ſuſtentationem diurnam Regis potentiſſimi non ſufficit duplex ducatus (: ſi ſpectetur cum aula ſua *integra* c. ſi quoad ſuam perſonam n. Hinc œconomo ſuſtentanti aulam ſæpe non dant niſi ducatum pro ſingulis accumbentibus ; & tamen talis œconomus inde adhuc habet lucrum :) ergo hæc quantitas male ponitur pro regula.

85 Inſtabis : Quantitas, quæ pro Rege ſtatuitur, debet ſe ita habere ad quantitatem, quæ pro cive ſtatuitur, uti ſe habet opulentia Regis ad opulentiam civis (: cum æqualitate

litate *arithmetica* n. debet ſe ita habere in æqualitate *geometrica* , & proportione quadam deficiente c. Hanc autem habet ſi conſiderentur majora onera , frequentiora damna, & majora pericula Regum :) atqui opulentia Regis ſuperat opulentiam civis longe magis , quam duo ducati ſuperant florenum ; ergo.

Ob. 8. Etiamſi diviti eripiatur, quantum 86
requiritur ad ſuſtentationem pro *uno* die, tamen aliunde habet, quo ſubſiſtat illa die ; ergo per *tale* furtum non cenſetur ei inferri grave damnum, & cauſa gravis doloris (: n. c. Nam quæ aliunde habet , jam conſiderata ſunt tanquam conſtituentia perſonam divitem, à qua ideo poſſit citra mortale plus eripi ; adeoque jam antecedenter poſitum eſt , ac ſi præter illa non haberet aliquid : ergo non amplius debent adduci in conſiderationem pro extenuenda gravitate illius injuriæ: prorut optime diſcurrit P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 1000.*:)

Ob. ult. Si quantitas furti mortalis reſpe- 87
ctu mercatoris valde *divitis* eſt ſemi-aureus, ſequitur furem jam ſatisfacere ſuæ obligatiori *gravi*, modo reſtituat unum *denarium*; quia ſic jam non amplius habet ſemi-aureum; atqui ſequela non poteſt admitti : ergo. m. p. Tum quia ad reſtitutionem alicujus ſummæ levis, velut eſt denarius, non poteſt dari obligatio gravis (: ſi ſumma *levis* non ſit complementum ſummæ gravis c. ſi ſit n. :) ſic enim nulla eſſet proportio. Tum quia ali-

as daretur major obligatio reſtituendi illum *denarium* (: prout eſt complementum ſummæ gravis c. ſecus n. Sic ultima gutta, quatenus complet, & mergit navem, eſt gravis: quam ſemi-aurei reſiduum: ergo.

88 Deduces 1. *Mortaliter* peccari poſſe etiam per ablationem rei *modicæ*, ſi grave damnum vel jactura lucri ceſſantis exinde domino ſequitur: vulgare exemplum eſt in eo, qui ſartori acum vel ſutori ſubulam aufert, quam ille habet unicam, aliamque multis diebus comparare non poteſt. Ratio eſt: quia taliter proximo injuſte infertur damnum grave: ergo. *Vid.* P. Babenſt. *tr.* 7. *d.* 5. §. 2. *n.* 13

89 Deduces 2. Illum non peccare graviter contra juſtitiam qui aufert rem *levem*, licet ſciat, dominum ea valde *delectari*, ejusque jacturam valde graviter laturum, dummodo nullum aliud damnum illi ſequatur. Ratio eſt quia dominus tunc non eſt *rationabiliter* invitus *graviter*; & quod adeo graviter indignetur, eſt mere per accidens.

90 Deduces 3. Conſtitutum in itinere probabiliter nec venialiter peccare, ſi tranſiens vineam aut hortum comedat uvas, alioſque fructus in quantitate modica. Ratio eſt: quia ita videtur approbatum conſuetudine & tacita licentia dominorum; prout docet P. Mezger *tr.* 12. *d.* 40. *a.* 1. *n.* 11.

ARTI-

ARTICULUS III.

Quale peccatum contrahatur per furta minuta multiplicata? præſertim à domeſticis?

PRænotandum; Furta minuta poſſe committi varie. Nam 1. Poſſunt fieri ita, ut *eadem* perſona ſæpius furetur modicum quid *uni* perſonæ; 2. Ut furetur perſonis *diverſis*. 3. Ut *plures* furentur *eidem* perſonæ. 4. Ut quis habeat intentionem per frequentia furta diteſcendi vel congregandi magnam quantitatem. 5. Ut talem intentionem quidem non habeat, attamen advertens concreſcere magnam ſummam, adhuc furetur modicum. Quæ omnia poſſunt fieri vel ab *extraneis*, vel à *domeſticis*, uti ſunt uxor, filii, famuli, Religioſi &c. Ut ordinate procedatur, ponitur 91

CONCLUSIO I. Furta minuta facta eidem ab eodem, ad notabilem quantitatem pervenientia, conſtituunt peccatum mortale 1. Ex *intentione* principali per furta minuta diteſcendi, vel congregandi magnam quantitatem: 2. Ex intentione directa vel indirecta *continuandi* furtum minutum, *animadverſa* jam *notabili* materia concreſcente: 3. Ex ſola *detentione* injuſta notabilis materiæ jam congregatæ: idem dicendum eſt de furtis minutis ab *eodem* diverſis, communi tamen 92

conſilio, cooperatione vel influxu unius in reliquos. *Ita cum communi* P. Spor. *tr. 5. c. 5. ſ. 2. n. 34.*

93 Prob. 1. pars: Habens intentionem per furta minuta *diteſcendi*, habet propoſitum proximo nocendi *graviter* in re gravi, & *ſingula* furta procedunt ex illa intentione tanquam hujus executio continua: ergo in *ſingulis* furtis minutis peccat mortaliter; attamen *unico* tantum peccato mortali, quia omnia illa furtula *moraliter* uniuntur in illa una *intentione* mortaliter mala. Ad reſtitutionem tamen ſub *gravi* non tenetur antequam proveniat ad ſummam gravem: quia obligatio reſtituendi non eſt menſuranda penes voluntatem *internam* damnificandi, ſed juxta damnificationem *externam*, damnumque notabile proximi reipſa conſecutum.

94 Prob. 2. pars: In *ultimo* furtulo advertens ad gravitatem damni & materiæ ablatæ per tale furtum *complet* damnum notabile proximi, & quidem cum *advertentia* culpabili; ergo peccat *mortaliter* per illud ultimum furtulum, non quidem ſecundum ſe *abſolute* conſideratum, ſed cum *habitudine* ad præcedentia. Sic ultima comeſtio, qua frangitur jejunium, aut ultimus hauſtus quo quis inebriatur, eſt peccatum mortale.

95 Prob. 3. pars: Velle *detinere* alienum in magna quantitate, ſemper eſt peccatum mortale: atqui per plura furtula, etſi ſingula ſint tantum venialia, poteſt aggregari materia

ria *notabilis* cum gravi damno proximi; ergo ſi hanc quis vellet retinere, peccaret mortaliter. Quodſi res ablata jam foret *conſumpta* nec quis inde factus fuiſſet *ditior*, etſi peccaſſet *venialiter* per illa furtula minuta, non tamen teneretur ad *reſtitutionem* ſub mortali: cum ad hanc non teneatur ex re *accepta*, hoc ipſo quod illa non amplius ſit *in ſe*, nec in *æquivalenti*; nec ex *injuſta acceptione*; quia peccatum veniale non poteſt parere obligationem gravem juxta dicenda *à n. 176*.

Prob. 4. pars: Quia unus minuta furando 96 *à pluribus*, etſi non inferat grave damnum ſingulis *ſeorſim & actualiter*, infert tamen omnibus *collective*, ſeu ipſi communitati, ſaltem *habitualiter* & conſecutive, nimirum quatenus contra bonum commune, ſequerentur maxima incommoda & inconvenientiæ, ſi *talis* modus furandi non eſſet graviter prohibitus; ſequeretur enim, non peccare mortaliter eum, qui in venditionibus utitur pondere & menſura modice falſificata; qui furatur ex *granario communi* magnam quantitatem &c. quæ omnia omnium ſenſu ſunt abſurdiſſima: ergo qui furatur modica *à pluribus* peccat mortaliter etiam abſtrahendo, an habeat *intentionem* perveniendi ad ſummam notabilem. Quippe ſi talem intentionem habeat omnino certum eſt, eum peccare mortaliter ob rationem adductam *n. 93*. Requiritur tamen ad minimum *dimidio major* ſumma hic,

 quam

quam ſi auferretur ſimul. P. Sporer *n. 44.* De quo ſupra *n. 103.*

97 Prob. ult. pars: Quando *plures* domino *eidem* furantur modica communi influxu, tunc *ſinguli* cooperantur ad damnum grave: ergo ſinguli peccant *graviter*, & obligantur ad reſtitutionem. Secus, ſi nullus aliquid ſciat de furto alterius; quia tunc nullus eſt *cauſa* damni notabilis. Imo probabilius eſt, non peccare graviter, nec habere obligationem gravem reſtituendi, etſi quis ſciret; dummodo ſuo exemplo vel adhortatione aliis non ſit *cauſa* accipiendi, quia accipiens tunc eſt cauſa levis tantum damni, eoquod aliorum acceptiones præciſe per accidens conjungantur; ergo. Spor. *n. 47.* Mezger *n. 6.* Babenſt. *n. 30.* La Cr. *n. 1010.*

98 CONCLUSIO II. Etſi furta domeſticorum: ſc. Religioſorum, uxorum, filiorum, & famulorum, ſint vera furta, ſi fiant absque licentia: ut tamen mortalia ſint, regulariter requiritur *major* quantitas materiæ quam in furtis externorum. *Ita iterum ex communi cit. P. Spor. à n. 48.*

99 Prob. 1. pars: Religioſi, uxores, filii, & famuli, ſi nullam prorſus habeant licentiam, uſurpant res *invito* domino: ergo committunt vera furta.

100 Prob. 2. pars: Reſpectu mox dictorum Superior aut paterfamilias *non adeo* invitus eſt, ſi res aliqua ſurripiatur à domeſtico, quam ſi ſurriperetur ab extraneo, nec vult jus ſuum ita ſtricte tenere adverſus domeſticos ſicut adver-

adverſus extraneos; aut ſi magis invitus videatur, hoc *non* de *ſubſtantia* rei acceptæ, ſed de *modo* accipiendi intelligendum eſt: ergo requiritur *major* ſumma. De qua magis particularia in objectionibus ſub *n. 105. & ſeqq.*

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 2. *Ultima* acceptio tantum *leviter* concurrit ad materiam gravem addendo aliquid tantum *leve*: ergo non eſt magis mortale, quam priores acceptiones, quæ etiam ſic concurrebant ad totam materiam conſtituendam (: R. n. c. & ſc. Nam *priores* acceptiones non habebant pro objecto ſecuturas materias; *ultima* autem acceptio habet pro objecto *omnes*, etiam priores, materias. Hinc ſecunda acceptio eſt pejor quam prima, ac ita deinceps; quia volitio v. g. ſecundi denarii habet pro objecto duos denarios, & ſic deinceps:) 105

Ob. 2. Multiplicata venialia nunquam faciunt mortale (: ſi non ſint *connexa* quoad *materiam* c. ſi ſint connexa, prout ſit in propoſito, n.:) ergo nec ultimum furtulum (: quatenus ſumitur *ſecundum ſe* c. cum *ordine* ad præcedentia furtula n.:) 106

Ob. 3. cont. 4. part. Unus modica à pluribus auferens nulli infert *grave* damnum (: *ſeorſim* & actualiter c. collectim & *conſecutive* n. Interim tamen quia tunc omnes & ſinguli non tam grave damnum patiuntur actualiter, & communiter *minus* inviti ſunt, requiritur ad peccatum mortale *duplo* major ſumma. Similiter eo major requiritur quantitas in furtis 107

 factis

factis ſive eidem ſive diverſis, quando fiunt per *majora* temporum *intervalla*: hinc florenus mediocriter dividi intra duos vel tres annos ablatus non concreſcit in peccatum mortale: imo nec duo vel tres aurei à pluribus absque diteſcendi propoſito ablati; prout refert P. Spor. *n. 44.* :) ergo non peccat graviter.

104 Ob.4.cont.ult.part.Qui homini,*aliorum* vulneribus *læſo*, addit vulnus, ex quo & aliis moritur, peccat mortaliter, etſi id fiat absque communi influxu: idem eſt de eo, qui vere ebrio adhuc dat hauſtum, quo plene inebriatur: ergo etiam qui aliorum furtulis addit aliud (: n. c. Etenim hoc ultimum vulnus, & hic ultimus hauſtus non tantum auget malum illatum, ſed eſt cauſa *novi* effectus gravis nempe mortis vel ebrietatis, qui effectus indiviſibilis eſt, nec cauſatus erat à prioribus, ſed nunc cauſatur ab ultimo: econtra furtum ultimum leve auget tantummodo malum illatum, *nec* eſt *cauſa* novi effectus gravis; & damnum quod cauſat eſt diviſibile:)

105 Ob. 5. cont. 2. concl. part. 2. Quamvis Religioſus in ablatione *eſculentorum* ad peccatum mortale debeat habere majorem quantitatem quam extraneus, ut habet communis apud P. Spor. *n. 62.* nihilominus ſi quid auferat de aliis rebus, pecunia v.g. Prælatus Regularis cenſetur *æque*, imo *magis* invitus, quam ſi eas auferat extraneus; quia per fur-

tum

tum Religioſi inſuper deſtruitur diſciplina Regularis: ergo ut furtum Religioſi ſit mortale, non requiritur *major* ſumma: conſequenter peccabit mortaliter, ſi de bonis Monaſterii tenuis auferat florenum, in Monaſterio opulento autem ducatum; cujus ablatio in Monaſteriis ditiſſimis ſubinde eſt caſus reſervatus (: ℟. Hanc ſententiam eſſe quidem communem; veriorem tamen videri, quod *major* quantitas requiratur quam in *extraneo*, quia *hic* non eſt pars communitatis Religioſæ, ſicut eſt Religioſus, reſpectu cujus Superior rationabiliter non poteſt eſſe adeo invitus, ſicut reſpectu extranei, prout ex Lugone docet P.Pfeiffer *intr de reſtit. p. 2. d. 5. a. 5. §. 1.* Quinimo probabile eſt, ad peccatum tam furti quam violationis paupertatis in Religioſo requiri eamdem quantitatem, quæ requiritur in filiofamilias, ut peccet mortaliter de bono patris; veluti oſtendunt Salman. *tr. 13. de reſtit. puncto 5.* La Cr. *l. 4. n. 133.* P. Spor. *n. 63.* P. Fegeli *p. 3. n. 135.* :) Videantur dicta *à n. 338.*

Ob. 6. Bona *conjugum* ſunt *communia*: ergo uxor non peccat, ſi quid ex iis auferat. 106
c. p. Non aufert rem *alienam* (: quoad *proprietatem* c. quoad *adminiſtrationem* n. :) ergo non peccat graviter (: ſi ſumma ablata per unum annum non ſuperet *vigeſimam* partem lucri annui ſeu annuorum redituum c. ſecus n. *Hanc* enim poteſt auferre & expendere in eleemoſynas, & alias honeſtas donationes:

Imo

Imo poteſt *hanc* ſimul aggregare, & ſimul uni pauperi elargiri; quin & ſuis uſibus applicare ſaltem quoad *donationes*; nam eleemoſynæ debentur pauperibus, qualis ipſa non eſt. Spor. *n. 52. 54.* :)

107 Inſiſtes: Uxores pleræque de bonis communibus ſine ſcrupulo accipiunt, *quantum* indigent; ergo non peccant (: quando bona illa adminiſtrant, quando adeſt *conſenſus* viri ſaltem tacitus, aut alia neceſſitas, in qua maritus ipſe deberet ac teneretur facere aliquas expenſas c. ſecus n. :) *Vid.* P. Sporer *n. 52.* &c.

108 Ob. 7. Etſi *filii* parentibus ſæpius quid furentur idque confitentur, non tamen ſolent à confeſſariis obligari ad reſtitutionem ſub gravi (: ſi quantitas ablata non ſit *notabilis* c. ſecus n. Tunc enim tenentur ad *reſtitutionem*, niſi *hanc* pater condonet, vel probabiliter putetur condonaturus, ſi rogaretur à filio, qui præ verecundia rogare non audet. Summa gravis autem & peccatum mortale necdum cenſetur, ſi filius patri *ditiſſimo* auferat quinquaginta aureos: vel *diviti* duos vel tres aureos; ubi non ſolum materia *ablata* ſed etiam circumſtantiæ perſonarum conſiderandæ ſunt, an nempe pater ſit liberalis vel parcus? an filio bene vel male affectus, an furans ſit valde utilis, vel piger; an ſint plures vel pauci filii: prout bene notat Sporer *n. 57.* & la Cr. *n. 1016.* :)

Inſta-

Inſtabis: Filiusfamilias, ſi in domo patris 109
laborat, poteſt *exigere* ſtipendium, juxta
probabilem ſententiam apud P. la Cr. *n. 1034.*
ergo ſi ei negetur, poteſt illud clam ſurripere
(: n. hoc; quia jus filii non eſt *certum*, eoip-
ſo quod ſententia negans ſit quoque probabi-
lis :) conſequenter non peccat &c.

Replicas: Eſt *probabile*, quod ſalarium 110
debeatur filio: ergo illud poteſt occulte ſur-
ripere (: n. c. Quia ſibi ipſi eſſet *judex*; *qui*
obligatur ſequi probabiliorem, ex *Part. 1.
n. 134.* La Cr. *n. 962.* & *1035.* :) c. p. Eſt
ſententia probabilis: ergo illam poteſt exequi
(: niſi dominus eſſet in *certa* poſſeſſione c. ſe-
cus n. :) *Vid.* P. Sbogar *tr. 29. n. 5.*

Ob. 8. Videmus in praxi, quod *famuli* & 111
famulæ dominorum continuo *modica* aufe-
rant, conſumant, & male impendant, nec
tamen inde ſibi conſcientiam faciant: ergo
ex furtulis minutis quoad famulos non urget
obligatio reſtituendi (: *per ſe* n. *per accidens* c.
Nam partim excuſantur per *inadvertentiam*,
quia nunquam advertunt vel ſe reflectunt ad
damnum domini notabile concreſcens: par-
tim quia domini in his non cenſentur valde *in-
viti*, nec famulos ſuos tam ſtricte obligare
velle ad exactam adeo curationem rerum ſua-
rum etiam quoad modica, ut ait P. Spor. *n.
38.* P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 1016.* Ubi inſuper
refert plures authores, qui dicunt, exigua
furta *eſculentorum*, quæ ſucceſſive commit-
tuntur à domeſticis, *non continuari* in ordine
ad

ad conſtituendam materiam *gravem*. Simile quid habet P. Sporer *n. 58.* :)

112 Quæres 1. An famuli peccent, & ad reſtitutionem teneantur, cum clanculum accipiunt, quantum ſatis eſt, quia nempe ipſis non ſolvitur *promiſſum* ſtipendium? ℞. Eos ad nihil teneri; nam utuntur occulta compenſatione, quæ cuivis creditori licita eſt, ſi debitum 1. Sit *ex juſtitia*. 2. Si *certum* & minime dubium. 3. Si non poſſit commode alia via obtineri. 4. Si caveatur damnum tam ſpirituale quam temporale debitoris, hunc monendo de obligatione ablata, aut ſimulando remiſſionem. 5. Si compenſatio fiat in rebus *ejusdem ſpeciei* cum re debita, quantum fieri poteſt. 6. Si ex bonis *ipſius* debitoris. 7. Et ſine præjudicio creditorum priorum, vel privilegiatorum. 8. Demum ſi fiat ſine *periculo* proprio vel proximi, qui forſan in ſuſpicionem facti furti venire poterit. Quæ tamen conditiones, excepta prima & ſecunda, ex charitate tantum obligant, & fuſius explicantur à P. Sporer *n. 96.* P. la Cr. *n. 961.* Sbogar *tr. 29. n. 2.* in propoſitionem 37. ab Innocentio XI. damnatam: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario ſuo, quod recipiunt*: quæ bene notanda eſt.

113 Quæres 2. An & quomodo domeſticus peccet, ſi *poſt* notabilem quantitatem furtis minutis comparatam, rurſus incipiat & *pergat*

gat furari modica? ℞. Si talis jam *pœnituit* de furtis præcedentibus, & defacto reſtituit, aut data occaſione reſtituere propoſuit, tunc rurſus furando minuta peccat tantum *venialiter*, usque dum *denuo* attingat quantitatem notabilem, ad furtum mortale ſufficientem: quia tunc per pœnitentiam *interruptio* facta eſt. Contrarium dicendum eſt, ſi nondum pœnituit ob rationem contrariam. Quomodo domeſtici poſſint reſtituere, dicetur *num. 277.*

QUÆSTIO III.

DE TRIBUS ULTIMIS PRÆCEPTIS DECALOGI.

ARTICULUS I.

Quidnam prohibeatur octavo Decalogi præcepto? & qualia peccata ſint temerarium judicium, ſuſpicio, opinio, & dubium.

PRænotandum 1. Octavum præceptum 114 Decalogi *Exod. 20.* & *Deut. 5.* hiſce verbis comprehendi: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Præcepto hoc, quatenus negativum eſt, primario prohibetur, ne quis, cum in judicio teſtis adhibetur,

betur, mentiatur *mendacio* pernicioſo, quo proximo damnum injuſtum inferatur, & conſequenter quatenus virtualiter & implicite affirmativum eſt, præcipitur, ut cum quis teſtis eſt in judicio, dicat *veritatem*, ſeu verum teſtimonium afferat. Virtualiter vero & ſecundario prohibetur eodem præcepto omnis injuſta *læſio* proximi in bonis *famæ* & *honoris*; & conſequenter in bonis inde dependentibus, prout notant communiter *DD.* ex S. Th. 2. 2. *q.* 122. Quare

115 Prænot. 2. Famam bene definiri, quod ſit *exiſtimatio multorum de vita & moribus alterius.* Si talis exiſtimatio eſt de bono, dicitur fama *bona*; ſi de malo, tunc eſt fama *mala.* *Honor* deſcribitur: eſt *teſtificatio quædam excellentiæ alterius.* Hic potiſſimum læditur per actum externum, nempe per contumeliam, de qua *à num.* 128. *fama* vero tam per actum *externum*, ſc. per detractionem (de qua articulo ſequenti) quam *internum*, nimirum per judicium temerarium, ſuſpicionem &c. de quibus in præſenti. Itaque

116 Prænot. 3. In judicio temerario diſtingui quatuor gradus. 1. Eſt *dubitatio*, quando quis ex defectu motivorum ſufficientium ſuſpenſus hæret, in nullam partem propendendo. 2. *Suſpicio*, dum quis judicium quidem adhuc ſuſpendit, *inclinat* tamen in unam partem potius quam in alteram. 3. *Opinio*, cum quis determinate aſſentitur uni parti cum formidine tamen oppoſiti. 4. Tandem eſt *judi-*

cium

cium temerarium, ſi quis ſine ſufficienti fundamento *firmiter* judicat, alterum eſſe malum v.g. adeoque temeritas & malitia omnium horum actuum conſiſtit in hoc, quod fiant ſine ſufficienti fundamento ex depravata voluntatis affectione. De his modo ſit

CONCLUSIO I. Dubitatio, ſuſpiciò, & opinio temeraria, raro & vix unquam ſunt peccatum mortale: quale tamen ex genere ſuo eſt *judicium* temerarium. *Ita communis ex S. Th. 2. 2. q. 60. a. 3.* 117

Prob. 1. pars: Hujuſmodi actus ſunt *aſſenſus* valde *debiles*, & cum formidine oppoſiti; ideoque facile mutabiles, nec per ſe diſponunt ad *gravem* proximi contemptum &c. ergo non ſunt grave peccatum. Exceptionem aliqui faciunt, ſi crimen eſſet admodum enorme, rationes autem omnino frivolæ, ut ſi quis de loquente cum fœmina ſine omni alio fundamento ſuſpicaretur, eum eſſe adulterum &c. Sed probabilius eſt, adhuc eſſe peccatum tantum veniale, nam ſi adhuc eſt *ſuſpicio*, ſemper manebit ex ſuo genere *levis*, ut ait P. Spor. *tr. 5. c. 4. ſ. 3. n. 32.* 118

Prob. 2. pars: Temere judicans, ſaltem apud ſe, privat alterum bona fide & exiſtimatione, ad quam habet jus reſpectu hominis *cujuscunque*, non minus ac ad bona fortunæ: ergo peccat graviter, ſi materia ſit *gravis*, & adſit ſufficiens advertentia, & deliberatio; conſequenter judicium temerarium ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Præſertim: quia 119

ex natura ſua *diſponit* ad injuſtum proximi *con-temptum*, minuit *honorem* externum, impe-dit à *conſecutione* multorum bonorum v. g. à promotione ad officia &c. ergo. Per hos actus internos non oriri obligationem reſtitu-endi externe, docebitur infra *n. 246.*

120 Objicies 1. cont. 1. part. *Dubitatio* temera-ria omnino nullum eſt peccatum; ergo. a. p. Eſt praxis frequentiſſima, quod domini ex-plorent fidem ſuorum famulorum, *arguant* eos furti reos &c. quod Magiſtratus inquirat in *advenas*, exigant teſtimonia, ſcrutentur ſigilla &c. ergo licitum eſt *dubitare*, vel *ſuſpi-cari*, de bonitate alterius (: ℞. d. c. tali du-bio, quod deveniat ad actuale *judicium* de al-terius malitia n. quod non deveniat ad *tale* ju-dicium c. Nam hoc tantummodo eſt caute timere, ne quid fiat aut factum ſit, quod ex humana fragilitate ſæpe experimur fieri:) *Vid.* P. Spor. *hic n. 36.*

121 Ob. 2. *Suſpicio* temeraria eſt *grave* pecca-tum; ergo. a. p. Vir honeſtus mallet amit-tere decem aureos quam bonam famam etiam apud *unum* per talem *ſuſpicionem* leviſſimam de enormi malo: ergo. c. p. Fama (: ſi amit-tatur *ſimpliciter* c. ſi tantum *ſecundum quid* n. :) eſt *majus* bonum quam 10. aurei: ergo ſi hos amittere eſt grave, etiam grave erit amittere famam per ſuſpicionem.

122 Ob. 3. Saltem *opinio* temeraria eſt pecca-tum mortale: ergo. a. p. Per *illam* aſſentior uni parti (: cum formidine tamen oppoſiti c. ſecus

ſecus n. Vel; aſſentior poſitive n. *negative* c. Hoc autem eſt licitum: quia nemo tenetur in favorem alterius ſe exponere periculo errandi intellectualiter:) ergo.

Ob. 4. premendo: Quilibet habet jus, ut credatur bonus (: *poſitive* n. negative; id eſt, ne credatur malus c.:) ergo non eſt ſatis ſuum judicium *ſuſpendere.* 123

Inſtabis: Juxta S. Th. *hic q. 60. a. 4.* Dubia *in meliorem partem* interpretanda ſunt (: poſitive, judicando proximum eſſe bonum, n. *negative*, ſuſpendendo judicium, c. Imo etſi nulla ratio appareat ad dubitandum de bonitate proximi, ex hypotheſi tamen vel ſuppoſitione, ſi *forte* vitioſus eſſet, licite potes rebus tuis vel proximi proſpicere, ciſtas claudendo, arma expediendo &c. P. Spor. *n. 36.* :) ergo. 124

Ob. ult. Sæpe contingit, quod motiva ſint utrinque æque probabilia: ergo ſaltem tunc non pecco, etſi poſitive aſſentiar, proximum eſſe malum (: n. c. Quia in *dubio* nemo eſt *condemnandus*, & in *æquali* cauſa *melior* eſt conditio poſſidentis. Quia P. Leſſius *n. 37.* Petſchacher, & alii dicunt, quod talis aſſenſus *poſitivus* eſſet ſolum contra charitatem, & quidem præciſe *venialis*:) *Vid.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 1180.* 125

Deduces: *Judicare*, ſuſpicari, dubitare de alterius malitia prudenter & ſufficientibus motivis, quæ ſc. moralem aliquam connexionem habent cum tali malitia, per ſe lo- 126

quendo *nullum* eſſe peccatum. Ratio eſt: quia proximus amittit jus ſuæ famæ & bonæ exiſtimationis reſpectu *illius* hominis, cui ejus malitia *ſufficientibus* indiciis proponitur; prout fuſius oſtendit P. Spor. *n. 25.* Cæterum, quia ſupra *n. 114.* de mendacio facta eſt mentio, ideo advertendum, illud definiri, quod *ſit locutio contra mentem.* Si fit ex joco vel cauſa voluptatis absque alterius nocumento, dicitur *mendacium jocoſum*: ſi fit cauſa *utilitatis*, ſimulque nemini nocet, vocatur *officioſum*: ſi demum alteri nocumentum afferat, *pernicioſum* appellatur. *Vid.* P. Reiffenſtuel *tr. 7. diſt. 2. q. 2. n. 11.*

ARTICULUS II.

Quale peccatum ſit detractio, & contumelia, per quas fama læditur externe?

127 PRænot. 1. Etſi fama proximi *externe* lædi poſſit etiam *factis*, ſuſpenſione cornuum v. g. potiſſimum tamen lædi verbis; & quidem per detractionem, quæ definitur: eſt *famæ alienæ occulta & injuſta violatio.* Dicitur *occulta*; nam ſi fiat in præſentia alterius, cui detrahitur, tunc eſt *contumelia*, quæ cæteris paribus eſt gravior, ſicut rapina eſt gravior quam furtum. Additur *injuſta*, vel quia ſpargitur de proximo defectus *falſus*; & tunc eſt

eſt detractio calumnians, ſeu *calumnia*: vel *verus* quidem, *non* tamen *publicus*; & tunc eſt detractio pura. Fit quatuor modis *directe*; qui omnes his verſibus continentur: *Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens: qui negat aut minuit, reticet laudatque remiſſe.*

Prænot. 2. *Contumeliam* dici à contemnendo, & definiri, quod ſit *læſio injuſta honoris proximo debiti per verba, vel facta.* Dividitur in contumeliam ſpecifice talem (dum objicitur defectus *animi*) in *convitium*, (dum objicitur defectus *corporis*) in *improperium* (dum objicitur defectus fortunæ, aut beneficia collata) in *deriſionem* (ſi proximum confundam verbis) & in *ſubſannationem*; ſi confundam geſticulationibus corporis. Quæ tamen differentiæ ſunt *accidentales* ſolum convenientes ſub una ratione formali ſeu læſione honoris alieni; hinc in confeſſione opus non eſt diſtinguere qualitates *contumeliæ*, & probra proximo objecta, v. g. apellavi furem, adulterum, hæreticum &c. idem eſt proportionaliter dicendum de læſione famæ &c. Jam in ordine ad Rubricam ſit 128

CONCLUSIO: Detractio, etiam pura, verum ſed occultum crimen revelans, ex genere ſuo eſt peccatum mortale: idem eſt de contumelia. *Ita omnes ex S. D. 2. 2. q. 72. a. 2. q. 73. a. 2.* 129

Prob. 1. pars: Detractio eſt *damnificatio* proximi in *gravi* bono, nempe in fama, quæ eſt bonum præſtantius quam bona fortunæ: 130

 ergo

ergo eſt peccatum mortale, niſi excuſet par
vitas materiæ, inadvertentia, & indelibera
tio: aut niſi res jam alias ſit nota; vel adſi
juſtà cauſa revelandi. De quibus videatur P
Spor. *à n. 55.*

131 Prob. 2. pars: Ex mox dictis *detractio* eſ
peccatum grave; ergo & *contumelia.* c. p
Hæc eſt majus peccatum quam detractio, ſicu
rapina major eſt quam ſimplex furtum; ergo
Interim tamen à mortali quoque excuſat tun
parvitas materiæ, tum *indeliberatio*, tum de
fectus *intentionis* proximum inhonorandi &c
De quibus in objectionibus.

132 Objicies 1. cont. 1. part. Ebrietas, fur
tum, fornicatio, ſunt gravia crimina; atqu
etſi *hæc* revelem de proximo, non pecco gra
viter; ergo. m. p. Ex communi, poſſum
absque gravi peccato de Germano dicere
eum fuiſſe *ebrium*, aut de milite fuiſſe *furatum*
fornicatum; ergo revelare gravia *crimina* non
eſt peccatum grave (: ℞. d. c. Si perſona læſa
ſit vilis vel ita affecta, ut crimen commiſſum
ei non ſit multum probroſum, vel id non ma
gno dedecori ſibi ducat c. ſecus n. Per regu
lam itaque univerſalem toties detractio cenſe
tur eſſe *gravis*, quoties fama alterius, ſive
deinde defectus narratus ſit mortalis, ſive
tantum venialis, *notabiliter* læditur: quod ex
circumſtantiis perſonæ læſæ, lædentis, & au
dientium deſumendum eſt. Hinc ſi de *Reli
gioſo* perfectionis valde ſtudioſo dicas, ſolere
mentiri, de perfectiſſimo *Medico* eſſe ignoran-
tem

tem &c. eſt detractio gravis, juxta P. Spor. *n. 57.* & P. la Cr. *n. 1195.* :)

Ob. 2. Si de aliqua Religioſa communitate dicam, ibi *nullam* eſſe *diſciplinam*; aut de aliqua civitate, in ea non eſſe *aequitatem* tribunalium, non pecco graviter: ergo. a. p. Si dicam Gallos eſſe *leves*, Germanos eſſe *bibulos* &c. non pecco graviter: ergo nec ſi dicam in illa communitate non eſſe pietatem (: n. c. Quia dum mores integrae cujusdam nationis perſtringo, dico quid, quod aliunde jam ſatis notum eſt, & inſuper indico potius nativam plurium *propenſionem* quam ipſum *peccatum*: *quod* tamen de communitate aſſero & publico, dum dico ibi nullam eſſe diſciplinam, aequitatem &c. Quod ſi quis narret defectum in *genere* tantum, nullam tamen perſonam nominet, nec aliunde ad *determinatam* perſonam deveniri poſſit, aut perſonam quidem nominet, illa tamen audientibus ſit *incognita*, nec cognoſcenda &c. non peccatur. 133

Idem eſt, ſi quis alterum dicat *ſuperbum*, avarum, pigrum &c. quia talia potius naturalem *propenſionem* quam ipſa vitia ſignificant. Spor. *n. 60.* Similiter grave de ſe non eſt, dicere alterum eſſe *ignarum*, imprudentem, exigui ingenii, eſſe claudum, deformem &c. quia tales defectus *naturales* ſolent eſſe inculpabiles, & ordinarie alias manifeſti &c. Babenſt. *n. 26.* :)

Ob. 3. Qui *occultum* & infame crimen perſonae alias bonae famae, ſine cauſa manife- 134

ſtat *uni* vel alteri ulterius minime evulgaturo, non peccat graviter juxta P. Spor. *n. 63.* & P. Viva *Theol. Mor. p. 3. q. 3. a. 2. n. 3.* Quia famam perdere apud *unum* tantum hominem cenſetur *modicum* nocumentum; imo moraliter perinde eſt, ac ſi crimen omnino taceatur: hinc maritus & uxor non peccant graviter, dum inter ſe de occultis alterius criminibus confabulantur: nec pœnitens, dum nominat in confeſſione complicem, ex *Part. 4. n. 569.* ergo detractio non eſt peccatum mortale (: n. c. & ſupp. quod in caſu præſenti fiat *detractio* gravis :)

135 Inſtabis: Judicium *temerarium* de ſe eſt peccatum mortale, quamvis apud *ſolum* temere judicantem lædatur bona exiſtimatio proximi; ergo & manifeſtatio criminis, *uni* tantum facta, erit mortalis (: n. c. Quia per judicium *temerarium* ex levibus indiciis imponitur alteri crimen *falſum*, & ideo eſt gravis injuria: econtra per dictam manifeſtationem dicitur crimen *verum*, per *cujus* patrationem alter ſicut amiſit jus ad famam apud me, ita & apud *alterum* virum taciturnum, qui eſt *alter ego*: adeoque rationabiliter non poteſt eſſe invitus :)

136 Ob. 4. Ex communi DD. omnium poſſum defectum aut crimen alterius manifeſtare alii 1. Ob neceſſitatem vel utilitatem petendi *conſilii* vel auxilii. 2. Ad *ſolatium* impetrandum, & ipſum dolorem leniendum. 3. Propter *correctionem* proximi, dum ſubditorum defe-

ctus

ctus ad Superiorem deferuntur. 4. Ad evitationem *damni* communis aut privati, proprii vel alieni &c. quia bonum innocentis ordine charitatis præferendum eſt famæ nocentis, qui in damnum aliorum injuſte famam poſſidere cenſetur, cum veræ famæ *fundamentum*, quod eſt virtus, non habeat; hinc, quem novi imperitum medicum, advocatum, confeſſarium, artificem &c. poſſum manifeſtare iis, quibus damnum inferri poteſt ex tali imperitia &c. ergo *manifeſtatio* criminis aut defectus alieni eſt licita (: *abſolute* n. ſi una ex circumſtantiis *enarratis* interveniat c,:) *Vid.* P. Spor. *à n. 73.*

Ob. 5. Non eſt illicitum loqui de criminibus proximi *notoriis* (: notorietate *juris* c. notorietate *facti* ſubd. ſi *nulla* tergiverſatione celari queant c. ſecus n. Ob hanc cauſam quod eſt notorium in *uno* loco, ordinarie poteſt perſcribi ad *alterum*; quia moraliter certum eſt, rem eſſe ulterius propagandam: non item quod notorium in *una* tantum *familia*; quia hæc ſe habet inſtar *unius* perſonæ politicæ vel moralis, res ſuas ſecretas apud ſe retinentis. Item *ſine* mortali poteſt manifeſtari alterius *crimen* nondum quidem publicum, moraliter tamen *certo brevi* publicandum; quia fama *taliter* amittenda vix amplius eſt æſtimabilis, qualiter tamen æſtimabile eſt unicum ultimum vitæ momentum; utpote conducibile ad vitam æternam:) *Vid.* P. la Cr. *n. 1221.* ergo diffamatio poteſt fieri ſine inju- 137

ria (: ubi perditum eſt *jus* ad famam c. ſecus n. :)

138 Ob. 6. urg. Quæ ſunt publica pro *uno* tempore, non poſſunt licite publicari pro *alio* tempore, in quo memoria eorum deleta eſt, vel fama honeſte vivendo iterum recuperata: ergo nec notoria in *uno* loco poſſunt publicari in altero (: n. a. ideoque retorqueo: ratio autem *negationis* eſt, quia ſemel improbus nunquam acquirit jus, ut habeatur vel dicatur probus pro *eo* tempore, pro quo fuit *publice* infamis, ut ceu probabile docet P. Babenſt. *n. 37.* P. Viva *n. 7.* Debet tamen caveri, ne audientes inde exiſtiment, adhuc eſſe improbum :)

139 Ob. ult. cont. 2. part. *Contumelia* ex genere ſuo non eſt peccatum mortale: ergo. a. p. Scimus ex praxi, quod *parentes* ſuos filios, *præceptores* ſuos diſcipulos vocent aſinos, ſtupores &c. Item quod mulierculæ & pueri ſeſe variis contumeliis afficiant; nec tamen inde damnamus peccati *mortalis*: ergo contumelia non eſt peccatum mortale (: ſi *non* proferatur *animo* dehonorandi ſed *animo emendandi*, aut tantum ex præcipitantia, prout fit in caſibus recenſitis, c. ſecus n. :) Cæterum quomodo honor læſus & fama reparari queat, ac debeat, dicetur infra *n. 246.* Et quia proximo irrogari quoque poteſt injuria per ſuſurrationem, & libellum famoſum, ideo

Quæ-

Quæres 1. Quid ſit *ſuſurratio*? & libellus *famoſus*? ℟. Suſurratio eſt peccatum linguæ, dum quis occulte de proximo male loquendo odium ejus ac diſſenſionem animorum molitur: nam finis ſuſurrationis ad diſcordiarum inter amicos ſeminatio. De gravitate hujus vitii linguæ diſſerens Doctor Angelicus *2. 2. q. 74.* ait: quod quanto *amicitia* præſtat *famæ*, tanto ſuſurratio, per quam amicitia tollitur, ſit *gravius* peccatum *detractione*; cum peccatum in proximum tanto ſit gravius, quanto per ipſum majus *nocumentum* proximo infertur; intellige ex genere ſuo, ac cæteris paribus. *Libellus famoſus* autem eſt ſcriptura, quæ infamiam alicujus continet nondum publicatam, ut edatur, & publica fiat. 140

Huc etiam reducitur *pictura* famoſa, v. g. appingere animo diffamandi alterius januæ cornua, vel patibulum &c. Pœna componentis, ſeu projicientis libellum famoſum (quam etiam incurrit qui libellum famoſum invenit, & non ſcindit, ſed manifeſtat aliis) de jure Civili eſt pœna capitis. *l. un. c. de famoſ. libell.* & alibi. Quod intelligendum eſt, quando libellus continet aliquod *grave*, quod, ſi infamatus commiſiſſet, dignus eſſet morte. De jure autem Canonico talis impoſtor punitur pœna perpetuæ infamiæ. Ex quo patet gravitas Libelli famoſi. Ita P. Reiffenſt. *tr. 9. diſt. 6. q. 3. n. 31. & 32.* 141

Quæ-

142 Quæres 2. Quomodo peccet, qui recenſet de proximo *audita* ut audita? ℞. *Venialiter* tantum, quando *nullum* ſubeſt probabile periculum, quod alii narrata ſint credituri: quia abeſt periculum *notabilis* damni proximo inferendi. Secus dicendum foret, ſi *vi* ipſius *narrationis* audientes moveantur ad credendum, prout bene monet P.Spor. *n.62.* Interim quando audientes *non aliter* credituri ſunt vel divulgaturi quam audiant, ordinarie erit veniale duntaxat: quia fama abſolute non tollitur, ſed tantum quaſi ſemiplene; uti per dubium, ſuſpicionem vel opinionem te-
143 merariam. Ubi bene obſervandum, etiam ipſos *audientes* detrahentem graviter peccare, & teneri ad reſtitutionem, ſi *poſitive* cooperentur ad detractionem faciendam vel continuandam: quia tunc ſunt efficax cauſa damni. Si autem nullo modo ſint cauſa *poſitiva* damni, non peccant contra juſtitiam, niſi ex *officio* teneantur impedire. Quodſi commode poſſint impedire, & non faciant, peccant contra charitatem: quamquam à peccato gravi excuſentur 1. Si exiſtiment, rem jam eſſe *notoriam*. 2. Si prudenter timeant, correctionem *nil* profuturam. 3. Si poſſint præſumere, manifeſtantem habere *juſtam* cauſam ſolatii, conſilii &c. Sporer *n. 108.* Mezger *n. 18.*

144 Quæres 3. An infamatus de *uno* crimine poſſit ſine injuria detractionis infamari de altero? ℞. Negative: quia fama non conſiſtit in

in indiviſibili, ſed habet quaſi multas *partes* morales, quarum una poteſt amitti, non amiſſa altera: Sic qui amiſit jus ad 100. aureos, adhuc retinet jus ad alios centum. Et hoc verum eſt, ſi crimina ſint *diſparata*: nam ſi affinia & plerumque connexa eſſent, grave peccatum haud foret, ut dum de notorio ebrioſo dicis, eum *male* adminiſtrare ſuam *œconomiam*, blaſphemare in ebrietate &c.

Quæ de vivis hucusque diximus etiam de 145
mortuis dicenda ſunt, quia *hi* per famam adhuc vivunt in memoria hominum, & ipſum jus ad famam remanet in anima ſuperſtite; unde illud *de mortuis non niſi bene.* Quid tenendum de *damnato*? Videatur P. la Croix *n. 1210.* *Seipſum* infamare, non eſſe peccatum mortale conſtat ex *Part. 2. n. 316.* ubi diximus hominem eſſe dominum ſuæ famæ: ubi tamen ſupponitur, talem infamiam non redundare in tertium, communitatem v. g. &c. Mezger *a. 4. n. 4.* Reum juridice interrogatum, ſed *necdum* convictum, absque peccato mortali poſſe negare ſuum crimen, docet P. Buſenb. *l. 4. d. 7.* P. Fegeli *p. 5. n. 44.*

ARTI-

ARTICULUS III.

Quid prohibeatur nono, & decimo præcepto decalogi? ubi quoque de delectationibus moroſis, & deſideriis illicitis, qualia peccata ſint?

146 PRænot. 1. Utrumque hoc præceptum *Exod. 20.* & *Deut. 5.* ſequentibus verbis proponi: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Et rurſum clarius: *Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt.* Adeoque utroque prohibetur *omnis* prava *concupiſcentia*, & quidem præcipue voluptatum *carnalium*, & *divitiarum*, utpote quæ generi humano, ad illas naturaliter magis proclivi, maixme nocivæ ſunt. Specifice *nono* præcepto prohibetur delectatio moroſa, & illicitum *deſiderium* in materia venerea; de quibus ex profeſſo hic: *decimo* autem nimia *aviditas* acquirendi divitias quibuscunque modis, etiam illicitis; de quibus ſatis *Part. 1. n. 432.*

147 Prænot. 2. Quod *delectatio moroſa* ſit ſimplex *complacentia* de re *illicita*, *ſine propoſito* illam exequendi. Dicitur *moroſa* non ratione *temporis*, ſed ratione *moræ* ipſius voluntatis, quæ advertens malitiam ſuæ cogitationis tamen *moroſe* perſeverat in ipſa, ac *complacentiam* habet: cui reſiſtere deberet. Econtra *deſiderium illicitum* eſt actus *efficax*, quo volun-

luntas *appetit*, & fertur in *objectum* prohibitum. Unde *deſiderium illicitum* per hoc differt à *delectatione* moroſa, quod *hæc* feratur in objectum aliquo modo præſens, *absque* intentione progrediendi ad opus: *deſiderium* autem fertur in rem abſentem *cum* intentione *opus* exequendi. Nunc ad tenorem rubricæ ſit virtualiter multiplex

CONCLUSIO: *Delectatio* moroſa & multo magis *deſiderium* illicitum, in materia venerea ſemper ſunt peccata mortalia. *Ita omnino omnes.* 148

Probatur utraque pars: *Delectatio* moroſa & deſiderium habent *objectum* intrinſece peccaminoſum, & quidem in tali materia, in qua non datur *parvitas* materiæ ex dictis *à num. 54.* ergo ſunt peccata *mortalia*. Reducuntur ad *diverſas* ſpecies externas luxuriæ, puta, fornicationis ſimplicis, adulterii, inceſtus, ſodomiæ &c. Juxta *rationem* objecti *cogitati* vel *deſiderati*. Interim tamen *delectatio* moroſa non habet omnes ſpecies malitiæ, quas habet *deſiderium* ſeu opus externum, niſi *circumſtantiæ* ipſe eſſent per ſe intentæ & volitæ: quod certe rarum eſt. Ratio data eſt cum pluribus aliis huc pertinentibus ſupra in *Part. 1. n. 347. & ſeqq.* 149

Objicies 1. *Deſiderium* illicitum contrahit *omnes* malitias *cognitas* in objecto: ergo & *delectatio* (: ℞. n. c. Quia deſiderium tendit in ipſam actionem *externam*, conſequenter habet cum *hac* eamdem malitiam: econtra *dele-* 150

ctatio

ctatio ſiſtit in objecto *prout* ab intellectu *propo*nitur, conſequenter facile abſtrahit à circumſtantiis, earumque malitiis :) *Vid. loc. cit. num. 348.*

151 Ob. 2. Si quis in quadrageſima *moroſe* delectetur in *cogitata* comeſtione carnis, non peccat: dummodo abſit *propoſitum* comedendi: ergo nec, ſi delectetur moroſe in objecto *venereo* (: n. c. *Hoc* enim eſt *intrinſece* malum, non item illud :) *Vid. l. c. n. 357.*

152 Ob. 3. Ad meritum per virtutem non ſufficit *quodlibet* deſiderium : ergo neque ad *demeritum* per vitium ſufficiet *deſiderium* quodcunque (: n. c. Nam plus requiritur ad *meritum* quam ad demeritum, eo quod hoc ſit de genere mali :)

153 Ob. 4. Datur peccatum *mortale* contra nonum præceptum *abſque* delectatione moroſa, aut deſiderio illicito : ergo. a. p. Qui deliberate *cupit* vel *gaudet* ſe amari amore *libidinoſe* mortali ab *alia* perſona, peccat mortaliter, quamvis ipſe non amet ; ergo (: n. c. Talis enim *conſentit* peccato mortali ſuo, vel alieno :) *Vid.* Reiffenſt. *tr. 9. diſt. 7. q. 2. n. 6.* De reliquo quæ dici poſſent de delectationibus & de objecto malo ſub *conditione*, jam præoccupavimus *in cit. Part. 1. à num. 367.*

154 Deduces: *Delectationem* moroſam peccaminoſam (idem eſt proportionaliter de *deſiderio* illicito) habere locum in *omnibus* præceptis Decalogi : & qua ratione ipſa peccata exter-

xterna erunt mortalia vel venialia, etiam lelectatio de iisdem moroſa mortalis, vel veialis erit. Quod autem DD. communiter loctrinam ſuam potius applicent delectatioi *venereæ* quam aliorum peccatorum, ideo ſt, quod ea delectatio non tantum frequenißima & notiſſima ſit, ſed & importuniſſina, & fœdiſſima, ob turpem carnis motum tc. *Vid.* P. Spor. *tr. 1. c. 6. ſ. 3. n. 23.* Nunc ondum attacta ſuadet attingere ſequens

DISPUTATIO II.

DE RESTITUTIONE IN GENERE, ET IN SPECIE.

RESTITUTIONEM præcepto Divino mandari 155
jam audivimus *num. 73.* Hoc ne transgrediamur, huc neceſſaria ſuramur
eu potius emutuamus è Theol. noſt. Schol.
art. 5. tr. 2. præſentique Diſputationi reſtiimus. In prima hujus Quæſtione daturi eſtitutionem in genere: in ſecunda inſuper eſtitutione in ſpecie.

QUÆSTIO I.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

ARTICULUS I.

An & quales fructus debeant reſtitu ex- & cum re accepta?

155 PRænotandum 1. Reſtitutionem recte de finiri: eſt *actus juſtitiæ commutativæ, qu res ab alio accepta redditur, vel quo dam num proximo irrogatum reparatur.* Differt à *ſo lutione*, quod hæc non ſupponat damnum ir rogatum: à *ſatisfactione*, quod hæc ſit quic magis particulare, & potiſſimum fiat pro da mnis in *honore* & fama, adeoque perſonam reſpiciat: à *compenſatione* autem, quia hæc eſt damni illati reparatio; ſicque *reſtituere* eſt quid generalius. Interim hæc nomina com

156 muniter promiſcue ſumuntur. Reſtitutionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, non quidem neceſſitate *medii* ſed neceſſitate *præcepti* ſolum, fuſius docuimus in *Part. 5. noſt. Theol. Schol. à n. 302.* Ratio ibi data eſt: quia *neque fures neque raptores regnum Dei poſſidebunt*, ut loquitur Apoſt. 1. *Cor. 6.* atqui qui *non reſtituunt* ſunt fures & raptores; quia *retentio* eſt continuata ablatio: ergo reſtitutio eſt neceſſaria ad ſalutem, non quidem neceſſitate medii (cum dentur cauſæ à reſtitutione excuſantes, ex *n. 223.*) ergo præcepti. *Hinc S. Aug. Ep. 54. ad Maced. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt.*

Præ-

Prænot. 2. Similiter nos loco mox citato à *n. 314.* rurſum pluribus oſtendiſſe, præceptum reſtitutionis *principaliter* & ex fine proximo eſſe affirmativum (quia præcipit principaliter actum *poſitivum*, nempe poſitivam *redditionem* debiti rigoroſi, & reparationem juris læſi ad æqualitatem arithmeticam, *quæ* nunquam fiet, niſi domino rem debitam poſitive reddas; nam etſi rem ablatam *deſeras*, ſicque non detineas, ſi tamen illam non *reponas* in manus domini, præcepto reſtitutionis non ſatisfacies) quamquam *radicaliter* & ſecundario ſit *negativum*: quia radicatur in illo præcepto negativo, *non furaberis*; adeoque prohibet detentionem rei ſaltem ſecundario. 157

Prænot. 3. Ex ibi dictis *à num. 324.* duas tantum eſſe radices reſtitutionis, nempe *ex re accepta, & ex injuſta acceptione*, prout docet *S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. in c.* Ratio eſt: quia jus alienum univerſim *duobus* tantum modis proxime lædi poteſt, nimirum vel *alienum detinendo* (& ſic eſt ex *re accepta*, ſeu ex læſione juris alieni *injuſta* ſolum materialiter) vel injuſte alteri *damnum* inferendo; & ſic eſt *ex injuſta acceptione*, ſeu ex læſione juris alieni injuſta *formaliter*; ergo. Adeoque tertiam radicem non facit obligatio *ex contractu*, quo quis alteri ſe obligat ad ſolutionem rei, etſi *caſu* pereat: nec lex Aquilia, vi cujus tenetur dominus ad reparationem damni ſeu *noxæ*, ut nominant JCti, à ſuo quadrupede factæ: quia *illa obligatio* non eſt *ad reſtitutionem* pro- 158

prie, ſed potius ad ſolutionem ſeu traditionem æſtimationis rei vi pacti debitæ, cum non ſupponatur jus alienum *læſum* vel action injuſta, vel detentione alieni. Lex Aquili autem vel non obligat in conſcientia ſalter *ante* ſententiam Judicis: vel obligat ſolum ad reſtitutionem *late* ſumptam; hic auten aditur de radicibus reſtitutionis *proprie* dicta

159 Prænot. 4. In præſenti Articulo ſermonem principaliter eſſe de radice reſtituendi ex *re accepta* ſeorſim ſumpta, non conjunctim, prout ſumetur in *art. ſeq.* Vi hujus radicis *tantum* eſt reſtituendum, *quantum* de re aliena poſſeſſor bonæ fidei adhuc poſſidet, vel in quantum factus eſt ditior, ut fuſe explicat P. Spor. *tr. 4. c. 2. à n. 89.* Cum quo in citata Theol. noſt. *n. 330.* concluſimus: rem furtivam *licite* reddi poſſe *furi* ad recuperandum pretium ſolutum non tantum ab emptore *bonæ* fidei, ſed etiam ab emptore *malæ* fidei. Item, pretium acceptum ob opus *turpe* poſt *factum* non debere reſtitui, ſed in conſcientia *licite* poſſe retineri, & nondum acceptum exigi, ſicque in conſcientia etiam debere ſolvi. Idem vere ibi *à n. 344.* docuimus de pretio accepto ob opus *debitum* ex *alia* virtute quam juſtitia; nam accipiens ex pacto pretium pro opere debito ex *juſtitia* vendit rem *alienam*; ergo pretium illud non poteſt ſervare. Proinde hic unica quæſtio, in rubrica propoſita, ſupereſt decidenda. Circa quam

Præ

Prænot, 5. Etſi *fructuum* nomine intelligantur principaliter, quæ *terra* gignuntur, ſecundario tamen ſignificari quoque omnia emolumenta, & *proventus*, qui ex re corporali aut incorporali percipiuntur: item omnes *actiones* & *jura*, ſi quæ nactus eſſet poſſeſſor in re. Ex fructibus taliter acceptis alii ſunt *naturales*, quos *res ipſa* producit ſine ulla fere hominis *induſtria*, ut gramen, poma, partus animalium; alii *induſtriales*, qui ex mero labore & induſtria proveniunt, ut *lucrum* ex negotiatione cum pecunia de ſe ſterili: alii *mixti*, qui partim ex natura partim ex induſtria proveniunt, veluti ſegetes &c. Ex his fructibus aliqui vocantur *pendentes*, nempe quando adhuc adhærent ſolo, arbori &c. aliqui *percepti*, ſi ſunt ſeparati: & *hi*, quamdiu non conſumuntur vel alienantur, dicuntur fructus *extantes*: ſecus nominantur *conſumpti*. Quodſi rei *dominus* ob *majorem* curam *plures* fructus percepiſſet, quam quos poſſeſſor percepit, appellantur fructus *percipiendi*. De quibus *omnibus* loquitur Rubrica præſens & 160

CONCLUSIO I. Fructus *mere induſtriales* ex re aliena *non* ſunt reſtituendi domino rei cum re accepta, ſed *ſpectant* ad poſſeſſorem, etiam *malæ* fidei. *Ita communis apud P. Spor. tr. 4. c. 2. ſ. 2. n. 69.* 161

Probatur: Fructus mere *induſtriales* non ſunt effectus rei *alienæ* (utpote omnino *ſterilis*) ſed ſolius hominis *induſtriæ* operantis;

ergo ad hunc ſolum ſpectant; etiamſi ſit *malæ* fidei poſſeſſor, quia huic non ſuffragatur iniquitas ſed ſola induſtria, ingenium, aut fortuna. Maxime: quia ſicut *fructus rei* ſequitur rem, ita fructus *induſtriæ* ſequitur induſtriam, & induſtriæ auctorem; ergo.

162 CONCLUSIO II. Nihilominus à poſſeſſore etiam *bonæ* fidei debent reſtitui *omnes* fructus *naturales & mixti* tam pendentes quam percepti: niſi *bona* fide conſumpti ſint *absque* ditioratione, aut præſcripti: deductis tamen expenſis, æſtimatione laboris, & melioramentis. *Iterum communis apud P. Mezger tr. 12. d. 33. a. 2. n. 3.*

163 Prob. 1. pars: Fructus *mere naturales* ſunt pars rei frugiferæ: ergo cum ipſa *re* reſtituendi ſunt. Idem eſt de fructibus *mixtis* quantum reſpondent naturæ: nam & hi ſunt veri fructus rei *alienæ*, res autem ſemper fructificat domino ſuo, ubicunque ſit; ſic natus ex *ancilla* eſt ſervus domini, ubicunque fuerit progenitus, idque verum eſt de fructibus tam *pendentibus* quam *perceptis*: ergo.

164 Prob. 2. pars: Quia ſi bona fide conſumpti ſunt absque *ditioratione*, non amplius exſtant; ergo ceſſat obligatio reſtituendi ex *re accepta*. Imo eſt probabile, non eſſe obligationem reſtituendi reſpectu poſſeſſoris *bonæ* fidei, etiamſi extarent *virtualiter*, prout refert P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 211.* & ceu probabilius docet P. Pichler *l. 2. t. 12. n. 7.* Saltem hoc eſt certum ſi ſint *præſcripti*: quia ſicut

aliæ

aliæ res mobiles ita & fructus à bonæ fidei poſſeſſore præſcribi poſſunt intra triennium contra dominum: ergo. *Vid. n. 169. & ſeqq.*

165 Prob. 3. pars: Quia niſi in reſtituendis fructibus detrahantur *expenſæ* ejusmodi, quas ipſe *dominus* facere debuiſſet; *hic* plus recipiet, quam ei debeatur; ergo. Hinc etiam æſtimatio *laboris* & induſtriæ detrahi poteſt; alias dominus locupletaretur cum damno alterius, contra *regulam 48. Jur. in 6.* Quæ ratio quoque pugnat pro *melioramentis*; præcipue ſi *hæc* fuerint neceſſaria ad conſervationem rei, aut ſaltem *utilia*, eoquod *talia* cedant in commodum, aut indemnitatem domini. Quin etiam, ſi fuerunt *voluptuaria*: cum ſic res facta ſit pretioſior; ergo. *Vid.* La Cr. *n. 232.*

166 Objicies 1. cont. 1. concl. Nemo debet ex alieno locupletari (: ℞. d. a. formaliter & proxime, ſi habeat rem alienam in ſe c. cauſaliter & remote, ſi ſolummodo utatur re aliena tanquam *inſtrumento* ſuæ *induſtriæ* n.:) ſecus foverentur peccata & injuſtitiæ: ergo ſaltem poſſeſſor *malæ* fidei fructus induſtriales non facit ſuos (: n. c. Si meretrix per opus turpe mercedem facit ſuam:)

167 Ob. 2. urg. Qui ſeminat *triticum* alienum, & inde trahit *lucrum*, tenetur *hoc* reſtituere: ergo & qui lucratur negotiando cum *pecunia* aliena (: n. c. Quia in *ſeminatione* cauſa principalis eſt natura: in *negotiatione* autem induſtria:)

168 Ob. 3. cont. 2. concl. part. 1. Poſſeſſor *bonæ* fidei fit dominus fructuum *mixtorum* (: interim & *revocabiliter*, nempe usque dum res ipſa à domino evincatur c. fit dominus *abſolute* n. :) ergo *hi* non debent reſtitui ab illo. a. p. Hoc docet lex *48. ff. de acq. rer. dom.* expreſſe (: de dominio *revocabili* c. *abſoluto* n. :) ergo.

169 Ob. 4. cont. 2. part. In *l. 2. c. de R. V.* & in *l. 4. §. 2. ff. fin. regund.* ſatis aperte dicitur, quod poſſeſſor *bonæ* fidei non teneatur reſtituere fructus conſumptos (: ſi inde non eſt factus ditior c. ſecus n. Nam *res* ipſa debet reſtitui, ſi *virtualiter* exſtet, ergo multomagis *fructus*. Nec negatio actionis pro foro externo tollit obligationem pro foro interno, velut patet in defraudatione infra dimidium :) ergo.

170 Ob. 5. Jura neceſſitatem reſtituendi fructus, per quos quis factus eſt ditior, exprimunt in ſola *petitione* hæreditatis; ergo in *hac* ſola reſtituendi ſunt (: n. c. Imo retorqueo; ergo quoque ſunt reſtituendi in *aliis* caſibus :) c. p. Exceptio in caſibus non exceptis firmat regulam (: n. ſupp. Jura enim non faciunt exceptionem, ſed *expreſſionem* juris naturalis :) ergo. P. Mezger *hic n. 10.*

171 Dices: Obligatio *dicta* eſt valde gravis, & obnoxia mille ſcrupulis, imo moraliter *inobſervabilis* (: n. hoc: alioquin enim *talis* foret in petitione hæreditatis; nam lex naturæ non præcipit inobſervabilia :) ergo non debet afferi.

Ob. 6.

Ob. 6. cont. 3. part. Saltem poſſeſſor *malæ* fidei non poteſt detrahere *expenſas* meliorамentorum: ergo. a. p. Ei negatur actio petendi illas expenſas in *l. adeo 7. §. ex diverſo, ff. de acq. dom.* ergo non poteſt detrahere (: *poſt* ſententiam c. *ante* n. Nam lex illa eſt pœnalis, conſequenter non obligat ante ſententiam judicis :) *Vid.* La Cr. *n. 221.* 172

Quæres 1. Quos fructus poſſeſſor *malæ* fidei obligetur reſtituere? ℟. Quamvis non teneatur reſtituere fructus induſtriales ex *n. 161.* tenetur tamen reſtituere omnes fructus naturales, & mixtos, ex *n. 162.* etiam jam *conſumptos*, etſi inde *non* ſit factus ditior: nam ad horum reſtitutionem tenetur ex *injuſta* acceptione. Quin, obligatur inſuper reſtituere fructus *percipiendos*: quia ſua injuſta detentione & mora culpabili eſt vera cauſa totius illius lucri ceſſantis. P. Spor. *n. 177.* La Cr. *n. 200.* & *hactenus citati.* 173

Quæres 2. An poſſeſſor *malæ* fidei teneatur reſtituere fructus, quos dominus percepiſſet ex *turpi* uſu rei ſuæ? ℟. Negative, ſi tales fructus fuiſſent ſecuti ex ipſo *peccato*: tunc enim non ſunt fructus rei, neque induſtriæ honeſtæ, ſed *malitiæ* & turpitudinis; conſequenter dominus ad illos non habet jus. Secus ſi lucrum fuiſſet ſecutum non ex ipſo peccato, ſed ex *uſu* rei: ſic injuſtus poſſeſſor domus alienæ tenetur reſtituere pretium, quod percepiſſet dominus, ſi eam locaſſet meretrici, tunc enim adhuc eſt fructus rei, utut 174

peccatum intercedat. *Vid.* P. la Croix *num.* 217.

175 Quæres ult. Ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei, ſi reſtitutionem diu differat? ℞. Obligatur compenſare omne *damnum* inde emergens & *lucrum* ceſſans ob illam iniquam detentionem: quia alioquin non fieret reſtitutio ad æqualitatem *arithmeticam* juſtitiæ *commutativæ.* Quæ tamen intelligenda ſunt, niſi pars læſa talem *compenſationem* remittere cenſeatur: qualiter remitti ſane cenſeri debet noſtris temporibus, ſi pars læſa non petat, prout aſſerit P. Spor. *n. 182.* Plura de his videri poterunt in P. Thoma Schmitz *Vol. 2. p. poſt. d. 29. q. 3.*

ARTICULUS II.

Utrum culpa mere juridica obliget ad reſtitutionem ex injuſta acceptione?

176 PRænot. 1. In hoc Articulo jam agi de *altera* radice reſtitutionis, quæ eſt *injuſta acceptio.* Hæc accipitur hic pro *injuſta actione externa* qua proximo damnum infertur; nam ex ſola *voluntate* nocendi *interna* non oritur obligatio reſtituendi, quia per hanc nondum datur *inæqualitas* & damnum *reale.* Proin potiſſima diſceptatio eſt, *qua* & *quanta* debeat eſſe *culpa* damnum inferentis, ut exinde naſcatur obligatio reſtituendi in con-

conſcientia ? Hinc advertendum, culpam communiter dividi in *Theologicam* (quæ eſt transgreſſio legis *Divinæ*, eaque vel mortalis, vel venialis) & *juridicam*; quæ eſt transgreſſio legis *humanæ*, qua quis alterum damnificat per commiſſionem vel omiſſionem, quæ hominis diligentia potuiſſet caveri. *l. quod Nerva. ff. depoſiti.* Eſtque quintuplex: *latiſſima*, quæ eſt dolus *apertus*: *latior*, quæ eſt dolus *præſumptus*: *lata*, quæ eſt *omiſſio* diligentiæ *communis*: levis, quæ eſt omiſſio diligentiæ *majoris*: & *leviſſima*, quæ eſt omiſſio diligentiæ *maximæ* & extraordinariæ. Quod ſi damnum datum ſit nulla diligentia evitabile, dicitur caſus fortuitus. His ſuppoſitis

Prænot. 2. Certum eſſe, quod ille, qui 177 cum culpa *latiſſima*, *latiore*, & *lata* (utpote regulariter conjunctis cum culpa *theologica*) aggreditur actionem periculoſam, ex qua alter damnum patitur, peccet *mortaliter*, & ad reſtitutionem teneatur, niſi ipſum excuſet defectus *cognitionis* ex parte intellectus, *voluntarii* ſeu deliberationis ex parte voluntatis, aut *parvitas materiæ*. Ratio eſt: quia talis eſt *vere* cauſa damni, & in illud *poſitive*, *phyſice*, ac moraliter influit. Dico *poſitive*; nam influxus mere *negativus* non obligat ad reſtitutionem, niſi quis obligetur ex officio vel contractu (de quo *à n. 186.*) Nec influxus *poſitivus*, ſi ſit ſolum *venialis*, ex dicendis *à n. 200.* Itaque de culpa juridica *extra* offici-

um

um vel contractum loquetur prima concluſio; de culpa autem *intra* officium vel contractum aut quaſi contractum concluſio ſecunda; ante cujus reſolutionem.

178 Prænot. 3. *Quaſi contractum* vocari illum, in quo *non* intervenit voluntas obligandi formalis & *expreſſa* ſed *virtualis* tantum & interpretativa: *qualem* cenſentur habere omnes, qui in ſe ſuſcipiunt aliquod munus vel *officium* v.g. Judicis, Medici, Confeſſarii &c. De quibus in concluſione *ſecunda*: in concluſione *tertia* poſtmodum de illis, qui verum contractum habent: ſupponitur autem ex jam dictis *Part. 2. n. 438.* contractum definiri, quod ſit *obligatio ultro citroque.* Si cedat in utilitatem *ſolius accipientis* (ut eſt contractus *commodati* & *precarii*) tunc de Jure Civili parit obligationem reſtituendi ex culpa etiam *leviſſima.* Si econtra cedat in utilitatem ſolius *dantis* (ut eſt *depoſitum*) oritur obligatio reſtituendi ex culpa *lata* ſolum. Si denique cedat in utilitatem *utriusque* (ut emptio) talis obligatio reſtituendi poteſt exurgere ex culpa *levi* & *lata.* Nam hæc quoque vera ſint in foro *conſcientiæ, & ante* ſententiam judicis, & ſecluſo alio pacto? dicetur in duabus poſterioribus concluſionibus. Nunc ſit

179 CONCLUSIO I. Ex culpa mere *juridica* extra officium vel contractum non oritur obligatio reſtituendi *ante* ſententiam Judicis; bene tamen poſt illam. *Ita communis DD.*

180 Prob. 1. pars: Obligatio reſtituendi ex *injuſta* acceptione *adæquate* oritur ex *damnifica*tio-

tatione injuſta *formaliter* & theologice; ſecus etiam damnificans ex *amentia* aut *caſu* fortuito teneretur ad reſtitutionem: ergo *requiritur* culpa *theologica*. c.p. Sine *hac* non datur damnificatio & injuria formalis: ergo; ſaltem *ante* ſententiam.

Prob. 2. pars: Si *poſt* ſententiam Judicis non foret obligatio reſtituendi; tunc ſententia Judicis eſſet *fruſtranea*; nec obtineretur *finis* legum, qui eſt major cautela pro evitandis ejusmodi damnificationibus &c. ergo. Interim tamen *etiam* poſt ſententiam nulla eſſet obligatio reſtituendi, ſi *nec* culpa Juridica intervenisſet ex parte damnificantis: quia leges ipſæ abſolvunt damnificantem *ex caſu fortuito*; ergo. 181

CONCLUSIO II. In foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis nemo ex *quaſi contractu* vel *officio* tenetur ſub *mortali* compenſare damnum ex *ſola* culpa Juridica ſecutum, ſed ad obligationem gravem requiritur culpa *theologica* gravis: niſi interceſſerit nova promiſſio & pactum ſpeciale. *Ita communis apud* P. Spor. *tr. 4. c. 2. ſ. 6. n. 240.* 182

Prob. 1. pars: Nemo in ſuſceptione officii intendit ſe obligare ad diligentiam *exquiſitiſſimam*, ſed ad *communem* duntaxat & moralem, quam quilibet adhibet in *proprio* negotio: ergo ſi *hanc* adhibeat (quamvis damnum ſequatur) nemo tenetur ad illud compenſandum in conſcientia & *ante* ſententiam judicis. c. p. Talis eſt liber ab omni *culpa*; ergo & à *pœna*. 183

Prob.

184 Prob. 2. pars: In hominis poteſtate eſt ſe obligare ad diligentiam *maximam*; ergo ſi ad hanc ſe obliget per novam promiſſionem & *ſpeciale* pactum; ad *illam* obligabitur etiam in conſcientia: & conſequenter quoque ad compenſandum damnum ex culpa *leviſſima* ſecutum.

185 CONCLUSIO III. In foro conſcientiæ *ante* ſententiam Judicis etiam nemo obligatur ex *vero contractu* ſub mortali compenſare damnum absque culpa *gravi* theologica ſecutum: bene tamen *poſt* ſententiam Judicis. *Ita ille n. 234, ibique citati contra plures.*

186 Prob. 1. pars: Nemo in contractu qualicunque cenſetur ſe obligare ſub *gravi* culpa ad diligentiam exactiſſimam ſed ad *communem* tantummodo: ergo ſi *hanc* adhibeat, nunquam peccat *graviter*; ſicque non tenetur ſub gravi ad reſtitutionem, etſi damnum ſequatur ſtante contractu quocunque. Leges contrariæ ſunt pœnales tantum, vel non receptæ in foro *conſcientiæ* ante ſententiam Judicis.

187 Prob. 2. pars: Leges illæ ſub *n. 178.* ſunt juſtæ, & ſi accedat *ſententia* Judicis, ponitur caſus, pro quo ſunt latæ: ergo poſt *illam* obligant in conſcientia. Præſertim: quia alias ſententia Judicis eſſet fruſtranea, & nunquam obtineretur finis legum; prout in ſimili jam dictum *n. 181.*

188 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Lex *Aquilia* atque leges concedentes actionem ex *quaſi* deli-

delicto , ac noxalem obligant ante omnem ſententiam absque omni culpa theologica: ergo. a.p. Non ſunt mere pœnales, ſed in bonum Reipublicæ ſtatutæ: ergo obligant ante ſententiam judicis etiam in foro interno (: ℞. d. ç. mediante actione & *ſententia* Judicis c. ſecus n. Vel: ſi legislator voluiſſet inducere talem obligationem *antecedentem*, hancque populus acceptaſſet c. ſecus n. :)

Urgebis.: Dictæ leges ſunt approbatæ à jure Canonico, nominatim in *c. ult. de injur. & dam. dat.* ergo obligant in *conſcientia.* ç. p. *Hanc* præcipue reſpicit Jus Canonicum (: in legibus *non* pœnalibus c. pœnalibus ſubd. ante ſententiam n. *poſt* illam c. :) ergo. 189

Ob. 2. Leges illæ obligant *poſt* ſententiam: ergo & *ante* ſententiam. ç. p. Damnificatus habet jus: ergo & damnificans obligationem. a. p. Sententia juſta ſupponit aliquod jus (: *præſuppoſitive* & in actu *ſecundo* n. *concomitanter* tantum & in actu *primo* c. :) ergo. Præſertim: quia *citatio* ad judicium præſupponit culpam (: *juridicam* c. Theologicam *ſemper* n. :) ergo. 190

Inſtas: Æquitas naturalis poſtulat, ut is potius damnum luat, qui illud aliquo modo *dedit* (: ſi dedit *voluntarie* c. ſi involuntarie n. tunc enim *caſui* adſcribendum eſt :) quam qui innocenter patitur: ergo damnificans tenetur reſarcire, etſi non peccarit. 191

Ob. 3. cont. 2. part. Damnum datum ſine omni culpa Theologica eſt *fortuitum*: ergo non eſt obligatio illud compenſandi etiam 192

poſt

poſt ſententiam Judicis, ex *n. 181.* a. p. Eſt involuntarium (: voluntate *Theologica* c. *juridica* n. :) ergo.

193 Replicas: Citatæ leges fundantur in præſumptione *culpæ* (: Theologicæ n. *juridicæ* c. :) ergo non obligant etiam *poſt* ſententiam Judicis (: ſi abfuiſſet *omnis* culpa, etiam juridica c. ſecus n. :)

194 Ob. 4. Lex non poteſt obligare ad præſtandum damnum *ſine* omni culpa datum (: ſi non exigat bonum commune c. ſecus n. Nam ſi *privati* per mutuas conventiones ſe poſſunt ita obligare, multo magis eos ita obligare poterit *Magiſtratus* :) ergo non eſt obligatio etiam poſt ſententiam Judicis. Præſertim: quia talis lex ſubditis foret nimium *gravis* (: n. hoc; quia *æquale* eſt omnium *periculum*, & *æqualis* omnium ſpes; nam qui damnum *nunc* patitur, forſan tale *ſuo* tempore inferet alteri :) ergo. Quæ dici poſſent contra 2. concluſionem vide in Theol. Schol. *Part. 5. à n. 441.*

195 Ob. 5. cont. 3. concl. part. 1. In contractibus *veris* contrahentes ſaltem *implicite* ad formam per leges præſcriptam ſe obligant (: ſub reatu *culpæ* & in conſcientia n. tantum ſub reatu *pœnæ poſt* ſententiam Judicis ſolvendæ c. :) atqui leges in quibusdam contractibus obligant ad diligentiam *maximam*, adeoque ut ſit obligatio ex culpa levi & leviſſima; ergo.

196 Repones: Leges diligentiam *maximam* exigentes ſunt *juſtæ* (: ſed tantum *pœnales* c.

non

non pœnales n. :) ergo obligant in conſcientia (: *ante* ſententiam n. poſt ſententiam c. :) n. p. Æquum eſt, ut potius *damnificans* ferat damnum quam *damnificatus* (: hic poteſt ſe facere indemnem per implorationem judicis :) ergo.

Ob. 6. urg. Commodatarius ob omiſſionem *maximæ* diligentiæ ad damnum aliquo modo concurrit (: voluntarie n. *caſualiter* c.:) ergo tenetur illud compenſare. Deinde commodatarius habet rem in ſolam *ſuam* utilitatem : ergo illam magis cuſtodire obligatur (: ex juſtitia n. ex *gratitudine* c. :) quam *depoſitarius*, qui obligatur ex culpa lata ſolum, quia eam habet in utilitatem ſolius *deponentis*. 197

Ob. ult. cont. 2. part. Si res perit absque culpa theologica (: & ſimul *juridica* c. ſi pereat cum culpa ſaltem *juridica* n. :) eſt *caſus* mere fortuitus: ergo non eſt obligatio damnum illud compenſandi etiam poſt ſententiam Judicis (: ſi datum ſit absque omni culpa etiam juridica c. ſecus n. :) *Vid.* P. Spor. *n. 223.* La Croix *n. 181.* 198

Deduces 1. Ex culpa *mere juridica* poſſe naſci obligationem *gravem* reſtituendi in conſcientia: quia cum culpa mere juridica damnum poteſt eſſe voluntarium cum apprehenſione malitiæ ſolum politicæ; ergo quoque poteſt eſſe obligatio gravis illud reſarciendi; maxime ſi ſuperveniat ſententia Judicis, aut obligatio ex contractu vel officio &c. *Vid.* 196

P. Pichler *l. 5. t. 36. n. 10. 11. &c.* Utrum communi periculo potius ſalvanda ſit re aliena, commodata aut depoſita, quam re propria, jam reſpondimus ſupra *Part. 2. num 478.* Item quid dicendum, ſi res pere apud commodatarium aut depoſitarium *n. 477.* Quod ſi res commodata, depoſi &c. in via pereat, debitor pariter ad nihil te netur, ſi eadem res in *individuo* reddenda e domino: quia res (quando abſque culpa de bitoris perit) ſemper perit domino ſuo: ſicu huic fructificat. Quod ſi *non* eadem *numero* ſed ſpecie reddenda ſit, tunc perit debitori quia dominium ejusdem rei necdum fuit ac quiſitum *creditori*; niſi *hic* nuntium deſigna ſet, per quem debitum mitteretur, tun enim per traditionem, illi nuntio factam cenſetur ſolutio à creditore acceptata, adeo que in ejus dominium translata. P. Sporer *num. 219.*

200 Deduces 2. Quod ex culpa tantum ve niali nunquam oriatur obligatio gravis reſti tuendi *totum* damnum grave: imo nec *levi* quoad *totum* damnum: quamquam ex *tali* cul pa veniali oriatur obligatio *levis* reſtituend *partem* levem illius damni. Ratio primi eſt quia alias obligatio reſtituendi eſſet *majo* quam *injuria*, utpote quæ levis tantum eſt & venialis; ſicque pœna non eſſet proportio nata delicto. Imo par pœna imponeretur imparibus delictis; quia damnificans cum culpa veniali teneretur ad *eamdem* reſtitutio-

nem,

nem, ad quam tenetur damnificans cum culpa *mortali*; quod repugnat æquitati naturali. ergo. Ratio ſecundi eſt: quia affectus *pœ-* 201
nalis gravis non poteſt oriri ex delicto *levi*; delictum enim eſt menſura pœnæ: atqui compenſatio *totius* damni eſt effectus gravis, & culpa *venialis* eſt delictum leve; ergo nec levis obligatio eſt ad compenſationem totius damni; ergo. Ratio tertii eſt: quia injuria *perfecta* inducit obligationem perfectam compenſandi damnum *totum*: ergo imperfecta, qualis eſt *venialis*, inducit obligationem *imperfectam* & *levem* compenſandi *partem* damni. Præſertim: quia damnum illud cum voluntate & *culpa* ſaltem *partiali* illatum eſt; ergo. Ex his

Deduces 3. Ut culpa theologica gravis 202
inducat obligationem gravem compenſandi *totum* damnum, *hanc* debere eſſe contra juſtitiam: & ratione *hujus* damnificantem teneri *tantum* duntaxat reſtituere, quantum *re ipſa* ſcienter & *voluntarie* alteri actu *nocuit*. Ratio primi eſt: obligatio compenſandi damnum & reſtituendi oritur ex læſione *ſolius juſtitiæ*: ergo ſi culpa non eſt contra juſtitiam, non inducit obligationem illam. Hinc ſi *fornicaturus* caſu incendit *domum*, non tenetur compenſare *hujus* damnum: imo nec tenetur, qui illam ſine culpa gravi incendit *furando*: quia geſtatio luminis non eſt *proxima* læſio juris, quod dominus habet ad domum. *Vid.* P. Sporer *tr. 4. c. 2. ſ. 5. num. 193.* Ratio ſecundi eſt: 203

menſura reſtitutionis ex *injuſta acceptione* eſt quantitas damni *re ipſa* & effective illati, non affective tantum; cum juſtitia reſpiciat *medium rei:* ergo tantum præciſe reſtituere tenetur, quantum *actu* nocuit. Hinc qui quidem ſcienter intulit damnum grave, ſed invincibiliter ignoravit illud eſſe *tam grave*, non tenetur ad reſtituendum hunc *exceſſum*, non cognitum. Ratio eſt: quia hic exceſſus (hoc ipſo, quod ſit involuntarius) non eſt formaliter ſed tantum *materialiter injuſtus*, ideoque non voluntati ſed *caſui* adſcribi debet: neque datur lex naturæ homines obligans ad evitanda damna *involuntaria*; ergo. *Vid.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. num. 194.* Quæ opponi poſſent, jam ſolvimus in Theol. noſt. Schol. *Part. 5. à n. 411.*

204 Deduces 4. Illum, qui alterum impedit à conſecutione alicujus *boni*, ſi *hoc* ei debeatur ex juſtitia commutativa, teneri ad totum damnum reſarciendum: quia eſt cauſa injuſta damni alterius. Si autem non debeatur ex juſtitia, rationabiliter tamen ſperetur, impediens ad nihil tenetur, dummodo fiat abſque fraude, vi &c. nam collator boni indebiti poteſt ſine peccato injuſtitiæ *mutare* ſuam voluntatem; ergo alius poteſt illi ſine injuſtitia *cooperari* ad talem mutationem. Interim tamen tenetur, ſi impediat per *fraudem*, *vim* &c. quia quilibet habet jus proprium, ne impediatur fraude, violentiave, à conſecutione rei, quam ſperat; ergo taliter impediens

diens tenetur ad reſtitutionem non quidem ipſius rei (utpote quæ ipſi necdum facta eſt *propria*) ſed æſtimationis illiusſpei, quam ad illam rem habere potuiſſet. *Vid.* P. Sporer *à n. 197.* præſertim *n. 201. & 209.*

ARTICULUS III.

Quisnam ex cooperantibus ad damnum debeat reſtituere? ubi etiam de circumſtantiis reſiduis.

PRænot. 1. Circumſtantias reſtitutionis comprehendi decantato illo verſiculo: 205
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando? circumſtantia *cur ſit reſtituendum* fuſe jam explicata eſt, nempe ut reparetur jus alterius læſum. Circumſtantia *quid* ſeu *quantum* ſit reſtituendum quoque jam partim elucidata eſt, partim elucidanda redibit. De reſiduis itaque hic agendum eſt: & quia ad primam potiſſimum pertinent *cooperantes*, ideo inprimis de his 206

Prænot. 2. Eos dici *cooperari*, qui unacum cauſa phyſice *executiva* damni aliquo modo *concurrunt*: quod poteſt fieri novem modis, his verſibus contentis: *juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, participans, mutus, non-obſtans non-manifeſtans.* Priores ſex modi influunt directe & *poſitive*; tres poſteriores tantum indirecte & *negative.* De

 qui-

quibus omnibus quæritur, quinam inducant obligationem reſtituendi;

207 CONCLUSIO I. Quilibet ex cooperantibus poſitive tenetur ad reſtitutionem: ſi tamen efficaciter concurrat. *Eſt unanimis omnium Theologorum ex S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. &c.*

208 Prob. 1. pars: Qui cooperatur poſitive ad damnum alterius, *vere* infert *damnum*, & violat jus alterius: ergo quilibet tenetur ad reſtitutionem. Præcipue: quia Innocentius XI. damnavit hanc 39. propoſitionem: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati*: ergo.

209 Prob. 2. pars: Obligatio reſtituendi oritur ex *damno* à parte rei & reipſa dato: atqui *hoc* ſine influxu *efficaci* non datur, nec cauſatur: ergo ut cooperantes obligentur ad reſtitutionem debent concurrere efficaciter. *Vid.* P. Spor. *tr. 4. c. 3. ſ. 1. n. 3.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. à n. 21.*

210 CONCLUSIO II. Ex cooperantibus *negative* nemo tenetur ad reſtitutionem, niſi ex *contractu* vel quaſi contractu fuerit obligatus ad advertendum damnum. *Iterum communis ex cit. S. D.*

211 Probatur: *Extra* contractum vel quaſi contractum nemo obligatur ex *juſtitia* ad impediendum damnum alterius, eſto obligetur ex charitate; ergo dum quis non *impedit* damnum, non obligatur ad hujus compenſationem. Hinc ſi famulus advertat *domeſti-*

eum furari ex rebus domini, & taceat, non tenetur *reſtituere*, (utut impedire obligetur 212
ex *charitate*, ſi ſine graviſſimo incommodo poſſit: Imo etiam ex *juſtitia*, ſi ei *cuſtodia* rei ſit ſpecialiter commiſſa) bene tamen, ſi furetur *extraneus*. Ratio eſt: quod communi perſuaſione cuivis famulo res domini ſui commiſſæ cenſeantur contra injurias *externorum* tantum. *Vid.* P. la Cr. *n.* 46. P. Spor. *n.* 51.

Objicies 1. cont. 1. concl. *Executor* dam- 213
ni ſæpe intuliſſet damnum, etſi ego non fuiſſem cooperatus poſitive: ergo ſaltem in tali caſu non obligabor ad reſtitutionem (:℞. d. c. ſi *non* ſis cauſa efficax c. ſecus n.:)

Repones: Si executor damni fuiſſet illa- 214
turus damnum ſine meo conſilio, tunc *conſulendo* ſum cauſa inefficax tantum: ergo quoque ſum *inefficax* partialiter exequendo (: n. c. quia ſic *phyſice*, adeoque *efficaciter* influo:)

Ob. 2. *Mandans* excuſatur à reſtitutione, 215
ſi *retractet* mandatum: *conſulens*, & alii cooperantes, ſi alter jam aliunde ſit determinatus ad inferendum damnum &c. ergo *poſitive* cooperantes ad reſtitutionem non ſemper obligantur (: ſi illa cooperatio *non* ſit efficax c. ſecus n. *Vid.* P. Sporer *à n. 8. usque 50.*:)

Ob. 3. cont. 2. concl. In Jure Canonico *c.* 216
ſicut dignum. de homicid. dicitur, quod hominem non liberans à morte, illum occidat (: ſi poſſit & *debeat* ex officio c. ſecus n.:) er-

go etiam *negativè* cooperans tenetur ad reſtitutionem.

217 Ob. 4. Si vera eſt 2. concluſio, tunc non teneret ad reſtitutionem, ſi *ſuaderem* alteri, *ne* impediat furtum, quod ex *charitate* tantum tenetur impedire: atqui hoc eſt falſum; ergo. m. p. Si Titio eripio *arma* ad defenſionem, teneor ad reſtitutionem: ergo &, ſi impedio amicum, ne furtum impediat (: n. c. Quia eripiendo arma pecco contra *juſtitiam*; non item impediendo amicum:) *Vid.* P. Babenſt. *tr. 7. d. 4. a. 4. n. 7.*

218 Quæres 1. Quis *ordo* ſervandus ſit in reſtitutione ex parte *debitorum*? ℞. Primo loco tenetur reſtituere ille, apud *quem* res furtiva extat; *hic* enim tenetur ex *re accepta*, qui titulus eſt fortiſſimus. 2. Ille, qui eſt cauſa *principalis* & phyſice *executiva* damni; quia hic in damnum principaliter influit. 3. *Mandans*; nam hic inter cauſas morales eſt principalis. 4. In defectu cauſæ principalis tenentur cæteræ cauſæ ſecundariæ & poſitive cooperantes; pro ratione influxus in damnificationem. 5. Demum *aliæ* cauſæ concurrentes *negativæ*, ſed in *defectu* duntaxat cooperantium poſitive: quia influxus negativus eſt

219 minor quam poſitivus. Quodſi principalis reſtituat integre, *minus* principales liberantur: quia non obligantur niſi in defectu principalis. Si autem una ex cauſis *ſecundariis* damnum *ſola* compenſavit, tunc poteſt *repetere* totum à cauſa *principali*; & in defectu hu-

jus

jus à reliquis concauſis, idque pro rata ſingulorum. *Vid.* P. Spor. *à n. 93.* P. Mezger hic *a. 2. §. 1.* P. Elbel *conf. 5. n. 127.*

Quæres 2. Quis ordo ſervandus ſit ex parte *creditorum*, quando bona debitoris non ſunt ſufficientia? ℞. Inprimis omnibus præferendi ſunt, qui *res proprias* jure dominii habent apud debitorem *exiſtentes*, ut ſunt res depoſitæ, commodatæ, locatæ, bona dotalia, & paraphernalia uxoris; item piis locis venditæ, donatæ, legatæ &c. 2. Creditores ſpecialiter *privilegiati*, quales ſunt Judices, quibus aliquid debetur ratione proceſſus edictalis, inventarii &c. vel ratione impenſarum funeralium, pharmacorum pro *ultimo* morbo, ratione mercedis, vel ſalarii. 3. Creditores *hypothecarii*. 4. Chirographarii &c. De quibus *vid.* P. Pichler *in Compend. l. 3. t. 23. n. 6.* Qui plura pro praxi deſiderat, inveniet ea apud P. Spor. *tr. 4. c. 4. ſ. 2. à n. 23.* Suffecerit hic dixiſſe, ordinem prædictum eſſe ſervandum in *conſcientia*: quia fundatur in *vero* jure, quod unus creditor habet *præ* alio; ergo. 220

Quæres 3. Cui reſtitutio immediate facienda ſit? & quomodo? ℞. Ipſi domino, regulariter: quia res devincta eſt domino. Excipitur tamen res *depoſita*, *oppignorata*, & *commodata*; hæc enim debet reſtitui depoſitario, oppignoratario, & commodatario: quia *hi* habent jus in re, ne priventur aliqua rei commoditate, quam juſte percipere poſ- 221

 ſunt.

ſunt. Defuncto creditore, reſtitutio facienda eſt hæredibus: quia talia debita ſunt *pars* hæreditatis. In defectu hæredum debitor *bonæ fidei* liberatur ab omni obligatione reſtituendi; nam tunc debita illa, utpote vacantia, cedunt primo occupanti, adeoque ipſi debitori. Quando autem debitor eſt *malæ fidei*, in pauperes aut cauſas pias erogari debent. De his practice P. Spor. *n. 75. 101.* &c. Cæterum reſtitutio fieri debet *eo modo*, qui conſideratis omnibus circumſtantiis ſufficit ad hoc, ut *res debita* deveniat in manus *domini*: etenim quocunque modo res ad *hunc* perveniat, jam attingitur finis præcepti reſtitutionis. *Vid. cit.* Spor. *tr. 4. c. 3. ſ. 1. à num. 1.*

122 Quæres ult. In quo *loco* fieri debeat reſtitutio? & quo *tempore?* ℟. Reſtitutio *ex re accepta* poteſt fieri in loco *debitoris*: quia debitor bonæ fidei debet manere indemnis. Econtra reſtitutio ex *injuſta acceptione* debet fieri in loco, in quo eſt *creditor*; quia poſſeſſor malæ fidei debet *læſum* ſervare indemnem, & perfecte in integrum reſtituere. Spor. *n. 152.* Inſuper reſtitutio fieri debet *tempore debito*: alioquin reſtitutionem differens obligabitur ad *intereſſe* lucri ceſſantis, vel damni emergentis: nec ſatisfacit ſucceſſive reſtituens per partes, qui poſſet ſimul reſtituere. Quos terminos ad praxin explicat P. Sporer *tr. 4. c. 3. ſ. 3. à n. 118.* P. Mezger *tr. 12. d. 34. a. 3. §. 1. & 2.* Reiffenſt. *tr. 9. d. 5. q. 4. à n. 57.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

Quænam circumſtantiæ ſeu cauſæ excuſent à reſtitutione?

PRænot. 1. Quamvis varii varias circumſtantias ſeu cauſas à reſtitutione facienda excuſantes aſſignent, omnes tamen facile reduci ad hanc regulam univerſaliſſimam: *quotiescunque dominus ſeu creditor rationabiliter contentus eſſe debet, quod reſtitutio differatur vel omittatur, poterit etiam differri vel omitti, licet reipſa invitus ſit.* Quam regulam communiter omnes recipiunt, eſtque inſtar clavis univerſalis in hac materia, prout aſſerit P. Spor. *c. 4. n. 52.* 223

Prænot. 2. Utut ex ſtatuta regula univerſaliſſima DD. deducant plures cauſas particulares, quæ vel in *totum* vel ad tempus excuſent à reſtitutione, omnes tamen commodiſſime revocari ad *impotentiam*: eamque vel *phyſicam*, vel *moralem*, eo fere modo, quo ad talem impotentiam revocabimus cauſas excuſantes ab integritate materiali confeſſionis in *Part. 4. n. 563.* Amodo 224

Prænot. 3. Certum eſſe apud omnes, impotentiam phyſicam (quando nempe deſunt media ad reſtitutionem) excuſare à reſtitutione: quia nemo obligatur ad impoſſibile. *Reg. 6. J. in 6.* Dubium igitur eſt de impotentia *morali*, ſc. dum reſtitutio eſt *valde* difficilis? 225

Quæ

Quæ triplex eſt 1. *Extrema*, *vel quaſi* extrema, quando quis poneretur in *proximum* periculum *vitæ*, valetudinis, famæ &c. 2. *Gravis*, quæ vitam reddit miſeram, & multum moleſtam, ita ut luctari oporteat cum fame, nuditate &c. 3. *Communis*, quam patiuntur ordinarii pauperes? De his ſit

226 CONCLUSIO: Neceſſitas *extrema & quaſi* extrema excuſant quidem à reſtitutione: imo & neceſſitas gravis in *aliquibus* caſibus: non tamen neceſſitas communis: *Ita quoad rem DD. omnes.*

227 Prob. 1. pars: Neceſſitas *extrema* facit, ut licite *accipias* rem *alienam*; quia omnia facit communia & primo occupantis: ergo multo magis facit, ut licite *retineas*; adeoque non reſtituas. Idem eſt de neceſſitate *quaſi* extrema; hæc enim quoque efficit, ut licite aliena accipias; ergo &, ut retineas, ſaltem quamdiu *durat* illa neceſſitas.

228 Prob. 2. pars: In neceſſitate *gravi* debitor reſtituendo pateretur *ſæpe* notabiliter *majus* damnum, quam creditor patiatur per dilationem: ergo tunc non eſt obligatio reſtituendi. c. p. Per talem reſtitutionem non poneretur *æqualitas*, ſed inæqualitas; ergo tunc non eſt obligatio, ſaltem ſi creditor non ſit in *ſimili* neceſſitate gravi conſtitutus. *Vid.* P. Elbel *conſ. 12. n. 326.*

229 Prob. 3. pars: Pro neceſſitate *communi* non habetur fundamentum grave & rationabile, quod excuſet à reſtitutione; imo talis

excu-

excuſatio foret Reipublicæ nimis pernicioſa: ergo non excuſat. Præcipue: quia Innocentius XI. damnavit hanc 36. propoſitionem, *permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in GRAVI*: ergo multo minus permiſſum erit in neceſſitate *communi*.

Objicies 1. cont. 1. part. In neceſſitate 230
extrema non omnia ſunt communia: ergo ratio concluſionis non eſt efficax. a. p. Qui in extrema neceſſitate accepit rem alienam, neceſſitate finita tenetur illam reſtituere (: ℞. d. a. ſi ibi ſit *conſumpta* n. ſi adhuc exſtet c. :) ergo. *Vid.* P. Mezger. *hic n. 3.* P. Reiffenſt. *n. 101.*

Ob. 2. In extrema neceſſitate debitor te- 231
netur reſtituere, ſaltem quando creditor quoque eſt in *extrema* neceſſitate: ergo concluſio quoad primam partem non eſt abſolute vera. a. p. Tali creditori non poſſem *auferre* rem: ergo nec *retinere* (: n. c. Quia ſi retineo, ſum primo occupans: ſi aufero, primo occupantem ſpolio :) *Vid.* P. la Croix. *l. 2. p. 2. n. 429.*

Replicas: Retentio ſeu *non-reſtitutio* eſt 232
continuata ablatio (: ſi non interveniat rationabilis cauſa non *reſtituendi* c. ſecus n. Nam ſuperveniente cauſa rationabili ablatio non cenſetur continuari moraliter:) ergo ſi non eſt licitum *auferre*, neque licitum erit *retinere*, (: n. c. Quia præceptum reſtituendi non ita obligat uti præceptum *non auferendi*; hoc enim eſt *negativum*, ſicque ſemper obligat: illud

illud autem eſt poſitivum, ideoque non ſemper obligans: La Croix *n. 235.*

233 Ob. 3. Si in *extrema* neceſſitate omnia eſſent communia, tunc qui ſuccurreret extreme indigenti, *non* faceret eleemoſynam: atqui hoc eſt aperte falſum; quia quo *major* eſt indigentia, eo major cenſetur eleemoſyna; ergo. S. M. p. Illa eleemoſyna alias debetur extreme indigenti (: ita ut *ultro* offeratur n. ita ut indigens ab ejus acceptione non impediatur c. :) ergo &c. Sic ſolvens debita non facit eleemoſynam.

234 Ob. 4. Jus Canonicum in *c. cum tu. de uſur.* præcipit, ut uſurarii ad reſtitutionem compellantur, nihil ipſis relinquendo, niſi ut vivere poſſint; adeoque cum mutatione *ſtatus* ſui (: juſte acquiſiti n. *injuſte* c. :) ergo neceſſitas quaſi extrema, qualis eſt mutatio ſtatus, non excuſat à reſtitutione. *Vid.* P. Spor. *tr. 4. c. 4. ſ. 3. n. 64.*

Urg. Reſtitutio debet fieri cum mutatione ſtatus etiam juſte acquiſiti; ergo. a. p. Sæpe contingit, ut *creditor* quoque ſit in periculo excidendi ſtatu *ſuo*: ergo *debitor* tunc debebit reſtituere cum amiſſione ſtatus ſui juſte acquiſiti (: in hoc *particulari* caſu, in quo conditio creditoris eſt melior, c. abſolute n. :)

235 Ob. 5. cont. 2. part. In *gravi* neceſſitate non eſt licitum accipere alienum ob propoſitionem damnatam ſupra *229.* ergo nec *retinere* ſeu non reſtituere (: n. c. Quia plus eſt rem alie-

alienam auferre, utpote repugnans præcepto negativo, *non furaberis*, quam debitum non reſtituere, quod repugnat præcepto affirmativo, *reſtitue*:) *Vid.* P. Kreſslinger apud Reiffenſt. *ſub n. 103. Addit. 1.* Mezger *n. 9.* Babenſtuber *n. 9. &c.*

Ob. 6. Qui non reſtituit ob neceſſitatem *gravem* tenetur ſaltem reſtituere, poſtquam neceſſitas illa tranſiit: ergo neceſſitas gravis non excuſat à reſtitutione (: omnino *omittenda* c. *differenda* n.:) 236

Inſt. Neceſſitas *extrema* excuſat à reſtitutione etiam omittenda, ſaltem ſi res ibi ſit conſumpta: ergo & neceſſitas *gravis* ita excuſabit (: n. c. *Hæc* enim non facit omnia communia & *propria* primo occupanti, velut neceſſitas *extrema*:) Porro quia inter cauſas à reſtitutione excuſantes hucusque non attactas numerantur *ceſſio* bonorum, *ingreſſus* in Religionem, *condonatio* creditoris, *compoſitio* cum Papa, & *excommunicatio*; ideo

Quæres 1. An & quomodo à reſtitutione excuſet *ceſſio bonorum*? ℟. Etſi ceſſio bonorum in *foro externo* hunc effectum habeat, quod *cedens* liberetur ab incarcratione, & importunis creditorum actionibus. *arg. l. 1. cod. qui bonis cedere &c.* Nihilominus in foro *conſcientiæ* non magis excuſat, quam excuſaſaret *neceſſitas* ſine ceſſione. Ratio eſt: quia per ceſſionem creditores non privantur *jure* ſuo, cui ex parte debitoris reſpondet *naturalis obligatio* ſolvendi debitum; ergo. Unde 237

ſi

ſi poſtea ad pinguiorem fortunam veniret, teneretur ſolvere, quantum poſſet, deducta ſui & familiæ ſuſtentatione. *l. 6. ff. de ceſſ. bon.* P. Mezger *n. 3.* P. Spor. *num. 94.* La Croix *n. 436.* Reiffenſt. *n. 119.* Pichler *l. 3. t. 23. n. 3. comp. Jur. Can.*

238 Quæres 2. An & quomodo excuſet *ingreſſus* in Religionem? ℞. Debitor impotens ſolvere, ſi non niſi *magno tempore* manendo in ſæculo ſpem ſolvendi habeat, poteſt non tantum valide, ſed etiam licite, cedendo bonis ſuis in favorem creditorum, ingredi Religionem. Ratio eſt: quia per debita contracta creditoribus non ipſa *perſona* debitoris in ſe & ratione ſui, ſed tantum ejus *bona* fiunt obligata, & ratione horum perſona: ergo ſi cedat bonis, ad nihil amplius tenetur, & poteſt libere de perſona ſua diſponere ingrediendo Religionem: præſertim, quia alias manendo in ſæculo pateretur multo *majus* damnum in bonis *ſuperioris* ordinis, ſc. in ſua libertate, & ſpiritualibus commodis, quæ ſtatum religioſum conſequuntur; ergo. Nam obligatio reſtitutionis eſt quidem juris *naturalis*; at non abſoluti ſed *conditionati* tantum, ſi nempe fieri queat ſine jactura bonorum *altioris* ordinis. Nec obeſt, quod filius non poſſit ingredi Religionem, quando non niſi manens in ſæculo ſubvenire poteſt maximæ neceſſitati parentum. Etenim obligatio *pietatis* erga parentes eſt major quam obligatio *juſtitiæ*; hinc nec tenetur ſolvere debita, ſi aliter non

non poſſit ſuccurrere parentibus. *Vid.* P. Mezger hic *a. 3. à n. 4.* P. Sporer *c. 4. ſ. 4. à num. 99.*

239 Quæres 3. An à reſtitutione excuſet *condonatio* ſeu remiſſio creditoris? ℟. Affirmative, tam de *expreſſa* quam de *tacita*, *interpretativa*, & *præſumpta* remiſſione, qualis eſt, ſi prudenter tibi perſuadeas, dominum *non* eſſe *invitum*, ſi rem acceptam retineas: aut ſi ab ipſo peteres, libenter condonaturum reſtitutionem. Ratio eſt: *quia* dilatio conceſſa à creditore excuſat, ne ſtatim reſtituas; ergo etiam *remiſſio* excuſabit, ne omnino reſtituas, prout diſcurrit P. Mezger *hic a. 5. n. 1.* P. Reiffenſt. *tr. 9. diſt. 5. n. 115. & ſeqq.*

240 Quæres 4. Quando excuſet *compoſitio* cum ſummo *Pontifice*, cum debitor ab hoc accipit licentiam & diſpenſationem, ut aliqua portione bonorum reſtituendorum pauperibus, aut in alias cauſas pias erogata ſibi reſervet cætera? ℟. Excuſat tunc, quando obligatio reſtituendi provenit ex jure poſitivo *eccleſiaſtico*: nam jus hoc ſubſtat diſpenſationi S. Pontificis. Inſuper excuſat, quando S. Pontifex magnis criminibus imponit mulctas pecuniarias, confiſcationes bonorum, ſicque condonat reſtitutiones ejusmodi criminoſis debitas. De quibus plura P. Mezger *hic n. 6.*

241 Quæres ult. Utrum à reſtitutione excuſet *excommunicatio* creditoris? ℟. Negative: quia acceptio debiti à creditore excommunicato

non eſt prohibita *jure Divino*, ut per ſe patet; nec *jure humano*; quia ſolutio illa facienda à debitore non minus eſt creditori excommunicato debita, quam debitum *conjugale*, obſequium *famulorum*, & ſolutio *cenſuum* à ſubditis, qui non ſolum communicare permittuntur cum excommunicatis *c. quoniam. cauſ. 11. q. 3.* ſed etiam *c. inter alia. de ſent. excomm.* decernitur, eos *teneri* cum illis communicare: ergo debitores tenentur communicare ad ſolvendum creditoribus, quod illis jure naturali debent; cum ibidem §. *fin.* dicatur, *non prohiberi eum, qui excommunicatis non in ſuſtentationem ſuperbiæ ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit.* Et ideo etiam *c. ſi vere. ibidem* permittitur excommunicatis abſolvere contractus inchoatos. Nec refert, quod communicatio cum excommunicato prohibeatur: quia ibi non comprehenditur communicatio *brevis*, & quidem in re *neceſſaria*; alias excommunicato nec poſſit dari eleemoſyna. Hæc de reſtitutione in genere.

QUÆSTIO II.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

ARTI-

ARTICULUS I.

Qualis reſtitutio facienda ſit ob læſa bona animi.

PRænotandum 1. Poſt conſideratam re- 242
ſtitutionem in genere, nunc quoque conſiderandam eſſe reſtitutionem in ſpecie, quæ nempe fit in *certo* bonorum genere. Et quia bona illa ſunt triplicia ſc. bona *animi*, bona *corporis*, & bona *fortunæ*, ideo horum reſtitutionem ſingillatim attingemus. Itaque in ordine ad bona primi generis notandum, bona animi alia eſſe *naturalia*, ut ſunt potentiæ animæ, uſus rationis, ſcientiæ, artes &c. alia *ſupernaturalia*, ut gratia ſanctificans, virtutes, & alia ad ſalutem animæ ſpectantia, Jam circa bona *naturalia* cer- 243
tem eſt, quod, qui illa lædit *notabiliter*, peccet graviter: quia infert gravem injuriam; cum hujusmodi bona ſint nobiliora bonis fortunæ, & plerumque non lædantur ſine deſtructione alicujus potentiæ organicæ per intemperiem qualitatum. Hinc qui talia bona læſit veneno, philtro, maleficio &c. tenetur removere maleficium (ſi alias licito modo fieri poſſit) procurare remedia contra datam potionem, & reparare omnia damna inde ſecuta; ſic enim alter ſervatur indemnis. Quod ſi hæc amplius removeri non queant, pro his bonis animæ, *reduplicative*

ſpectatis, non' eſt facienda compenſatio pecuniaria : quia bona *ſuperioris* ordinis non ſunt compenſanda per bona ordinis *inferioris* velut ſunt pecuniæ. Hæc de bonis naturalibus: circa ſupernaturalia

244 Prænot. 2. Illum, qui alterum inducit vi vel fraude in peccatum *mortale*, peccare mortaliter, & teneri ex juſtitia tollere vim ve fraudem & damna inde ſecuta: quia eſt cauſa injuſta *gravis* damni. Secus ſi fiat *ſine* vi vel fraude; volenti enim non fit injuria. Aut ſi inducat in peccatum *veniale* duntaxat: quia hoc de ſe cenſetur eſſe malum leve; niſi poſt ſe trahat aliud grave nocumentum v. g. laxationem diſciplinæ &c. Qui alterum ab ingreſſu Religionis vel à Novitiatu retrahit ſine vi vel fraude, etſi graviter peccet id irrationabiliter faciendo, ac proinde teneatur e rurſus ſuadere ingreſſum ex charitate, attamen non tenetur ex juſtitia ad aliquam reſtitutionem: quia nec jus Novitii (utpote volentis) nec *Religionis* violatur, cum *hæc* nec-
245 dum jus *in re* habeat. Aliud foret, ſi vi ve fraude retraheret: ſiquidem quilibet jus habeat, ne per vim vel fraudem impediatur à conſecutione bonorum ſperatorum: adeoque talis obligatur ex juſtitia non tantum tollere vim vel fraudem, ſed etiam reparare damnum temporale, quod Novitius vel Religio inde paſſa eſt. Cæterum quamquam graviter contra juſtitiam peccaret, qui ſine rationabili cauſa negaret Novitio ſuffragium

ſe

ſeu votum (ut vocant) ad profeſſionem (quia expulſio è Religione eſt grave detrimentum Novitii) nihilominus non ita peccat, dum agitur de *ſaeculari* ad novitiatum admittendo: eoquod talis nullum jus ad ſui receptionem habeat, ut docet P. Babenſt. *tr.7.d.5. a.1.* §. *3. n.23.*

Prænot. 3. Mox dicta ex communi ſatis 246
certa eſſe; reſtare tamen hic majorem difficultatem circa *famam* & *honorem* proximi, quam & quem ad bona animi merito reducimus. De hujus utriusque læſione jam egimus ſupra *n. 115.* ubi tamen ſatis convenitur, quod ex læſione famæ proximi per actum mere *internum* (uti ſunt dubitatio, ſuſpicio, opinio, & judicium temerarium *mentale*) non oriatur obligatio illam reſtituendi externe: quia per actum mere internum fama non læditur externe, ſed interne ſolum; ergo ex illa læſione interna non poteſt oriri *obligatio* reſtituendi *externe*, ſed ſufficit reſtitutio interna, quæ fit per mutationem judicii illius temerarii. De detractione & contumelia, per quas fama & honor proximi læditur inſuper externe, quarumque deſcriptio data eſt *n. 127.* cum communi nunc ponenda eſt

CONCLUSIO: Detractio & contumelia 247
gravis per ſe ſemper inducunt gravem obligationem reſtituendi famam & honorem læſum, damnaque inde ſequentia. *Ita omnes ex S.Th. 2,2. q. 72. & 73. a.2.*

248 Probatur utraque pars: Fama eſt *nobilius* bonum quam bona *fortunæ*: ergo ſi ablatio bonorum fortunæ inducit gravem *obligationem* reſtituendi, multo magis *hanc* inducet ablatio *famæ*. Idem eſt de *contumelia*; ſiquidem *hæc* ſit majus peccatum, quam detractio; ſicut *rapina* majus peccatum eſt quam furtum.

249 Objicies 1. Qui manifeſtavit alterius crimen occultum ſed omnino verum, non habet *poſſibilitatem* reſtituendi: ergo non obligat. a.p. Talis deberet dicere ſe eſſe *mentitum* (: n. hoc. ſed poteſt & debet fateri ſe *male* dixiſſe, *injuriam* intuliſſe &c. quod verum eſt: item poteſt laudare diffamatum ob alias ejus dotes, crimen extenuare &c. ut paulatim tantum famæ accedat, quantum prius per detractionem perdidit. Qui alterum infamavit imponendo crimen *falſum*, ſi alter ſatisfacere nequeat, tenetur inſuper vel per ſe, vel per alios fateri ſuum *mendacium*, & retractare detractionem, eamque, ſi opus ſit, juramento vel teſtibus confirmare; quia reſtitutio famæ debet eſſe efficax ex parte detrahentis, veluti cum communi docet P. Mezger *hic a. 5. n. 2.* :) atqui hoc non eſt poſſibile; quia non eſt verum ſicque illicitum. *Vid.* P. Spor. *n. 88.*

250 Ob. 2. Poteſt contingere, ut quis alterius famam lædat *abſque* omni *culpa* theologica, adeoque materialiter tantum: ergo tunc non eſt *obligatio* reparandi famam proxi-

mi

mi (: per modum *reſtitutionis* proprie dictæ c. per modum *remedii*, ne damnum ulterius ſerpat n. Sic qui domum alterius incendit absque omni culpa, tenetur ex juſtitia flammam ſerpentem extinguere, quantum commode poteſt:) c. p. Ubi non eſt culpa, ibi non poteſt eſſe obligatio gravis, *ex num.* 179. ergo.

Quæres 1. Quomodo *honor* læſus reparari queat? ℞. Tribus modis: 1. Eſt amica ſalutatio aut compellatio; quo modo *Superior* ſatisfacit ſubdito offenſo, aut *nobilis* plebeio &c. hi enim non tenentur veniam petere, *ne, dum nimia ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, ait S. Aug. *in Reg.* 2. Modus eſt etiam inter pares, offenſo *majora ſolito* ſigna honoris oſtendendo v. g. ad menſam invitando, propinando, locum honoratiorem cedendo &c. 3. & efficaciſſimus eſt *petitio veniæ.* De quibus fuſe P. Spor. *n.* 148. P. Elbel *conf.* 9. *n.* 259. 251

Quæres 2. An fama ablata reſtitui debeat non tantum apud auditores immediatos, ſed etiam *mediatos?* ℞. Sufficere ordinarie, ſi revocatio fiat apud auditores *immediatos*. Ratio eſt: tum quia eſt moralis impotentia *omnes* illos auditores *mediatos* conveniendi, tum, quia qui hujusmodi à ſe factam diffamationem revocat apud auditores immediatos, *hoc ipſo* illis implicite committit ulteriorem revocationem; quam dum expreſſe non rejiciunt, implicite acceptare cenſentur. Accedit pra- 252

xis confeſſariorum proborum & doctorum qui ad hoc ſolum obligant pœnitentes, ut apud eosdem retractent, apud quos *primo* dixerunt; niſi directe ulterius evulgare voluiſſent P. Spor. *n. 102.*

253 Quæres ult. Quænam ſint cauſæ *excuſantes* à reſtitutione famæ & honoris? ℟. Sequentes quatuor. 1. Ceſſatio *damni* ex facta detractione, contumelia &c. Si detrahenti nulla vel modica fides fuit adhibita &c. Si infamato fama alia via recuperata eſt &c. Si infamia progreſſu temporis *oblivione* deleta eſt &c. Si infamatus alio modo amiſit famam in *eadem* materia &c. 2. *Remiſſio* læſi, quando ipſe infamatus ſponte, expreſſe, vel tacite remiſit vel condonavit, attamen circa præjudicium tertii.

254 Hac ratione communiter homines, maxime *plebei*, cenſentur inter ſe excuſari à reſtitutione famæ: hi enim (cum ſciant ab *aliis* paſſim ſibi detrahi, neque unquam reſtitui, nec ipſi reſtitutionem exigant) cenſeri poſſunt, ſibi invicem velle *remittere* debitum reſtituendi, aut certe velle uti mutua *compenſatione* in non-reſtituendo. 3. *Compenſatio* mutua, quando injuſte infamatus, te viciſſim infamavit. 4. *Impotentia* reſtituendi, non tantum phyſica (ut ſi auditores, apud quos alteri detraxiſti, nullo modo amplius convenire poſſis) ſed etiam *moralis*, quando nimirum reſtitutio non poteſt fieri absque damno *notabiliter graviore* proprio. Quas con-

conditiones more ſuo fuſe & ſolide deducit P. Spor. *tr. 5. c. 4. ſ. 5. à num. 110. usque ad num. 129.*

ARTICULUS II.

Qualis reſtitutio facienda ſit ob læſa bona corporis? præcipue ex ſtupro, & adulterio? ubi etiam de reſtitutione bonorum fortunæ.

PRænotandum 1. Bona corporis eſſe vitam, & membra: vita læditur *homicidio*; membra *mutilatione*. Jam etiamſi pro damnis temporalibus ipſius vitæ, & membris, ante ſententiam Judicis in foro conſcientiæ, nulla debeatur reſtitutio, quia damna in bonis ordinis *ſuperioris* non compenſantur per bona ordinis alterius & inferioris (ſic qui infert damnum ſpirituale v. g. inducit in peccatum, non tenetur illud reſarcire per *pecunias*) nihilominus *injuſtus* occiſor, vulnerator, mutilator, tenetur ad compenſanda omnia damna *realiter* ſubſequentia quoad lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſecundum prudentem æſtimationem ſpei, & quantum iſta injuſta damnificatio fuit *præviſa*, & ſufficienter voluntaria. Ratio eſt: quia eſt *cauſa* injuſta horum damnorum; ergo obligatur ad illa omnia compen- 255

 ſan-

ſanda. P. Spor. *tr. 5. c. 3. ſ. 6. n. 221.* P. Elbel *conf. 8. n. 206. &c.*

256 Prænot. 2. Dictam reſtitutionem eſſe faciendam ipſi *læſo*, ſi vitam non amiſit; hac autem amiſſa, eſt facienda hæredibus *neceſſariis* tantum; hoc eſt, liberis, uxori, & parentibus. Ratio eſt: quia *hi* moraliter cenſentur *una* perſona cum occiſo; ergo. Neque hanc reſtitutionem occiſus ante mortem poteſt *condonare* occiſori; quia ſuſtentationis & alimentorum obligatio non pendet à voluntate occiſi, ſed eſt in *jure* & vinculo *naturæ* fundata, cui ipſe renuntiare non poteſt; ſicut non poteſt remittere homicidæ injuriam Reipublicæ & legis violatæ. Hæredibus *non neceſſariis*, quales ſunt fratres, agnati &c. uti & creditoribus occiſi, ex juſtitia nihil debetur; quia reſpectu horum damnum ſecutum eſt per accidens. Interim tamen adhuc

257 Prænot. 3. Mox dictam obligationem non ceſſare, ſi homicida ultimo ſupplicio afficitur, probabilius eſſe: Ratio eſt: quia pœna talionis tantum infligitur in vindictam criminis, neque extinguit *jura* partis *læſæ*. Probabile tamen eſt, hæredes homicidæ non teneri ad reſtitutionem, antequam hæredes occiſi illam exigant: quia ſi taceant, præſumi poſſunt pœna talionis eſſe contenti &c. *Vid.* P. Spor. *tr. 5. c. 3. ſ. 6. à n. 113.* P. Mezger *tr. 12. d. 37. a. 5. n. 18.* De pœna homicidii, ſc. de irregularitate agetur in tract. ſeq.

Por-

Porro, quia inter bona corporis quoque recenſentur bonum *pudicitiæ*, & bonum *tori conjugalis*, quorum prius per ſtuprum læditur; alterum per adulterium (de quibus rurſum ſupra *n. 46.*) ideo hic reſolvendum qualis reſtitutio inde facienda ſit?

CONCLUSIO I. Qui defloravit *libere* 258
conſentientem aut leviter tantum rogatam, ante ſententiam judicis in conſcientia ad nullam reſtitutionem tenetur: bene tamen, ſi eamdem corrupit vi, metu injuſto, vel fraude: aut cum promiſſione matrimonii. *Ita quoad rem omnes tam Canoniſtæ, quam Theologi.*

Prob. 1. pars: Volenti & conſentienti 259
non fit *injuria* ex *Regula* 27. *Jur. in 6. nec injuſtitia*: ergo ſi deflorata conſentit, ei nulla debetur *reſtitutio*. Nec ipſius parentibus, vel iis, ſub quorum cura forſan adhuc eſt: quia puella habet liberum uſum ſui corporis, poteſtque nubere ad libitum, etiam minus æquali absque parentum vel curatorum *injuria*, ex *n. 15.* ergo.

Prob. 2. pars: *Extorquens* uſum corporis à 260
virgine per vim, metum *injuſtum*, aut fraudem, eidem infert *injuriam*, adeoque eſt cauſa *injuſta* damnorum ex tali ſtupro ſecutorum: ergo tenetur illa omnia compenſare in conſcientia, & ante ſententiam Judicis: quod fiet, ſi illam *ducat*, aut *dotet*.

Prob. 3. pars: Stuprator vel promiſit 261
matrimonium vere & ſincere? ergo tunc tenetur vi promiſſionis; nam promiſſum præſer-

ſertim ſub aliquo onere cadit in debitum Vel ſolummodo *ficte*? ergo tunc tenetur ratione *injuſtæ* deceptionis, & ſubſecutæ læſionis; ergo.

262 CONCLUSIO II. Committens adulterium, ex quo proles ſecuta eſt, tenetur ad compenſanda omnia damna, quæ inde parti innocenti, & liberis legitimis proveniunt: *Iterum omnes.*

Probatur: Committens adulterium eſt cauſa *injuſta*, quod pars innocens, & filii legitimi patiantur damnum in bonis ſuis; ergo obligatur illud compenſare: adeoque adulter non tantum tenetur reſtituere ea, quæ ſunt impenſa in alimenta prolis à tertio ætatis anno (ſi quidem non debeat eſſe melioris conditionis quam alii patres) ſed inſuper obligatur cum adultera pro rata concurrere, & in defectu alterius quoque in ſolidum ad reparanda damna ex adulterio ſecuta.

263 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Stuprator *patri* puellæ infert injuriam & damnum aliquod, quia debet *augere* dotem, illamque ſervare diutius in domo paterna: ergo ſaltem obligatur patri illi aliquid reſtituere (: ℞. n. ç. & c. Quia pater dotem augere *non* tenetur ex *juſtitia*: puella autem alias potuiſſet manere diutius *innupta*, & vivere ex bonis paternis:) *Vid.* P. Schmalzgrub. *l. 5. t. 16. num. 42.*

264 Ob. 2. urg. Pater in foro externo habet actionem *injuriarum* tam criminalem quam civi-

civilem ad mulctam ſibi applicandam: ergo deflorator virginis etiam *conſentientis* non eſt liber ab omni reſtitutione (:*poſt* ſententiam judicis præſumentis, puellam fuiſſe vi vel fraude ſeductam c. *ante* ſententiam, aut ſi illa præſumptio ſit falſa n. Nam ſententia in falſa præſumptione fundata non obligat in conſcientia :)

Ob. 3. Si deflorator ſit *dominus* puellæ aut alias *magnus* patronus, quamvis nullam vim adhibeat ſed ſolas *preces*, nihilominus talem virginem *conſentientem* tenetur dotare aut ducere: ergo datur obligatio reſtitutionis absque vi, metu, vel dolo (:quando preces ſunt *quaſi* armatæ, ita ut virgo præ verecundia aut metu reverentiali non audeat recuſare ſui deflorationem c. ſecus n. Preces enim *ordinariæ* facile repelli poſſunt, ſi puella ſerio velit:) 265

Ob. 4. cont. 2. part. Quando ſtuprator comminatur puellæ, quod velit ipſam apud patrem vel judicem *accuſare* in caſu & cauſa, in qua licite & *juſte* iſtud facere poteſt, non tenetur illam ducere aut dotare: ergo non oritur obligatio reſtituendi ex metu (: juſte incuſſo c. *injuſte* n. :) *Vid. Part. 4. n. 903.* 266

Ob. 5. Jus Canonicum in *c. pervenit. de adult. & ſtup.* præcipit non alternative, ſed *copulative*, ut ſtuprator docet *ET* ducat defloratam: ergo ad *utrumque* ſimul tenetur (: quantum eſt de jure c. quantum eſt de 267

con-

conſuetudine, in plerisque Dicaſteriis recepta, n. :) P. Schmier *l. 5. tr. 4. c. 2. ſ. 2. n. 32.*

268 Ob. 6. cont. 3. part. Deflorator non tenetur ducere defloratam etiam cum promiſſione matrimonii 1. Si puella ob *diſparitatem* nobilitatis, divitiarum, aut ratione verborum ambiguorum &c. advertere potuit promiſſionem matrimonii non eſſe ſeriam. 2. Si ſuperveniat impedimentum dirimens indiſpenſabile, v. g. matrimonium cum alia &c. vel alias ex tali matrimonio *grave* damnum, aut ſcandalum timeatur: vel ſi pater nolit puellam nuptui dare &c. 3. Si violata *mentita* eſt, ſe eſſe virginem: aut ſi poſt deflorationem cum alio fornicetur &c. ergo tertia pars non eſt vera (: abſolute n. ſi ſupponatur una ex dictis conditionibus, aut corrupta alias nullum damnum ex defloratione patiatur c. :) *Vid.* P. Spor. *n. 602.*

269 Replicas: Deflorans puellam ſub ſpe matrimonii quandoque habet *votum* caſtitatis: ergo ſaltem tunc illam non tenetur *ducere* (: ſi hæc illud votum ſcivit t. ſi non ſcivit n. Tunc enim petenda eſt diſpenſatio. Idem eſt, ſi quis violet conſanguineam vel affinem :) etſi nulla adeſſet ex cauſis excuſantibus ante dictis. *Vid.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 314. 320. &c.*

270 Ob. 7. cont. 2. concl. Poteſt contingere, quod adulter nullo modo *concurrat* ad ſuppoſitionem prolis adulterinæ: ergo tunc ad nullam reſtitutionem tenetur (: n. c. Quia etiam in hoc caſu adulter eſt *cauſa* illius ſuppoſitionis

&

& damnorum conſequentium; quia *ſuo facto* matrem conjecit in neceſſitatem ita ſupponendi, ne prodat ſuum delictum; prout fuſius oſtendit P. Spor. *n. 542.*

Ob. 8. Si foret obligatio compenſandi damna ex adulterio ſecuta, tunc adultera deberet *manifeſtare* ſuum crimen marito ſaltem, & proli ſpuriæ (: ſi eſſet moraliter *certa* de damno avertendo, idque fieri poſſet ſine periculo vitæ, famæ, & aliorum incommodorum c. ſecus n. Nam cum tali jactura nemo tenetur reſtituere bona fortunæ, quæ ſunt inferioris ordinis, veluti loquitur P. Reiffenſt. *tr. 9. d. 4. q. 3. n. 31.* :) atqui hæc obligatio eſt nimis *difficilis*, parum utilis, imo plus nociva; ergo nulla. Præſertim: quia proles adulterina nō tenetur *credere* matri, id etiam juranti: quin maritus & filii ingenui præſumuntur malle conſortem hæreditatis habere ſpurium quam ſciri adulterium matris ſuæ commiſſum; ergo P. Mezger *hic num. 7.* 271

Ob. ult. Qui alterum infamavit, tenetur *revocare*, quamvis ſit dubius, an revocatio ſit fidem habitura; ergo & adultera taliter dubia tenetur crimen ſuum *manifeſtare* (: n. c. Quia infamator, cum in *fama* damnum intulerit, etiam tenetur illud reſarcire cum æquali famæ *diſpendio*: adultera autem cum dederit damnum in bonis *fortunæ*, non tenetur illud reſarcire cum periculo boni *ſuperioris*, quale eſt fama &c. :) 272

Repo-

273 Repones: In hac ſententia manent deli ́ctaimpunita & libera à reſtitutione (:n.hoc nam committens adulterium tenetur *alia vi*. pro poſſibili omne damnum cavere, & compenſationem facere vel ex bonis propriis, paraphernalibus v.g. vel parcius vivendo, ve proli ſpuriæ ſuadendo ingreſſum in Religionem ſucceſſionis incapacem &c.:) ergo non eſt ſecura. P. Pichler *n. 10.* P. Spor. *n. 554. &c.*

274 Quæres 1. Quando proles ex illegitimo concubitu naſcitur, à quo ali debeat? ℞. Per ſe ab illo, qui eſt pater prolis (excepto *alimento* lactis, pro *quo* computatur triennium integrum) usque dum ſe alere poſſit labore &c. Quodſi pater ob paupertatem non poſſet, tunc etiam mater, & ſi neque huic ſupppeterent media alendi, avus paternus, & in hujus defectu maternus teneretur. *Textus & DD. in c. 5. de eo, qui duxit. & l. 5. §. 1. 5. de agnoſc. lib.*

275 Quæres 2. A quo ali debeat, in dubio, quis ſit pater; *eo* quod fœmina cum pluribus rem habuerit? ℞. Tunc attendendum eſſe, reſpectu cujus incidat tempus partus: ubi quandoque creditur juramento fœminæ. Si ex circumſtantiis deprehendi non queat, quis ſit pater? tunc ſinguli, qui cum fœmina congreſſi ſunt, pro rata debent concurrere ad alendam prolem &c. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 5. tr. 16. n. 57. & ſeqq.*

Quæ-

Quæres 3. Ad quid filius ſpurius tenea- 276
ur? ℞. Filius de illegitimo ortu *convictus* ar-
umentis indubiis, & valituris etiam in foro
xterno, ut ſi mater teſtibus, vel alio modo
videnter probet, toto tempore conceptus
el partus abfuiſſe maritum, fuiſſe impoten-
em &c. tenetur abſtinere ab hæreditate ad-
unda &c. quia per *talem* aditionem injuſtam
lamnum inferret filiis legitimis. Secus non
eneretur credere matri dicenti eſſe ſpurium,
uantumvis ſciret illam fuiſſe adulteram, ut
locet Gloſſa in *c. officii 9. de pœnit. & remiſſ.*
Ratio eſt: quia alleganti propriam turpitudi-
nem, nulla debetur fides, quando id cedit
n præjudicium tertii, & mater ſubdola poſ-
et hoc affirmare falſo in odium filii: præſer-
im, quia aliunde ſcitur, tale eſſe multarum
œminarum ingenium, ut alios præter *mo-
dum* amore, alios econtra odio proſequan-
ur. Plura quoad hanc materiam difficilli-
nam ſubminiſtrabit P. Spor. *à cit. num. 554.*
Nunc quoque quoad bona fortunæ, de quo-
um læſione ſatis ſupra *à n. 77.*

Quæres 4. Quomodo domeſtici poſſint 277
reſtituere? ℞. *Religioſus* ſi rem ablatam dona-
vit alteri, tenetur hunc monere, quod eam
retinere non poſſit, ſed reſtituere teneatur.
Quod ſi jam *abſumpta* ſit, excuſabitur à reſti-
tutione ut plurimum ob impotentiam. Inte-
rim tamen manet obligatus aliis modis ſibi
competeutibus damnum Monaſterii reſarcire
v. g. accuratiore executione ſui officii, ſi

quod habeat; aut ſi quid extraordinaria induſtria acquirere queat. *Uxor* vel ſtatim reſtituet de bonis *propriis* paraphernalibus, ſi habeat: vel poſt mortem mariti hæredibus e dote, vel aliunde acquiſitis. Si neutrum poſſit, ſaltem aliis modis, puta, per *diligentiam* extraordinariam, per obſequia ſupererogatoria, vel voluntariam in cibo, potu veſtitu &c. detractionem illatum damnum compenſare conabitur. Quod ipſum de filiis, famulis, cæteriſque furunculis proportionaliter dicendum eſt.

278 Quæres 5. An ſartores, textores, molitores & alii opifices, teneantur ad reſtituendum, dum ſurripiunt fragmenta, & reliquias materiæ datæ, ubi venerit ad notabilem quantitatem? ℟. De his idem dicendum eſſe, quod dictum eſt de furtis minutis ab uno factis eidem vel diverſis ſupra *n. 92.* eadem enim eſt ratio, ſi fragmenta ſint alicujus momenti, & à dominis curentur, vel repetantur. Secus ſi fragmenta ſint parvi momenti, & à dominis non multum curentur, vel pro derelictis habeantur: idque maxime, ſi ipſi nil inde lucrentur, ſed rurſus aliis, præſertim pauperibus applicent, ut poſt alios notat P. Spor. *n. 68.* P. Elbel *conf. 10. n. 289.* P. Fegeli *p. 3. n. 161.*

279 Quæres ult. Utrum ad reſtitutionem obligentur, qui defraudant vectigalia, acciſas, ut vocant, & detractiones? ℟. 1. Quod non, ſi adeſt dubium *poſitivum* de juſtitia talium

umexactionum. Ratio eſt: quia in dubio, ubi eſt æqualis vel major rationum probabilitas, melior eſt conditio poſſidentis: atqui *ſubditi* ſuam libertatem & pecunias poſſident *contra* exactiones, &, ut ponitur, ſunt muniti æquali vel minori rationum probabilitate quam magiſtratus, exactiones imponens; ergo. Nec refert: quod etiam Magiſtratus ſit in poſſeſſione *ſui juris* ad imponendas exactiones, & pro exercitio hujus juris graves cauſas habeat judicandi, quod juſte imponat exactiones: quia huic juri æquivalet jus ſubditoum: quando autem jura æquivalent, & uterque poſſidet, neuter eſt melioris conditionis. *Vid.* P. Pichler *in Jur. Can. tract. explic. l. 3. tr. 39. dec. 112.*

℞. 2. Eſt verior & in praxi tuta ſententia, 280 etiam in dubio *negativo* (dum ſc. ſimpliciter dubitatur de juſtitia vectigalis absque eo, quod ſit aliqua ratio probabilis pro, aut contra) non eſſe obligationem ſolvendi aut reſtituendi illas exactiones, uti tenet P. Sporer *tr. 5. c. 5. ſ. 6. n. 154.* Ratio eſt: quia, dum datur dubium, etiam tantum negativum, ſubditi adhuc ſunt in poſſeſſione ſuæ libertatis & pecuniarum, & Magiſtratui petenti tributum ut *debitum* incumbit probatio; ergo non tenentur ſolvere, quousque probetur juſtitia tributi. Si dubius etiam negative tantum, de peccato non tenetur illud confiteri ex *Part. 4. n. 493.* Et licet in dubio Juſtitiæ legis, ſententiæ & præcepti, præſumendum ſit pro juſtitia, & parendum legislatori,

judici, ſuperiori &c. excipitur tamen caſus; quo agitur de *intereſſe* aut ipſius *Superioris* (qui tunc præſumi poteſt partialis) aut de intereſſe ipſius *inferioris* ſeu ſubditi, *cujus* rem ſuam poſſidentis meliori conditioni præjudicari non debet. Ita citatus P. Sporer.

281 ℟. ult. Abſolute nullam eſſe obligationem in conſcientia, doceri à P. Stoz *l. 1. p. 3. num. 453.* & à P. Sbogar *tr. 85. n. 15.* ibique citatis. Ratio illorum eſt: tum quia nullibi conſtat, Principem obligare ad culpam ſolvendi gabellas tum quia, ut ait Caſpenſis, leges pœnales. (prout eſt iſta ſolvendi gabellas ſaltem mixta) non ſunt receptæ pro obligatione culpæ, ut colligi poteſt *ex c. ult. de prœbend.* ergo. Hinc etiam ſequitur, non teneri ad reſtitutionem: quia ubi non eſt *culpa*, inde *non* oritur obligatio reſtituendi, & quia unus fraudando deprehenſus ſolvit pro centum. Hæc P. Sbogar *l. c.* Huc facere poſſet, quod *Part. 2. n. 424.* docuimus, nempe, quod quamvis lex prohibens venationem de ſe ſit mixta, nihilominus communi ſenſu & uſu quoad ſolam pœnam recepta ſit, ita & de lege vectigalium &c. dici queat. Verum hæc meliori aliorum deciſioni relinquimus.

TRA-

TRACTATUS II.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ, BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, JURE PATRONATUS, ET DECIMIS.

DISPUTATIO I.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

EXplicatis præceptis Decalogi, recta via ad explicanda præcepta Eccleſiæ progredimur. Horum communiter quinque numerantur, quæ nempe *univerſaliter* omnes obligant; quamquam quoque alia plurima dentur, quæ particulares hominum ſtatus concernunt. De *illis* in hac Diſputatione per Quæſtiones duas; de iſtis autem, ſaltem quoad ea, quæ in titulo prænotata & ſcitu neceſſaria viſa ſunt in ſequenti Diſputatione.

QUÆSTIO I.

DE PRIMO ET SECUNDO PRÆCEPTO ECCLESIÆ.

ARTICULUS I.

Quid prohibeatur primo præcepto Eccleſiæ ?

282 PRænotandum 1. Ex illis *quinque* præcipuis, ſimulque generalibus Eccleſiæ præceptis *primum* communiter ſequentibus verbis proponi : *ſtatutos Eccleſiæ dies feſtos celebrato.* De quo in jure Canonico paſſim, & quidem nominatim toto titulo de *feriis*, fit mentio. *Alterum*, primo maxime vicinum & connexum vulgo ita efferri ſolet: *Sacrum Miſſæ officium diebus feſtis reverenter audito.* Quod habetur *can. Miſſ. de conſecrat. d. 1.* Præceptum *hoc* de celebratione feſtorum partim eſt *affirmativum* (quatenus præcipit devotam miſſæ auditionem) partim *negativum*, quatenus prohibet fieri certa opera ſervilia & nonnulla alia, de quibus ſermo eſt in *c. 1. de fer.* Et quamvis in hoc capitulo dicatur, quod *dies feſtus* incipiat à veſperis præcedentis diei, & duret uſque ad veſperas diei ſequentis (uti adhuc obſervatur in recitatione horarum canonicarum) nihilominus ex uſu Romanæ Eccleſiæ, quæ per totam ferme Europam invaluit, ſolent incipere feſta à *media* nocte, & terminari in ſequenti media nocte. *arg. l. more Romano ff. de fer.*

Prænot.

Prænot. 2. Etſi expediat, ut fideles præ- 283
ter devotam auditionem *Miſſæ* quoque aliis pietatis operibus vacent, ac præſertim *concioni* interſint, ad id tamen per ſe non obligari; ſiquidem nullibi tale præceptum aperte habeatur. Nec obſtat *Trid. ſ.* 24. c. 4. *de reform.* dicens: *moneat Epiſcopus populum diligenter*, TENERI *unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*: nam ly *teneri* non accipitur ſtricte, ſed accomode per reſpectum ad neceſſitatem cujusque; ut interpretatur communis ſenſus fidelium, & colligitur ex illis verbis, *ubi COMMODE fieri poteſt.* Cæterum eſſe poteſtatem in Eccleſia inſtituendi feſta de præcepto, eſt de fide; ut patet ex perpetua traditione & uſu Eccleſiæ. Quinimo etiam Epiſcopi reſpectu ſuarum Diœceſium poſſunt inſtituere quædam feſta, ex c. *ult. de fer.* quæ feſta quoque ſervare debent Regulares & exempti; ut ſtatuit Trid. *ſ. 25. c. 12. de regular.*

Prænot. 3. In ordine ad primum præ- 284
ceptum Eccleſiæ hic primo inquiri, quænam *opera* diebus feſtis prohibita ſint? ubi advertendum, opera noſtra alia eſſe *corporis* ſeu corporalia, quæ nimirum per corporis exercitationem peraguntur: alia eſſe *opera animæ*, quæ præcipue ab anima procedunt, & ad animum excolendum diriguntur, ut ſunt *legere, ſcribere, docere*, cæterique actus &

exercitia *artium* liberalium, ſcientiarum, virtutum &c. ideoque vocantur opera liberalia ſeu homine libero digna. Porro opera *corporalia* ex genere ſuo aliqua ſunt *ſervilia* (quæ cum magno corporis labore & plerumque tantum à ſervis exerceri ſolent, ut arare, fabricare, ſuere, & alia opera artium mechanicorum) alia *non-ſervilia* ſeu media inter liberalia & mechanica (quæ & *naturalia* dicuntur) ſuntque omnibus communia, ut *iter* facere, *venari*, *piſcari*, *ſaltare* & hujusmodi: Jam

285 Prænot. 4. Certum eſſe, quod diebus dominicis & feſtivis prohibita *non* ſint *opera animæ*, neque opera *pietatis*, aut *neceſſitatis*, ut expreſſe habetur in cit. *c. 1. & ult. de fer.* Nec intereſt, utrum ejusmodi opera *gratis* fiant, vel propter *lucrum*, vel mercedem: quia lucrum & merces *non* facit opus ſervile; ſicut econtra opera ſervilia non ceſſant eſſe talia, ſi ſine mercede fiant. Ex operibus non-ſervilibus *cit. c. 1. de fer.* prohibita ſunt *mercatura*, judicium *forenſe*, & juramentum *judiciale*: quibus tamen conſuetudo paſſim derogat. Reliqua opera non-ſervilia diebus feſtis non ſunt illicita, ut amplius oſtendemus in concluſione ſecunda: de ſervilibus ſit

286 CONCLUSIO I. Primo Eccleſiæ præcepto prohibentur ſub peccato *mortali* omnia opera *ſervilia* ad uſum quotidianum & neceſſitatem vitæ humanæ *non* pertinentia: adeo-

adeoque qui *illa* per *notabilem* diei partem abſque legitima cauſa excuſante exercet, peccat moraliter. *Ita communis ex cit. c. 1. de fer.*

Prob. 1. pars: Ex illo Levitici c. *23.* 287
Omne opus ſervile non facies in eo; quod præceptum (utpete judiciale ac ex parte morale) Eccleſia innovavit, ac *determinavit* jus naturale & Divinum, quo tenemur aliquando Deum ſpecialiter colere: ergo obligat *graviter*, utpote verſans circa objectum *grave*: prout inſuper conſtat ex communi ſenſu fidelium; & propoſitione hac 52. ab Innoc. XI. damnata: *præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Ex his per ſe ſequitur &

Prob. 2. pars: Præceptum hoc, quan- 288
tum eſt de ſe, obligat ſub *mortali*; ut mox dictum: ergo qui illud non obſervat, laborando *ſerviliter*, per *notabilem* diei partem, peccat mortaliter. Ad notabilem autem *talem* partem probabaliter requiruntur tres horæ; quia *hæ* tantum (etiam dempto *tempore quietis*, quod in religioſa *feriatione* moraliter computandum *non* videtur) & non pauciores, notabiliter *officiunt* fini religioſæ vocationis ad cultum Divinum. Ita quoad rem P. Spor. *tr. 3. c. 4. ſ. 2. n. 38.* Fill. March. & Gobat *in clypeo n. 283.* referentibus la Cr. l. *3.* p. *1. n. 594.* Reiffenſt. *tr. 10. d. 1. q. 2. n. 25. &* P. Viva Theol. *Mor. p. 2. q. 9. n. 11.* nec multum reclamantibus.

289 CONCLUSIO II. Dicto primo Eccleſiæ præcepto non prohibentur opera non-ſervilia, media, ſeu naturalia. *Item communiſſima.*

290 Probatur: Opera illa *media* non ſunt ſervilia, eo ipſo quod media ſint; ergo non cadunt ſub illud præceptum: *omne OPUS SERVILE non facies in eo.* Hinc diebus feſtivis licitum eſt; *Scribere*, & transcribere; etiam *notas* muſicas, & ad has ducere *lineas*: quia hæ actiones pertinent ad artes liberales Gramaticæ & Muſices P. Spor. l. c. *n. 44.* 2. Etiam *pingere* in tabula ſine apparatu & magno labore: quia talis pictio æque ac ſcriptio aut delineatio conſiſtit in ducendis lineis & *figuris* absque magno labore, *quibus* animus valde oblectatur, ut in ſtudio. Idemque probabiliter ſentiendum de quibusdam *aliis* operibus picturæ vel ſcripturæ magis *ſimilibus*; ut ſunt acu pingere in tela, opere (ut vocant) phrygio. Spor *n. 45.* Rreſsling. apud Reiffenſt. *ſub n. 18.* In materia modica valde ſubtilia ſculpere, ut nullus fere corporis, totus autem animi & ingenii labor eſſe videatur. Idem *n. cit.* Item *characteres* ponere in typographia, non tamen imprimere; hoc enim utique ſervile eſt, ſicut & colores terere &c. Spor. *cit. n. 45.* Stoz *l. 1. p. 3. n. 263.* Layman *tr. 7. c. 2.* Diana *p. 4. tr. 3. re-*
291 *ſol. 62.* 4. Iter facere, pedibus, equo, curru, navi: adeoque & equos parare, currum pingere, remigare in aqua &c. nam acceſſorium ſequitur naturam principalis. Imo etiam

am currus, equos, mulos onuſtos agere licet, ſi iter prius inchoatum ſit: & ſi incipiatur, erit parvitas materiæ. Spor *n. 46.* Viva *p. 2. q. 9. a. 1. n. 8.* 4. Venari, aucupari, & piſcari; cum non ſint opera ſervilia ſed potius liberalia, aut ſaltem media, & communia ſervis & dominis: ſi tamen fiant ſine ſervili labore in comportandis & deponendis inſtrumentis. Spor. *n. 47.* Reiffenſt. *n. 16.* Babenſt. *tr. 5. d. 4. a. 2. n. 7.*

Objicies 1. cont. *1.* concl. Homines paſſim ſine ſcrupulo *coquunt* cibos diebus feſtis ſæpe per *plures* horas, mundant domos, ſternunt lecta, paſcunt pecora: ergo non omnia opera ſervilia ſunt prohibita (: ℞. d. c. ſi ſpectent ad *quotidianum* uſum & *neceſſitatem* vitæ, ita ut commode præveniri vel differri nequeant c. ſecus n. :) 292

Ob. 2. In lege veteri talia non erant licita: ergo nec modo licita ſunt. c. p. Lex illa, *non facies in eo opus ſervile*, ab Eccleſia innovata eſt (: quoad *omnia* n. quoad aliqua c. :) ex dictis *n. 287.* ergo. 293

Ob. 3. cont. 2. concl. Ad lacum Bodamicum præcipue in vere & autumno videmus, quod piſcatores diebus etiam *feſtiviſſimis* maximo apparatu & *labore* capiant piſces certi generis, quos vernacula *ambulatores* aut *ſaltatores* nominant: & tamen hos non reprehendimus, ſed ſæpe ipſi cum guſtu ſpectamus: ergo *piſcatio* etiam laborioſa diebus feſtivis cenſetur licita (: ſi tales piſces raro & 294

certis

certis tantum temporibus apparere ſolent c. ſecus n. :) *Vid. n. 290.*

294 Ob. 4. Iter ſaltem *in navi* non fit niſi maximo labore, præſertim ſi *ventus* ſit contrarius : ergo tale iter die feſto non licebit inſtituere (: n. c. Nam tale iter *navale* cenſetur eſſe opus *naturale* ordinatum ad corporis conſervationem & ad negotia ubique exercenda; Conſequenter labor ille ſe habet per *accidens*, & ſequitur naturam ſui principalis. Dato tamen, quod opus ſervile eſſet, viatores illi adhuc excuſarentur *conſuetudine* :) *Vid.* P. Reiffenſt. *n.* 20. P. Viva. *l. c. n.* 8.

295 Ob. 5. In hac noſtra ſententia, non foret mortale ſingulis feſtis ad *duas* horas laborare, quamvis id facere velis, & reipſa facias *toto* anno; atqui hoc videtur nimis laxum (: n. hoc; quia dies & labores illi in ordine ad conſtituendam materiam pro inhonoratione alicujus feſti non uniuntur :) ergo. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 595.*

296 Ob. 6. urg. Saltem ſequitur, quod non peccet moraliter, qui die feſto mandat *ſex famulis*, ut ſinguli *una* hora *ſimul* laborent : atqui hoc iterum eſt nimium (: n. hoc iterum; quia non eſt *una gravis* inhonoratio feſti, ſed *ſex leves*. Imo talis probabiliter non peccat mortaliter, etſi mandet, ut laborent *ſucceſſive*; quia ſinguli laborantes peccant tantum venialiter; ergo & mandans :) ergo. la Cr. *l. c. n.* 580. Amodo circa quatuor cauſas excuſantes à feriis.

Quæ-

Quæres 1. Quænam ſit prima cauſa ex- 297
cuſans exercentes *opera* prohibita diebus *feſti-
vis?* ℟. *Neceſſitas* tam publica quam privata;
quæ tunc cenſetur adeſſe, quando imminet
notabile damnum in bonis vel animi, vel
corporis, vel fortunæ, mihi vel proximo. Ob
hanc rationem excuſantur *reficientes* fontes,
pontes, aggeres fluminum, parantes aliqua ad
comunem populi feſtivitatem, v. g. in adven-
tum principis &c. extinguentes incendia &c.
præparantes convivia &c. coquentes calcem,
vitrum &c. ſuſtentationem non habentes,
niſi laborent &c. ſartores laborantes pro *nup-
tiis*, conductu lugubri &c. pharmacopolæ &c.
horum famuli &c. & hujusmodi. Vid. P. Spor
n. 50. Reiffenſt. *n. 27.* la Cr. *n. 588.* Viva *n. 6.*

Quæres 2. Quæ ſit cauſa excuſans *altera*? 298
℟. *Pietas* erga Deum, & *charitas* erga proxi-
mum. Vi prioris licent opera, quæ *proxime*
ſpectant ad cultum Dei, ut pulſare campa-
nas, organa &c. circumferre imagines vel
cruces in ſupplicatione &c. Alia, quæ *remote*
tantum ſpectant ad cultum Divinum, ut or-
nare altaria, verrere templa, erigere præſe-
pia, ſepulchra Chriſti &c. Si comode potuiſ-
ſent ante fieri, ſunt ſaltem venialia. Spor. *n.
52.* la Cr. *n. 586.* Viva *n. 10.* Si autem adſit
juſta cauſa, nec venalia erunt. Babenſt. *n. 17.*
Vi *charitatis* erga proximum, licitum eſt
fodere ſepulchrum pro mortuo, parare
veſtes lugubres, appendere inſignia &c. la-
borare

borare quomodocunque pro paupere vel Eccleſia in gravi neceſſitate conſtitutis. Spor. *n. 53.* la Cr. *n. 587.*

299 Quæres 3. Quæ ſit tertia cauſa excuſans? ℟. Conſuetudo *legitima*; nam hæc derogat juri poſitivo humano *c. ult. de conſuet.* Ratione hujus, mercatores publice vendunt &c. Judices ruſticorum jus dicunt &c. *molitores* molunt, *piſtores* panem pinſunt, *milites* velitationes faciunt, *hortulani* olera rigant, *coqui* animalia deplumant, excoriant &c. *barbitonſores* tondent, *qui* inſuper excuſantur ratione *lucri* ceſſantis, ſi negent eo die petentibus: item ratione *neceſſitatis* ruſticorum vel aliorum, qui per occupationes aliis diebus accedere non poſſunt: aut etiam ex *parvitate* materiæ, ſi tantumodo unum aut alterum tondent &c. *Vid. cit.* P. Spor *n. 55.* Reiff. *n. 35.* la Cr. *à n. 589.* Viva *n. 12. &c.*

300 Quæres ult. Quæ ſit cauſa ultima? ℟. Diſpenſario: hanc in feſtis jure communi inductis poteſt dare valide, ſi adſit cauſa, Epiſcopus, & ejus Vicarius, pro omnibus Diœceſanis; parochus pro parochianis, ſuperior pro ſubditis, non taman pro famulis, Papa pro omnibus, etiam ſine cauſa; ſic tamen diſpenſans peccare poteſt. Deinde, qui poteſt diſpenſare poteſtate ordinaria, poteſt ſuas vices alteri delegare, dicendo, ſi *ille* approbaverit cauſam, *diſpenſet*: ſi autem ipſemet habeat poteſtatem delegatam, non poteſt, ſubdelegare, attamen dicere poteſt *diſpen-*

ſpenſo, ſi ille cauſam approbaverit. Denique ſi cauſa excuſans eſt manifeſta, non opus eſt petere licentiam vel diſpenſationem, niſi forte ratione ſcandali, ſi publice laboraretur. Confeſſarius de ſe plus non poteſt, quam pro forro conſcientiæ declarare an cauſa ſit juſta, & ſufficiens vel non? P. Spor. *n.* 57. la Cr. *n.* 584.

ARTICULUS II.

Quid ſecundo præcepto Eccleſiæ præcipiatur?

PRænotandum: ex dictis, ſecundum Eccleſiæ præceptum vulgo ita ſtatui: *Sacrum Miſſæ Officium diebus feſtis reverenter audito*? Ubi nomine *Miſſæ* intelligitur non tantum *conſecratio* utriusque ſpeciei (in qua conſiſtere illius eſſentiam diximus in Theol. Schol. Part. 7. *n.* 694.) ſed *totus* ille *ritus*, quem ſacerdos peragit ab initio uſque poſt conſummationem corporis & ſanguinis Chriſti. Quantum, qualiter, & quos hoc præceptum obliget? quæritur. Loco reſponſionis ſit unica 301

CONCLUSIO: Secundo Eccleſiæ præcepto obligatur omnis fidelis *adultus* ſub *mortali* audire ſacrum: exhibendo præſentiam corporalem & religioſam & quidem ad integram Miſſam, quamcunque tandem. *Ita quoad rem omnes.* 302

Prob.

303 Prob. 1. pars : Hoc præceptum obligare ſub *mortali*, conſtat ex traditione Apoſtolica, conſuetudine, conſenſu omnium, & ratione : quia eſt de re *gravi* ex objecto ; imo ſententia contraria eſt damnata ab Innoc. XI. ex dictis ſupra *n. 287.* ergo taliter obligat omnes adultos, *rationis* capaces, nam alii ſicut peccati, ita quoque obligationis ſub peccato incapaces ſunt. Interim tamen non obligat eum, qui cæcus & ſurdus ſimul eſt : quia talis nequit ſimul exercere moralem præſentiam. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 616.* Babenſt. *tr. 5. d. 4. a. 1. n. 8.*

304 Prob. 2. pars : Abſens non poteſt dici *audire* vel *aſſiſtere* Sacro : ergo requiritur præſentia corporalis, & quidem talis, per quam quis ſit ita præſens *phyſice* vel *moraliter* loco, in quo ſit Miſſa, ut poſſit eſſe unus è numero eorum, qui circumſtant, & offerunt cum ſacerdote ſacrificium. Hinc non eſt opus videre, vel audire celebrantem, ſed ſatis eſt, ſi adſis aliis, qui vident & audiunt, & te conformes illis in ſurgendo, & flectendo, etſi ſis *extra* templum, & forte etiam in vicina domo. la Cr. *à n. 640.* Spor. *tr. 3. c. 4. ſ. 1. à n. 8.*

305 Prob. 3. pars : Præſentia ſeu aſſiſtentia dicta debet inſuper eſſe *humana* & voluntaria : hinc *ebrius* vel *dormiens* non ſatisfacit præcepto ; quia non adeſt modo humano. Inſuper debet eſſe *religioſa* & devota, cum aliqua intentione & attentione ſaltem *exter-*

na

na, eo fere modo, quo diximus recitari debere horas canonicas, ſupra Part. *2. à n. 147.* la Cr, *l. c. n. 650.* P. Stoz *l. 1. p. 3. n. 252.* Gobat. *tr. n. 230.* Itaque *intentionem* quod attinet, debet illa eſſe talis, qua velit audire ſacrum: & ſufficit ſi ſit *implicita*, qualem habet, qui voluntarie adit ſacrum, qui vult ſatisfacere ſuæ obligationi, aut facere, quod alii faciunt &c. la Cr. *n. 635.* Non tamẽ eſt neceſ- 306
ſe, ut habeat intentionẽ *ſatisfaciendi* præcepto: ideo ſi im̃emor, aut etiam ignarus diei feſti audiat Sacrum, ſatisfacit præcepto, uti & ille, qui audit cum expreſſa voluntate aliud audiendi, ex dictis in part *2. n. 145. Vid.* P. Stoz *n. 251.* Quoad *attentionem* non ſatisfaciunt, qui exercent actiones ex natura ſua *incompatibiles* cum attentione interna, ut *fabulari*, ſcribere, legere profana, res ita fixe aſpicere & conſiderare, ut moraliter nequeant attendere ad ea, quæ geruntur in ara &c. la Cr. *n. 653.* Bene tamen, qui juvant Muſicam; qui Breviarium, pœnitentiam, aut alias preces obligatorias recitant, qui examinant conſcientiam, ſe ad confeſſionem parant, imo & *confitentur*, & confeſſiones audiunt &c. la Cr. *n. 652. 655. 656.* P. Pichler *in jur. pract. l. 2. t. 9. deciſ. 52. q. 1. & 2.*

Prob. 4. pars: Ex jure canonico c. *omnes fideles*, &c. *Miſſas de conſecr. diſt.* ubi præcipitur, ut Miſſa audiatur ab *introitu* uſque *benedictionem* ſacerdotis: ergo debet audiri *integra*, conſequenter peccatur mortaliter, 307

ſi voluntarie omittatur pars ejus *notabilis*, qualis tamen probabiliter non eſt, modo quis veniat ad offertorium. Spor. *n. 20.* la Cr. *n. 665.* Reiffenſt. *n. 37.* Qui ſequenti *n. 40.* cum P. Pichler in *cit. jur. pract. l. 2. t. 9. deciſ. 52. q. 2.* docet, illum ſatisfacere, qui *ſucceſſive* duas Miſſas *partiales* audit, easque connectit: quamquam peccaret venialiter, ſi id faceret absque juſta cauſa. la Cr. *n. 612.* *Vid. n. 315.*

308 Prob. ult. pars: Præceptum de audienda Miſſa per ſe omnino abſtrahit à tali vel tali *particulari* Miſſa, uti & à *loco* publico vel privato: ergo de ſe ſatisfit per auditionem Miſſæ cujuscunque & ubicunque. In oratoriis *privatis* tamen audiendo Sacrum probabilius non ſatisfaciunt illi, qui non ſunt de familia privilegiati: utut et ſententia oppoſita probabilis ſit. la Cr. *n. 628.* Vide dicenda in Part. *4. n. 440.*

309 Objicies 1. cont. 1. part. Jus Canonicum in *cit. c. Miſſas.* in quo præcipue fundatur doc ſecundum præceptum Eccleſiæ, loquitur duntaxat de *ſæcularibus*: ergo hoc non obligantur ſaltem ſacerdotes (: ℞. d. c. ſi celebrent c. nam hoc ipſo, & quidem eminenter Miſſam audire cenſentur: ſecus n. Hinc ſacerdos, ſi alius celebraturus deſit, tenetur ipſemet celebrare ut Miſſam audiat:) la Cr. *n. 614.*

310 Ob. 2. cont. 2. part. Ædituus, dum ſub Miſſa vadit ad ſacriſtiam aliquid allaturus, aut ad campanile, tracturus campanas, adhuc

huc ſatisfacit, etſi interim pars præcipua v. g. ipſa conſecratio prætereat: atqui talis non eſt præſens *corpore* (: phyſice c. *moraliter* n. nam dicta loca communicant cum templo, cum ſint quaſi *aliquid* templi: inſuper pulſatio campanæ ad elevationem ordinatur ad illum Dei cultum, qui per ſacrificium exhibetur:) ergo non requiritur præſentia corporalis. la Cr. *n. 645.*

Ob. 3. cont. 3. part. In noſtro ſenten- 312
tia ſatisfaceret præcepto ille, qui vult audire Miſſam etiam principaliter ob *vanam* gloriam, aut ſimul volens ſe delectare turpi aſpectu puellæ præſentis, modo *exterius* ſe modeſte gerat, & attendat ad rem ſacram: atqui hoc non videtur verum; ergo. m. p. Eccleſia præcipit actus *bonos* tantum (: quoad ſe & ſecundum *ſubſtantiam* c. ſemper quoad *modum* n. Etenim modus & finis præcepti non cadit ſub præceptum:) unde per communionem *ſacrilegam* non ſatisfit præcepto (: n. parit. Quia Eccleſia declaravit ſe præcipere communionem *fructuoſam*: quod nondum declaravit de auditione Miſſæ:) ergo la Cr. *n. 636.*

Ob. 4. Cultus, qui exhibetur Deo per 313
auditionem Miſſæ, licet *determinative* quad primum & tempus ſit juris tantum Eccleſiaſtici *fundamentaliter* tamen & implicite eſt de jure *Divino* naturali, quo omnis homo adultus tenetur aliquo actu poſitivo Deum quandoque *colere*: ergo debet fieri cum attentione

etiam *interna* (: ſub peccato *gravi* n. ſub *ve*
niali c. Nam attentio interna ſub gravi no
requiritur ad *orationem*, imo nec ad ipſam con
ſecrationem, ut docet P. Stoz *n. 109.* erg
multo minus ad *cultum* Divinum & auditio
nem Miſſæ; ſiquidem non tanta attentio re
quiratur ad Miſſam quam ad orationem; qui
difficilius eſt perſonaliter *orare*, quam orant
aſſiſtere; ut oſtendit P. Gobat *tr. 5. n. 227*
addens *n. 230.* probabile eſſe, immunem
noxa mortali eſſe illum, qui deliberate fove
profanas cogitationes, ita illum abripientes
ut *neſciat* quid agatur, modo adhibeat atten
tionem *exteriorem* :) *Vid.* la Cr. *l. 4. n. 134.*
Stoz *p. 3. n. 107.* Pichler in *Jur pract. l.*
t. 9. deciſ. 52. ad 2.

313 Ob. 5. Celebrans non poteſt *audire* Mi
ſam, quæ ab alio legitur eo tempore, qu
ipſe celebrat (: n. hoc: quia poteſt ſuffici
enter attendere ad ſuam & alienam Miſſam:
ergo neque poteſt Sacrum audire, & ſimu
horas aut pœnitentiam injunctam recitar
(: n. c. Quia *attentio* requiſita ad audiendam
Miſſam non minus *conſiſtit* cum orationibu
ex obligatione recitandis quam cum volun
tariis :) a. p. Si celebrans promiſiſſet unam
Miſſam *audire* & unam *legere*, velletque e
facere eodem tempore, talis non ſatisface
ret debito (: ſi promiſiſſet actus *ſucceſſivos*
prout ordinarie fit c. ſecus n. :) ergo *Vi*
la Cr. *l. 3. n. 657.* Babenſt. *n. 10.*

Ob.

Ob. 6. Qui ſub auditione Miſſæ confi- 314
etur, ille non aſſiſtit Miſſæ moraliter; ergo.
. p. Non poteſt attendere, quid agat cele-
rans, quouſque pervenerit (: n. hoc; id
nim poteſt ſcire ex tintinabuli pulſu, ex
oce ſacerdotis, ex ſtrepitu populi ſurgen-
is &c. Deinde, etſi non poſſet attendere,
amen occupatur actione *pia*, ad quam vel
naxime habet attentionem, & per quam ad-
uc cenſetur cum ſacrificante & circumſtan-
ibus Deo cultum exhibere; quod ſufficit,
eſte P. Pichler *l. c. ad* 1. *&* 5. ſicut ſuffice-
et ſi confiteretur *Deo*:) ergo. Præterea:
Talis confitens non orat: ergo non ſatisfa-
it (: n. ſupp. c. Quod Miſſam audiens de-
eat intereſſe per modum *orantis*; nam Miſſa
udiri, & Deus aliter coli poteſt quam oran-
lo, nempe attendendo ad ea, quæ facit ſacer-
los, perpendendo myſteria Divina, gratias
gendo &c.:) *Vid cit.* Pichler *ad* 3. la Cr.
. 634.

Ob. 7. cont. 4. part. Eccleſia præcipit, 315
udire unam & *integram* Miſſam: atqui Miſſa
ion eſt una, ſi audiantur *duæ* ejus partes, à
luobus; ergo. m. p. Duæ partes, v. g. ho-
lierni & craſtini Breviarii, non faciunt
num Breviarium: ergo nec duæ partes *Miſſæ*
(: n. c. Quia in his adhuc eſt *idem* offerens
rincipalis nempe Chriſtus, idemque offertur,
& ſumitur &c. Paritas facta plus non pro-
bat, quam quod duæ partes Miſſæ, diverſis
liebus auditæ non conſtituant unam Miſſam:
ion item ſi audiantur *eodem* die, & ſaltem

intra horam ; etiam modo *inverſo* ; ita ut prius audiatur pars poſterior :) *Vid.* La Cr. *n. 611.* Pichler *l. c. q. 2. ad 2. & 3.*

316 Ob. ult. cont. ult. part. Præcepto audiendi Sacrum ſatisfit in quocunque loco etiam *profano*, v. g. in caſtris militum, in littore, quando legitur pro navigantibus, licet quis non ſit miles, vel de comitatu navigantium: ergo multomagis ſi audiatur in oratorio privato): n. c. Nam circa *oratoria* privata probabiliter facta eſt reſtrictio ; non item de *aliis* locis: ergo recte ſtamus lege communi præcipiente Miſſam, abſtrahendo *à loco*:)

317 Quæres 1. Quæ ſit regula generalis ad dignoſcendum, ſitne aliquis excuſatus ab audienda Miſſa nec ne? ℟. Hæc: illa *omnis* & *ſola* cauſa excuſat, quæ eſt *mediocriter* gravis, ſive quæ involvit *notabilem* & ſaltem mediocrem incommoditatem in bonis animæ, corporis, aut fortunæ, propriis vel proximi. Ita P. la Cr. *l. 3. p. 1. n. 675.* & ibi citati. Hinc excuſantur non tantum illi, qui habent impotentiam *phyſicam* (ut ſunt captivi, ægroti; in mari, aut terris infidelium conſtituti, qui abſolute Miſſam audire nequeunt ; ſed etiam illi, qui habent impotentiam *moralem* ſeu magnam difficultatem, laborem, aut periculum, ut valetudinarii, *longius* v. g. ultra horam diſtantes, domum cuſtodientes, ægrotis inſervientes, ad pecora, valla & turres excubantes, &c. ante vel poſtea Miſſam audire non valentes. Ratio omnium eſt: quia im-

mpoſſibilium nulla eſt obligatio: nec Eccleſia ceu mater benigna intendit hic obligare cum gravi & notabili incomodo; ergo. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 10. d. 1. q. 5. n. 44.* P. Spor. *tr. 3. c. 4. ſ. 2. n. 26.* La Croix *l. 3. p. 1. n. 674.* P. Babenſt. *tr. 5. d. 4. a. 1.* §. 2. *n. 20.*

Quæres 2. Utrum in caſu, quo quis habet impedimentum legitimum non audiendi Miſſam die feſto, teneatur ſub mortali *domi* per aliquod tempus *orationi* vacare? ℟. Negative: quia talis oratio, domi peragenda, minime comprehenditur ſub nomine *Miſſæ*; nec finis præcepti cadit ſub præcepto. Quamquam oppoſita ſententia hominibus omnino ſuadenda ſit, ut obligationi naturali, qua DEUM per decurſum vitæ tenemur ſæpius per actus virtutum theologicarum & moralium revereri, melius ſatisfiat. Hoc vult. S. Aug. *ſerm. 251. de temp.* monens: *Obſervemus diem Dominicum, & ſanctificemus illum &c. Quis vero hoc non poteſt, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat DEO ſolvere votum, & reddere penſum ſervitutis.* Satis tamen erit (pergit P. la Cr. *n. 691.*) abſtinere à ſervilibus ea intentione, ut colatur DEUS, qui in ſabbatho quievit; nec obligatio illius intentionis eſt in feſtis pure ab Eccleſia inſtitutis. *Vid.* Reiffenſt. *n. 55.* 318

QUÆSTIO II.

DE TERTIO, QUARTO, ET QUINTO PRÆCEPTO ECCLESIÆ.

ARTICULUS I.

Qualiter, & quos obliget tertium præceptum Eccleſiæ de jejunio?

319 PRænot. 1. Tertium Eccleſiæ præceptum communiter ſequentibus verbis proponi: *Jejunia certis diebus temporibusque indicta ſervato.* Concordat canon. 68. *Apoſt.* & c. *quadrageſima. de conſecr. d. 5. cum ſeqq. can.* Definitur hoc jejunium *Eccleſiaſticum* (nam de jejunio *naturali*, quod eſt abſtinentia ab *omni* prorſus cibo & potu, quodque ordinarie ad ſumptionem SS. Euchariſtiæ requiritur, agemus *P. 4. à n. 364.*) eſt *voluntaria abſtinentia à CIBO juxta præſcriptionem Eccleſiæ.* Adeoque *potus* purus in communi hominum æſtimatione ut eſt vinum, cereviſia, Thee, Cafee, & probabiliter quoque Chocolata (ſaltem ſi tenuis ſit, & ſine admixtione lactis, & ovorum) non ſolvit jejunium Eccleſiaſticum ex doctrina S. Th. *2. 2. q. 147. a. 6. ad 2.* uti nec illud *modicum* panis &c. quod ſumitur, ne hauſtus *interdiu* factus noceat; & bona ſequela doctrinæ conſiſtit in quarta parte

te collationis, nempe in *duabus* unciis circi-
ter: ubi tamen ſimul præ oculis habenda
propoſitio 29. ab Alexand. VII. damnata: *In
die jejunii, qui ſæpius modicum quid concedit,
etſi notabilem quantitatem comederit, non fran-
git jejunium*: ut optime annotat P.Kreſslinger
in additione II. ad P. Reiffenſt. *tr. 10. d. 2. q.2.
n. 35. cum ibi* citatis. Econtra *lac* & *juſculum*
ſolvunt jejunium; quia etſi ſint quid liqui-
dum, ſe tamen habent per modum *comeſtibi-
lis*, & ex natura ſua ordinantur juxta com-
munem prudentum æſtimationem ad *nutrien-
dum* partes *ſolidas* corporis. Ulterius tamen

Prænot. 2. Ad jejunium Eccleſiaſticum 320
tria requiri; videlicet abſtinentia à *certis* ci-
bis, abſtinentia à *pluribus* refectionibus, &
certa *hora* refectionis. Quantum ad primum,
inprimis diebus jejunii abſtinendum eſt à *car-
nibus* (qualis ſaltem apud nos nos ſunt lutræ,
fibri, teſtudines, cochleæ &c. Babenſtub.
n. 3.) & *lacticiniis*, quæ tamen in Germania
ex antiqua conſuetudine videmus permiſſa
omnibus jejuniis totius anni; idque conjectu-
raliter ob defectum olei, aliorumque cibo-
rum quadrageſimalium, qui alibi abundare
ſolent. Hoc ipſo tamen non eſt licitus uſus
& eſus ſanguinis, juſculorum ex carnibus, &
pinguedinum animalium, nominatim *lardi* por-
cini; ſaltem nondum eliquati: quia quoad
horum uſum apud nos conſuetudo necdum vi-
detur introducta. Lardo *eliquato* tamen lici-
te utuntur non tantum pauperes, & famuli

(quando illis à dominis proponuntur cibo illo cocti, vel coquere jubentur) ſed quoque ipſi domini & divites ſaltem absque peccato mortali : quia communis perſuaſio eſt, minorem eſſe lardi, quam *carnis* ipſius prohibitionem. Divitibus tamen absque prorſus rationabili cauſa uſus lardi, multo minus eſus juſculi carnium, aut farciminum ex ſanguine ſimpliciter nunquam permitti debet, & ſemper diſſuaderi, ob rationem dictam. *Vid.* P. Spor. *n. 10.* P. Kreſsling. *ſub num. 10.* P. Schmalzgr. *l. 3. t. 46. n. 9.* Sbogar *tr. 92. c. 1. n. 14.* &c. Jam quoad ſecundum

321 Prænot. 3. Ad jejunium eccleſiaſticum inſuper requiri, ut intra ſpatium *diei* naturalis non niſi *unica* refectio ſeu comeſtio fiat, in qua tamen *plus* cibi licite accipi poteſt, quam alias ordinarie; nimium excedens, peccaret quidem contra temperantiam pro ratione exceſſus, plerumque venialiter, at non contra legem *eccleſiaſticam* jejunii, etſi ageret contra ejus finem, qui tamen non cadit ſub præcepto. Hinc, qui in die *ſæpius* comedit cibos cæteroquin *licitos*, graviter peccat per ſecundam comeſtionem tantum, non item per tertiam, vel alias ſubſequentes: quia poſita ſecunda comeſtione impoſſibile eſt ut quis unica contentus ſit. Nec obſtat, quod *ſæpius* comedens *carnes*, ſæpius peccet; quia præceptum de *non* comedenda *carne* eſt ſimpliciter *negativum*, obligans ſemper & *pro* ſemper; poteſtque poſt primam comeſtionem

nem adhuc ſervari. Licitum tamen eſt ſub veſperum ſumere *collatiunculam* ſeu cœnulam moderatam ex recepta *conſuetudine*, in qua quantitas ciborum eſurialium poteſt eſſe vel *abſoluta* reſpectu omnium, nempe *media libra*: vel *reſpectiva*, nimirum reſpectu & *propoſitione* habita ad *perſonas*, quæ ampliori vel pauciori cibo indigent & à multis determinatur *quarta pars* prandii. *Utraque* ſententia eſt vere *probabilis* & tuta, traditurque à multis DD. *Qualitas* vero ciborum an nimirum calidi ſint vel frigidi, offa vel piſces, fructus vel placentæ &c. juxta Azor. Bonac. Burghaber, Sporer, & alios non attenditur, quorum ſententiam practice probabilem cenſeo, modo conſuetudo non repugnet. Ita reſolute P. Pichler *l. 3. t. 47. n. 4.* cui quoad omnia conſentit reſolutiſſimus P. Stoz *l. 1. p. 3. q. 3. n. 524. & ibi citati.* item la Cr. *n. 1299.* Modo etiam quoad tertium 322

Prænot. 4. Ad dictum jejunium denique requiri, ut illa unica refectio ſit *cœna*, & non prandium; adeoque fiat *hora competenti*: qualis olim in quadrageſima fuit *veſpertina*, in aliis jejuniis hora *tertia* pomeridiana, nunc autem tam in- quam extra quadrageſimam ex recepta conſuetudine & indulgentia Eccleſiæ apud nos eſt hora *undecima*, qua jam loco cœnæ comedimus; hinc, ob memoriam *antiquitatis*, in ipſa hac refectione meridiana *preces* menſales pro cœna aſſignatas dicimus, & in quadrageſima Veſperas, in aliis autem 323

jeju-

jejuniis *Nonam* in choro præmittimus. Interim hæc *hora* determinata non eſt de eſſentia jejunii eccleſiaſtici, ſicut eſt abſtinentia à car-
324 nibus, & unica refectio: quapropter qui cum- vel ſine culpa ante horam meridianam ſe reficit, adhuc tenetur illo die jejunare; quia præceptum jejunii quoad ſubſtantiam adhuc poteſt ſervare, modo carnes non comederit. Cæterum horam hanc præſcriptam etiam *notabiliter* ſc. per duas vel *tres* horas, & *ſine* juſta cauſa anticipare, duntaxat peccatum veniale eſt. Idipſum ob eamdem rationem dicendum, ſi hora meridiana ſumatur ſolita collatiuncula, & primum veſpere cœna integra. Imo probabile eſt, talem, etiamſi *absque* ſpeciali *cauſa* prandium ad noctem differat, tamen nec venialiter peccare: eoquod talis modus neque ex toto neque ex parte ſolvat ſubſtantiá jejunii; quinimo hic modus magis conducit ad corporis afflictionem, unde & olim in primitiva Eccleſia refectio ſumebatur ad veſperam. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 10. d. 2. q. 2. n. 35.* P. Sporer *in Append. ad 3. præcept. n. 33.* Babenſt. *tr. 6. d. 1. a. 2. n. 12.* P. la Cr. *l. 3. p. 2. n. 1278.* Tandem quoad refectionis & collationis interruptionem.

325 Prænot. 5. Eoipſo, quod tam *refectio* quam collatio debeat eſſe *unica* tantum, ideo utramque debere eſſe *continuam*, non quidem mathematice, ſed moraliter, nimirum absque *notabili* intervallo v. g. aliquot hora-

rum:

rum: quale intervallum tamen non facit quadrans. Quapropter, ſi quis finierit prandium, & plicarit mapulam *cum* propoſito nihil amplius comedendi, item ſi ſurrexerit à menſa etiam gratiis actis, poteſt intra quadrantem, aut intra quadrantem & medium, *mutata* voluntate, iterum aſſidere & comedere; quia moraliter cenſetur *una* comeſtio. La Cr. *num. 1281.* Kreſslinger *ſub num. 35.* Quodſi interrumpatur ex *gravi* cauſa, puta ob negotia &c. tunc ſi ante abitum ad negotium non foret ſufficienter ſatur, poſſet adhuc in reditu comedere ad ſaturitatem, non obſtante intervallo quocunque: præſertim ſi *retinuerit* intentionem redeundi: quia quilibet habet jus ſemel intra diem jejunii ad ſaturitatem comedendi. La Cr. *n. 1279.* Kreſsling. *ſub cit. n. 35. addit. 1.* Similiter *miniſtri* 326
& lectores *menſæ* licite ſumunt cibum, & quidem *quantum* volunt, ſiquidem poſt peractum miniſterium & *lectionem* ſint & ipſi ſtatim menſæ accubituri; quia illa antecedens & hæc conſequens comeſtio ſunt moraliter *una*, ob officium miniſtrandi, vel legendi interrupta ex juſta cauſa. La Cr. *n. 1280.* Stoz *n. 523.* Cæterum refectionem meridianam poſſe continuari & protrahi ad *duas* horas, permittit La Cr. *n. 1283.* cum ibi adductis. P. Gobat tamen in *Quinar. tr. 5. c. 26. à n. 8. cum Pasqualigo* excuſat à mortali Germanos per *quatuor* vel plures horas ad convivium ſeſſitantes, præcipue ex conſuetudine: eſt enim

enim in Germania frequentiſſimum (pergit doctor ille germanus) ut per quadrageſimam inſtituantur convivia Doctoralia, Magiſtralia, item illa, quibus electiones Prælatorum, transactiones, ſponſalia, anniverſarii dies celebrantur, & ad quæ ex more patriæ ſeſſitatur multis horis tum ab ipſis ſacerdotibus, tum etiam nonnunquam à Religioſis, nec tamen eſt, qui illos orco addicat. His ſuppoſitis ſit

327 CONCLUSIO: Præceptum jejunii Eccleſiaſtici ex genere ſuo obligat ſub *mortali*, ſtatis diebus: & quidem *omnes* Chriſtianos ab anno *vigeſimo primo* completo, usque ad annum ſexageſimum; niſi juſta aliqua cauſa excuſentur. *Ita communis DD. ex praxi & communi ſenſu fidelium ex S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. can. 68. Apoſt. ſynod. VI. can. 56.*

328 Prob. 1. pars: Omnis lex Eccleſiaſtica in materia *gravi* obligat ſub mortali: atqui lex jejunii eſt Eccleſiaſtica; nam jejunium quadrageſimale fuit inſtitutum ab Apoſtolis ad exemplum Chriſti Domini per 40. dies jejunantis, ut patet ex *can. 68.* Apoſtolorum: quatuor tempora autem à S. Calliſto I. ut in iis obſervaretur jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum, velut habetur in Breviario 14. Octob. reliqua vero ſucceſſive ab Eccleſia; ergo ex *genere ſuo* obligat graviter, ſi nempe adſit gravis materia: uti inſuper certum eſt ex propoſitione 23. ab Alexand. VII damnata: *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tene-*

*enetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemp-
u vel inobedientia hoc faciat, quia non vult ſe
ſubjicere præcepto.* De cætero dari *parvitatem*
nateriæ in hoc præcepto omnes conſentiunt:
alis *extra* tempus refectionis adhuc ſunt *duæ*
unciæ, quæ duæ unciæ quoque in ipſa *colla-
iuncula* ſunt materia parva. Imo in vigilia
Nativitatis Domini, propter officium no-
cturnum, cui omnes fideles diutius intereſſe
ſolent, permittitur collatio *duplo* major.
dem eſt de vigilia *paſchatis*, uti probat con-
ſuetudo immemorialis, etiam ibi, ubi alias
naxima diſciplina. Spor. *n. 17. 28.* La Cr.
n. 1300. 1301. Stoz *n. 524.* Eſt autem obli-
gatio jejunii alligata *diei*, atqui ideo ille, qui
tali die jejunare non poteſt, aut etiam culpa-
biliter illud violat, non tenetur loco ipſius
alio die jejunare, ut patet à ſimili in præcepto
audiendi Miſſam; quod pariter cum die tran-
ſit. Inſuper obligatio hæc eſt *perſonalis*; un-
de nequit per alium perſolvi; nam finis jeju-
nii eccleſiaſtici eſt moderate affligere corpus,
carnemque *propriam* edomare; ergo.

Prob. 2. Finis hujus præcepti & jejunii 330
Eccleſiaſtici eſt mortificatio corporis, ad id
ſubjiciendum ſpiritui, & ſatisfaciendum DEO
pro peccatis: atqui finis hic omnibus *commu-
nis* eſt; ergo & *medium* præſcriptum, nem-
pe *jejunium*, omnibus commune eſſe debet:
quod licet non omnibus ſit æque neceſſarium,
eſt tamen omnibus valde utile & meritorium;
conſequenter Eccleſia bene præcipit *pro* om-
nibus,

nibus, habentibus *vigeſimum primum* annum completum. Nam, quia *adoleſcentes* ante hos annos ob creſcentem ætatem & caloris abundantiam *frequentiore* & abundantiore cibo indigent, Eccleſia eos obligare noluit saltem quoad unicam refectionem: à carnibus enim aliiſque cibis *prohibitis* & ipſi abſtinere tenentur. *Infantibus* tamen nondum præditis uſu rationis (idem eſt de perpetuo amentibus) utpote cum præcepti Eccleſiaſtici capaces non ſint, infra ſeptennium tales cibos dare licitum eſt, niſi conſuetudine in contrarium exiſtente id ſcandaloſum foret.

331 Prob. 3. pars: Annus ſexageſimus jam eſt initium ſenectutis (quæ ipſa eſt morbus) & ultimi *denarii*, quo communiter finitur vita humana, juxta illud Pſalm. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*: adeoque ab hoc anno vires corporis *ordinarie* decreſcunt notabiliter, naturaque ſicut repletione, ita & *inedia* graviter læditur: ergo ab hoc anno non amplius eſt obligatio jejunandi. Maxime: quia generatim expedit *legis* obligationem ita eſſe definitam, ut ſciatur, quinam *ea* comprehendantur vel non (ne ex una parte facile humana negligentia ex altero vero nimia anxietas oriatur) ergo ſicut *juvenibus* certa eſt definita, ita & *ſenibus* definiri debuit; cum majus ſit periculum deficientiæ in ſenectute quam juventute. Imo, teſte Marchantio apud P. Spor. *n. 50.* (dicentem hanc ſententiam eſſe probabiliorem, & ſati-

tu-

utam) hæc ætas actu definita eſt à S. Pio V.
vivæ vocis oraculo : & inſuper in Bullis cru-
iatæ, ubi declaravit ſexagenarios ad jejuni-
m non teneri. Nec obſtat, quod *aliqui* ul- 332
ra eam ætatem adhuc *robuſti* & ad jejunia ha-
iles reperiantur: nam hoc ipſum eſt pure *per
ccidens*; & pia mater Eccleſia non obligat niſi
ecundum *communem* curſum roboris & defi-
ientiæ naturæ humanæ : ſic adoleſcentes
on obligantur jejunare ante vigeſimum pri-
num annum completum quamquam alio-
uin robuſti ſint. *Vid.* P. Spor. *l. c.* Babenſt.
r. 6. d. 1. a. 1. n. 2. Stoz *l. 1. p. 3. n. 522.*

Prob. ult. pars : Sicut in aliis præceptis, 333
a quoque in præſenti dantur cauſæ *excuſan-
es* à jejunio, præcipue quoad unicam refe-
tionem; nam comeſtio carnium multo diffi-
ilius, nec niſi ratione *gravioris* neceſſitatis
onceditur. Et *hæc* quidem ſi evidens ſit ac
rgens, neque commode Superior adiri
ueat, licitum erit manducare carnes, &
lios cibos vetitos, etiam absque ulla diſpen-
tione: ſi autem tanta neceſſitas non urgeat,
ut de ea evidenter non conſtet. Superior
deundus eſt, & diſpenſatio petenda. Por- 334
o cauſæ omnes excuſantes à jejunio commo-
e ad *tria* capita revocantur, nempe ad *im-
otentiam*, pietatem, & *neceſſitatem.* Ratio
ſt: quia quando per obſervantiam præcepti
ejunii læderetur bonum *corporis*, excuſat im-
otentia; quando bonum *animæ* ſeu ſpiritus,
xcuſat *pietas*; & quando læderentur bona

fortunæ, excuſat neceſſitas ſeu *labor* neceſſarius ad conſervanda vel acquirenda bona fortunæ neceſſarius. De quibus ſingulis poſtea per ſingulas quæſtiones à *n. 339.* Interim

335 Objicies 1. cont. 1. part. Alexander VII. hanc propoſitionem ordine 29. damnavit: *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*: ergo in die jejunii etiam modica ſumere *extra* erit peccatum grave (: R℞. d. c. ſi illa modica *ſimul* faciant quantitatem *notabilem* c. ſecus n. Quinimo ſicut in furtis minutis ſucceſſivis major ſolito quantitas requiritur ad mortale, ita quoque major requiritur in comeſtionibus ſucceſſivis :) *Vid.* P. Kreſslinger *ſub. n. 35. addit. 2.*

336 Ob. 2. urg. Saltem circa comeſtionem *carnis* non datur *parvitas* materiæ; ergo ſemper peccatur mortaliter. a. p. Præceptum hoc eſt negativum; ergo (: n. c. Nam etiam præceptum *non* furandi eſt negativum, & tamen in eo datur *parvitas* materiæ. Quid autem *hæc* detur in comeſtione carnis, probatur ex eo, quia carnes prohibentur, prout ſunt *nutritivæ* ſeu refectivæ virium: cum ergo parum carnis parum nutriat *parum* quoque ſub *parvo* peccato prohibetur; ſicque datur parvitas materiæ: qualis cenſetur illa, quæ non poteſt homines ad ſui *frequentem* ſumptionem allicere; quia nempe tam parva eſt, ut homo non curet eam una die ſumere in ordine ad nutritionem: velut determinat P. Illſung apud

apud La Cr. *n. 1305.* Reſolutiſſimus P. Stoz *l. 1. p. 3. n. 528.* docet non peccari mortaliter, quamdiu non comedatur tanta pars carnis, quæ dimidiam partem quadrantis libræ exæquet:)

Ob. 3. cont. 2. part. Multi adoleſcentes *ante 21.* annum completum ſunt ſatis *robuſti*: ergo ſaltem hi ad jejunium obligabuntur (: n. c. Etenim cum Eccleſia hoc adoleſcentibus indulſerit, quia indigent infra illud tempus alimento multiplicato ad neceſſariam nutritionem, & vires comparandas, voluit, ne ſcrupulis omnia implerentur, certum tempus determinare, quo ea obligatio ſtringeret:) P. Stoz *n. 522.* 337

Ob. 4. cont. 3. part. Ex hac doctrina probatur, *fœminas* à jejunio excuſari *ante* annum ſexageſimum; ergo. ſ. p. *Hæ* citius ſeneſcunt, ſicut etiam citius pubeſcunt; & de ſe ſunt *debilioris* complexionis: ergo (: n. c. Quippe dato, quod prius ſeneſcant, attamen etiam *minus* macerantur jejunio; & quamvis debiliores ſint, etiam indigent non tantum minoribus *viribus* ſed etiam & minore alimento. Si quæ tamen ſit *notabiliter* debilior, poterit per malam valetudinem excuſari, eſtque inſuper major cauſa cum talibus diſpenſandi:) P. la Cr. *num. 1318.* P. Babenſtuber *a. 3. n. 5.* Reiffenſt. *n. 64.* 338

Quæres 1. Quinam à jejunio excuſentur ratione *impotentiæ*? ℞. Illi omnes, qui ſine gravi incommodo, vel notabili damno jeju- 339

nare non poſſunt. Quippe per *impotentiam* intelligitur impotentia tantummodo phyſica, ſed quoque impotentia *moralis*. Ratione *hujus* excuſantur *infirmi*, & *convaleſcentes*: quibus annumerandi ſunt, qui ob jejunium dolorem ſtomachi, vertiginem capitis, moleſta inſomnia patiuntur: item *prægnantes* & lactentes, utpote quæ *pro ſe* & pro ſuo *fœtu* ampliori cibo indigent: rurſum *pauperes*, & quicunque non habent, quo ſemel ſufficienter reficiantur; quibus ſi nihil aliud occurrat, quoque carnes comedere licitum erit, præſertim finitis bacchanaliis, dum ipſis dantur carnium reliquiæ; & hoc ex conſuetudine. P. Spor. *n. 56.* La Cr. *n. 1322.* Ratione ætatis non obligari adoleſcentes infra annum vigeſimum primum; nec ſenes ultra annum ſexageſimum, jam reſolvimus in concluſione.

340 Quæres 2. Quinam excuſentur ratione *pietatis*? ℞. Illi, qui operibus præſtantioris virtutis & *majoris* momenti incumbunt, quæ una cum jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt: Ratio eſt: quia Eccleſia ſuo præcepto intendit quidem *promovere* fideles ad opus *bonum* non tamen impedire à *meliore*. Talia ſunt 1. Opera *miſericordiæ* tam corporalia quam ſpiritualia; ob *quæ* excuſari poſſunt concionatores, confeſſarii, profeſſores, cantores, medici, advocati, & alii hujusmodi. 2. Opera *juſtitiæ* (ob quæ excuſari poſſunt conjuges ob reddendum debitum

Spor

Spor. *n. 64.*) & *charitatis*; ut ſi uxor mariti iram & contentionem effugere nequeat, niſi cum ipſo cœnet &c. 3. Opera *Religionis*: hinc excuſat peregrinatio, ſi fiat ex voto vel præcepto confeſſarii, & alia die commode inſtitui non poſſit: item ſi fiat ad *lucrandas* indulgentias: imo probabiliter excuſat *omnis* peregrinatio; quia *melior* videtur jejunio: idem eſt de flagellatione usque ad ſanguinem. *Vid.* P. la Cr. *n. 1345. & 1346.*

Quæres 3. Quinam excuſentur ratione *neceſſitatis* ſeu laboris? ℞. Illi omnes, qui exercent opera *laborioſa*, & cum magna agitatione corporis. Hoc titulo itaque excuſantur mechanici ferme omnes, quorum opificia *valde* laborioſa ſunt, ut fabri, textores, ſutores ſi ſuant &c. Item exercentes opera *ruralia*, ferentes gravia onera, peragentes *continuo* opera domeſtica famulorum & ancillarum &c. Item *laborioſe* & cum defatigatione *notabili* itinerantes, ſive deinde pedites, ſive equo, ſive curru &c. Nam generalis menſura excuſationis ſive totalis ſive partialis à jejunio in quovis itinere vel labore eſt *fatigatio* & deficientia naturæ, *reficientiam* poſtulantis in quo quis ſibi ipſi ſit ſincerus arbiter; aut ſi non poſſit, credat, alteri intelligenti. Ratione *laboris* ergo *non* excuſantur à jejunio opifices illi, quorum opera *quieta* ſunt, *nec* multum corpus fatigant, ut pictores, ſcriptores, typorum poſitores, ſartores &c. ubi inſuper notandæ, & caven-

341 (margin, beside "Quæres 3.")
342 (margin, beside "intelligenti. Ratione laboris ergo non excu-")

dæ ſunt hæ propoſitiones 30. & 31. ab Alex. VII. damnatæ: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; nec debent ſe certificare, an labor compatibilis ſit cum jejunio.* Item: *Excuſantur abſolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

343 Quæres 4. Quid ſentiendum de illis, qui non habent cauſas *ſufficienter* excuſantes? ℞. Qui non jejunant, *bona* fide putantes ſe habere juſtam (quæ tamen à parte rei talis *non* eſt) illi non peccant; nam tales bona fides excuſat. Dubitans, an juſtam cauſam habeat, tenetur jejunare (quam poſſeſſio ſtat pro lege jejunii (vel dubium *deponere*, vel petere diſpenſationem: quam Epiſcopus poteſt dare ſuo diœceſano, Superior ſuo religioſo; & Parochus ſuo parochiano in caſu particulari, & ex cauſa juſta. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 10. d. 1. n. 75. n. 78.* addens: cauſas excuſantes à jejunio Eccleſiaſtico, pariter excuſare à jejunio ex *voto* debito, dummodo non conſtet de alia intentione voventis: quia votum eſt lex *privata*, ergo interpretanda eſt juxta diſpoſi-
344 tionem *aliarum* legum. Cæterum ſi confeſſarius non ſit *ſatis certus* de obligatione *pœnitentis*, & *hic* ob rationem ſibi probabilem viſam non jejunet, vel tantum bis vel ter in ſeptimana, non nimis urgendus eſt; ne alioquin vel omnino non jejunet, vel non jeju-

nando

ıando gravius peccet. *Vid.* P. la Cr. *n. 1351.* Spor. *n. 68.* juxta quem cum talibus privilegiati poſſent diſpenſare. Similia habet noſter Clariſſ. P. Georgius Geiſſer, qui in *Part. 1. privileg. q. 6. a. 2. n. 217.* ita concludit: habent præterea confeſſarii *noſtri* (*de Benedictinis* loquitur) poteſtatem diſpenſandi cum perſonis ſæcularibus in jejunio, ſi indigere judicentur. Eandem conceſſit Eugenius IV. congregationi Ciſtercienſi Caſtellæ, ut habet P. Yſo Pfau, *V. Diſpenſatio* §. 4. Ita ille.

Quæres ult. An, ſi cum *aliquo* in particulari? vel cum integra *communitate* generaliter diſpenſatur ad eſum *carnis* in quadrageſima, cenſeatur etiam diſpenſatum quoad ſecundam refectionem? ℟. Affirmative: quia per diſpenſationem ad eſum carnium tollitur *ſubſtantia* jejunii; & ruente principali ruit quoque acceſſorium. c. 42. *de R. J. in 6.* Ex quo ulterius infero, ſi in aliqua *diœceſi* permittitur eſus carnium *generaliter*, nec illos (qui diſpenſationem quoad carnes non acceptant, & cibis eſurialibus voluntarie veſcuntur) peccare *contra* jejunium, qui illis diebus, quibus permittitur eſus carnium, adhibent *alteram* refectionem in cibis *eſurialibus*; quia etiam quoad *h'ʃ* per diſpenſationem ſublata eſt ſubſtantia jejunii. Et plane adſurdum foret eos obligare ad abſtinendũ ab altera refectione, qui ſponte *aliquid* obſervant de præcepto Eccleſiæ abſtinendo à carnibus, non vero illos, qui *nihil* obſervant, & carnes comedunt.

345

346

dunt. Numquid talis, qui ſponte *non* comedit carnes (& quem tu vis obligare ad abſtinendum à ſecunda refectione in cibis eſurialibus) licite mutat mentem, & dicit: afferte mihi carnes ad cœnandum? & tunc in his juxta te poteſt adhibere ſecundam refectionem: quare ergo non etiam in cibis eſurialibus? Ita plane egregie P. Pichler in *Compend. l. 3. t. 46. n. 3.* & rurſum in *Jur. Can. pract. explic. eodem l. 3. t. 46. decſ. 119. q. 2.* Ubi mentem ſuam explicat circa illam quæſtionem, an Religioſi non-exempti obligentur jejunio dum diſpenſatio facta eſt pro *tota* diœceſi? Et licet affirmative reſolvat; addit tamen, ſe loqui cum ſententia *probabiliore*, & in *caſu*, quo Superior diſpenſationem pro ſuo Cœnobio adſolute & quoad *nullam* partem *acceptat*. Quid igitur adhuc fieri poſſit in ſententia *probabili*, & ubi Superior quoad illam diſpenſationem *indifferens* eſt? dicam forſan alibi. Interim dicta *n. 345.* vera tantum ſunt, niſi expreſſe contrarium ſtatuatur, prout tamen jam actu ſtatuit modernus S. Pontifex Benedictus XIV. in noviſſimis Litteris per formam *Brevis* datis Romæ 1741. 22. Aug. quæ incipiunt: *In ſuprema univerſalis Eccleſiæ.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Qualiter obliget quartum præceptum Eccleſiæ de confeſſione annua? & quintum de Communione paſchali?

PRænot. 1. Quartum Eccleſiæ præceptum his verbis comprehendi: *peccata tua ſacerdoti proprio annis ſingulis confitetor.* De quo in *c. omnis utriusque ſexus. de pœnit. & remiſſ.* Itaque hic ex dicendis in Part. 4. *n. 560.* ſupponitur, quod *confeſſio* ſacramentalis definiatur: eſt *legitima accuſatio de peccatis propriis, facta coram ſacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute clavium.* Eſſe inſtitutam à Chriſto Domino, eſt de fide ex Trid. *ſ. 14. can. 6. & c. 5.* & præter continuam traditionem ac ſenſum fidelium deſumitur ex illis verbis Chriſti: *quorum remiſeritis peccata. Jo. 20.* Per quæ verba Chriſtus Apoſtolos & eorum ſucceſſores conſtituit *judices* ad remittenda vel retinenda peccata; ergo ſimul inſtituit *confeſſionem*; ſecus hoc judicium exerceretur *incognitâ* causâ; nec poſſet ſervari æquitas in *imponendis* pœnitentiis, ſi pœnitentes ſua peccata omnino non, vel ſaltem non niſi *in genere* confiterentur. 347

Prænot. 2. *Confeſſionem* ad remiſſionem peccatorum eſſe neceſſariam jure *Divino* poſitivo ex *dicto Trid.* quia ſucceſſit in locum *contritionis*; quæ in lege veteri obligabat jure *eodem.* Hoc præceptum confeſſionis ſacramen- 348

mentalis tamen non obligat *ſtatim*, cum quis in peccatum mortale lapſus eſt (quia eſt affirmativum; adeoque non *pro ſemper* obligat, ſed tantum pro determinato tempore) quamquam illud diu non differre conſultiſſimum ſit; præſertim, quia moraliter & regulariter loquendo, nemo conſtitutus in peccato mortali diu evitat *novum* mortale, ut docet S. Greg. *l. 1. homil. 11. in Ezech.* Nihilominus obligat vel maxime in *articulo* mortis, nec non in probabili *ejus* periculo: quia tempus magis congruum non eſt aſſignabile, & ſi tunc non adimpleretur, ſecuta morte amplius impleri *non* poſſet. Ulterius jam

349 Prænot. 3. Præceptum hoc Divinum *confeſſionis* ſacramentalis inſuper *omnes* fideles obligare *quandoque* per decurſum vitæ, ſi conſcientiam peccati *mortalis* habeant: quod præceptum, ut à populo Chriſtiano generalius obſervaretur, Eccleſia optime præcepit, ut fideles *ſingulis* annis ſaltem ſemel confiterentur, ſicque tempus implendi præceptum iſtud *Divinum* determinavit. Interim hoc præcepto *non* obligatur, qui ſibi nullius peccati *mortalis* conſcius eſt: quia Eccleſia non præcipit confeſſionem peccatorum tantum *venialium*, utpote, quæ multis aliis remediis expiari poſſunt, ex cit. Trid. *ſ. 14. c. 5.* Receptiſſima tamen & laudatiſſima praxi ante communionem paſchalem ſolent confiteri *omnes*, tum ad ſcandalum evitandum, tum ut gratiam ſacramenti percipi-

ant

ſant. Habentes peccatum *mortale* itaque oc præceptum obligat in anno *ſemel per ſe* quidem graviter (eoquod ſit in re *gravi*, gravem pœnam annexam habeat ſc. pri-ationem ab ingreſſu Eccleſiæ , & ſepulturæ ccleſtaſticæ) reſpectu temporis *paſchalis* amen tantummodo obligat per accidens, ſc. atione comunionis tunc ſuſcipiendæ. Quare

Prænot. 4. Qui *toto* tempore paſchali vel 350
er totum annum confeſſus eſt *ſola* venialia, poſtea ultimò die anni *mortaliter* delinquit, bligari adhuc confiteri, quia præcepto *annuæ* onfeſſionis nondum ſatisfactum eſt,& adhuc atisfieri poteſt, ſecus , ſi vel ſemel in decur-u illius anni fuiſſet confeſſus *aliquod* mortale. Debet autem confeſſio illa eſſe *valida* (ob ropoſitionem 14. ab Alex. VII. damnatam : *qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfa-cit præcepto Eccleſiæ* : talis enim non recepit *ſacramentum* pœnitentiæ ; quod tamen Eccle-ſia præcipit) & facta ſacerdoti *proprio* , qui quidem *directè* eſt parochus confitentis, cum neceſſaria tamen incluſione ejusdem *paro-chi* Superiorum , ac *ejus* & Superiorum *ejus* delegatorum , quales ſunt *Regulares* etiam in caſu , ubi parochi prohiberent parochianis confiteri Regularibus. P. Spor. *Part. 3. c. 3. ſ. 4. n. 539: Clem. X. §. 5. conſtit.* Ex quo

Prænot. 5. Annuum hoc confeſſionis *ſpa-* 351
cium non eſſe abſolute inchoandum ab *ultima* confeſſione facta ; Lex enim non dicit con-feſſionem non eſſe differendam ultra annum, ſed

ſed ut ſingulis annis fiat ſemel : attendendus eſt ergo computus annuus eccleſiaſticus, aut ab initio anni ad finem, aut (quod conſuetudini ant praxi Eccleſiæ conformius eſt) à paſchate in paſcha, intelligendo per paſcha omnes illos dies, in quibus poteſt impleri præceptum communionis paſchalis. Cæterum is, qui toto anno vel tempore paſchali ſive ex cauſa juſta ſive injuſta non confeſſus eſt tenetur confiteri, quamprimum commode poterit: quia tempus paſchale velut terminus præcepti implendi non eſt poſitus ad finiendam obligationem (ſicut accidit in præcepto jejunii, audiendi Miſſam &c.) ſed ſolum ad *implendam* ſeu ulterius *non* differendã; ſicut fit in debitis tributi, debitis pecuniariis &c. Hæc *præliminariter* de quarto præcepto Eccleſiæ; de quo adhuc aliquid per modum appendicis *là n. 365.* Nunc de quinto præcepto (quod his verbis exprimi ſolet: SS. *Euchariſtiam ad minus ſemel in anno, idque circa paſcha ſumito*) concluſive agendo ſit

352 CONCLUSIO I. Extat præceptum Divinum, obligans omnes fideles adultos ſumendi SS. Euchariſtiam, non tantum in articulo mortis per modum viatici, ſed etiam ante illud, & quidem *ſæpius* in vita. *Ita communis ex illis verbis Chriſti, Jo. 6. Niſi manducaveritis carnem filii, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: cum concordantiis

Probatur: Sacramentum Euchariſtiæ eſt à Chriſto inſtitutum per modum *alimenti* ſpiritualis

rituális ; ergo non minus ac alimentum corporale *ſæpius* ſumendum eſt ad reficiendas vires *animæ.*

353 CONCLUSIO II. Ut huic præcepto Divino generalius & cum *majori* animarum fructu ſatisfiat, Eccleſia pie præcepit, ut fideles omnes ad annos *diſcretionis* venientes SS. illud Euchariſtiæ Sacramentum ſingulis *annis* ad minimum *ſemel* & quidem in *paſchate* reverenter ſumerent ; ſicque tempus implendi præceptum iſtud *determinavit* : quæ ſumptio regulariter debet fieri in *propria* parochia : nec ſufficit ſacrilega. *Ita quoad rem DD. omnes.*

354 Prob. 1. pars : Hoc præceptum communionis paſchalis tulit & determinavit Innoc. III. in concil. Later. & refertur c. *omnis utriusque ſexus 12. de pœnit. & remiſſ.* his verbis. *Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenit, confiteatur &c. ſuſcipiens reverenter ad minus in paſcha Euchariſtiæ ſacramentum &c.* Quod amplius declarando Trid. *ſ. 13. can 9.* ſtatuit : *ſi quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriusque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint teneri ſingulis annis ſaltem in paſchate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Eccleſiæ, anathema ſit :* ergo hoc præcepto obligantur omnes, probaliter quoque ipſe Papa. la Cr. *l. 6. p. 1. n. 625.*

355 Prob. 2. pars : Declaratio S. congreg. apud Galem. *ad Trid. ſ. 13. can. 9.* dicit : ſicut c. *omnis.* vult, quod quis *proprio* parocho *confi-*

confiteatur, ita à proprio etiam Euchariſtiam ſumat: ergo communio paſchalis debet ſumi in propria parochia, non quidem jure ſcripto (nam *cit. c. omnis* nil de hac dicit) ſed uſu & conſuetudine, quam graviter obligatoriam ſatis declararunt tum citata S. Congregatio, tum plerique Epiſcopi, ſevere prohibentes, in die paſchatis *alibi* diſtribui communionem; ac dum permittunt fieri aliis diebus paſchalibus, edicunt mentem ſuam eſſe, quod alibi non ſatisfiat præcepto. Deinde: etiam ſatisfacit, qui *alibi* ex manibus *proprii* parochi, vel cum ejus conſenſu *extra* parochiam communicat; poteſt enim ad hoc dare facultatem (quæ ſufficit, ſi ſit rationabiliter præſumpta; etſi facile non poſſit præſumi. la Cr. *n. 634.*) dumodo certior reddatur de communione peracta. la Cr. *n. 631.*

356 Prob. 3. pars: Eccleſia in citato Concilio generali præcepit, ut fideles in paſchate Euchariſtæ Sacramentum recipiant *reverenter* adeoque præcipit communionem *fructuoſam* quæ nempe ſit cibus & *vita* animæ: atqui hoc non fit per communionem ſacrilegam; ergo Quare Alex. VII. damnavit hanc 55. propoſitionem: *præcepto communionis annuæ ſatisfi per ſacrilegam Domini manducationem.* Ideoque talis peccat non tantum contra præceptum *Divinum*, hoc ſacramentum indigne ſumendo; ſed quoque contra *eccleſiaſticum*, non reverenter ſuſcipiendo communionem paſcha

ſchalem (de quo ſe quoque in confeſſione debet accuſare) quam proinde tenetur *adhuc* digne ſuſcipere.

Objicies 1. cont. 1. part. *Excommunicatus* vel ſimili cenſura innodatus non obligatur præcepto communionis paſchalis : ergo non *omnes* obligantur. a. p. Secus teneretur tollere quamprimum ejus impedimentum : atqui ad hoc non tenetur. m. p. Ex præcepto *Miſſæ* non tenetur tale impedimentum tollere: ergo neque ex præcepto *communionis* paſchalis (: R. n. c. & c. Diſparitas eſt, quod præceptum communionis ſit etiam *Divinum* & majoris momenti, magisque utile ; quod in tali homine etiam communiter prærequirit confeſſionem, tanquam medium illi ad ſalutem neceſſarium :) La Cr. *n. 626.* 357

Ob. 2. urg. *Pueri* etiamſi ad annos diſcretionis perveniant, attamen *non ſtatim* tenentur ſumere communionem paſchalem; ergo prima pars nondum eſt univerſaliter vera. a. p. Tales pueri non ſtatim tenentur *confiteri*: ergo nec ſumere *communionem* paſchalem (: n. c. Quia Eccleſia confeſſionem annuam tantum præcipit *mortaliter* peccantibus : communionem paſchalem autem omnibus ad annos *diſcretionis* pervenientibus. Cæterum quamvis teſte P. la Cr. *n. 46.* uſus habeat, ut pueri non communicent ante annum *decimum* vel undecimum, attamen ut poſſint communicare non requiritur certa ætas, ſed ſufficit illa , cui conjuncta eſt capacitas *diſcernendi* 358

hunc

hunc cibum ſpiritualem à corporali : unde qui judicatur capax *abſolutionis* ſacramentalis abſolute accipiendæ, potius eſt capax communionis, cum ad *hanc* minus requiratur. Habet autem ſacerdos proprius (qualis eſt non tantum parochus, ſed etiam *confeſſarius*) poteſtatem *differendi* communionem paſchalem, ex cit. *c. omnis utriusque.* ut refert & ſuffert P. la Cr. *n. 650.* :)

359 Ob. 3. cont. 2. part. Sæculares huic præcepto ſatisfaciunt communicando in Eccleſiis *Regularium*: ergo non requiritur *propria* parochia. a. p. Ibi ſatisfaciunt *confitendo* : ergo quoque communicando (: n. c. Quia aliud eſt de communione ex dictis *n. 355.* Interim ſi quis *absque* contemptu & ſcandalo communicet *uno* vel altero paſchate *extra* parochiam ſine licentia parochi, Tamburinus *n. 50.* putat non fore mortale ; cum impleatur ſubſtantia præcepti, & hoc facere videatur parvitas materiæ. Hoc certius eſt, quod huic præcepto ſatisfaciant *peregrini* & vagi *ubique* communicando, & *ſacerdotes* ubicunque *celebrando*: ſtudioſi autem in loco ſtudiorum communicando conſuetudine, ut ait P. Gobat *tr. 7. n. 77.* fere ubique id obtinente. Addit citatus Author *n. 78.* licitum eſſe Regularibus etiam in die paſchæ communionem dare ſæcularibus, ſi *alio* die in parochia communicaverint, vel præſumantur communicaturi : quia declaratio contraria apud nos non eſt recepta. *Vid.* P. la Croix

n. 637

n. 637. qui quoad hoc ultimum in contrarium propendet :)

Ob. 4. cont. 3. part. Si quis in *ſua* parochia communicavit ſacrilege, non obligatur iterum communicare in ſua parochia: ergo ſignum eſt, quod ſatisfecerit (: n. c. Quippe præceptum hoc videtur diviſibile, communicandi *recte* pro bono animæ, & communicandi in *parochia* ad recognoſcendum Paſtorem, hæc autem pars eſt impleta:) *Vid.* La Cr. *n. 630.* Ex hactenus dictis 360

Deduces 1. Ad utrumque dictum præceptum pueros non teneri, niſi poſtquam ad annos *diſcretionis* pervenerint: & quidem ad præceptum *confeſſionis* annuæ inſuper non tenentur, niſi peccaverint *mortaliter.* Ratio hujus jam eſt data: quia nempe nullum eſt præceptum, ne quidem eccleſiaſticum, confitendi *ſola* venialia. Interim quia de primo eorum peccato gravi non conſtat, expedit eos tempeſtive de neceſſariis ad confeſſionem requiſitis inſtruere; atque poſt adeptos annos diſcretionis ad confeſſionem mittere, ut eidem paulatim aſſueſcant. Num autem *abſolutionis* capaces ſint, aut potius cum cruce dimittendi? confeſſarius dijudicare debebit *non* ex ſola ætate, ſed potius ex ingenii & educationis qualitate. Abſolvendi præter cætera præcipue ad dolorem *ſupernaturalem* diſponendi ſunt: qui ex dicendis in Part. 4. *n. 188.* præſupponit actū fidei, & ſpei; de quibus multi pauca audierunt, aut ſi audierunt, parū 361

intellexerunt. Quod ſi omnibus conſideratis adhuc *dubium* remaneat de pueri *capacitate*, tunc abſolutio dari *poterit* ſub conditione: imo in articulo mortis talis ſic abſolvi *debebit*. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 10. d. 3. n. 24.*

362 Deduces 2. Pueris moribundis dandum eſſe *Viaticum*, quamvis antehac nunquam communicarint, & vix ſeptimum vel octavum annum ſint egreſſi, dummodo inſtrui poſſint; quia ſunt capaces talis Sacramenti, & ſæpe indigent effectu illius. In dubio, an puer habeat uſum rationis, *poteſt* dari viaticum (quia certo proderit) non tamen eſt *obligatio*; nam in dubio poſſeſſio eſt pro libertate contra legem La Cr. *n. 647. 648.* Surdo & muto ſimul à nativitate poteſt porrigi Euchariſtia non tantum in articulo mortis, ſed etiam alias, præſertim tempore paſchali, dummodo aliunde non appareat indiſpoſitus: etenim hujuſmodi homines ſunt quandoque valde perſpicacis & acuti ingenii, ut multa explicatu difficilia ex ſignis & nutibus facile percipiant, & viciſſim manifeſtent. Idem, imo longe plus eſt de energumenis, epilepticis; & aliis infirmis, ſi tamen SS. Euchariſtiam abſque irreverentia ſumere poſſint. Reiffenſt. *n. 45. 46.*

363 Deduces 3. Ad recipiendam digne Euchariſtiam extra mortis articulum, requiri quidem jejunium naturale, de quo in ſequenti *Part. 4. à n. 364.* At in dicto articulo, aut etiam probabili periculo porrigi poſſe ac debere

bere quoque *non-jejuno*, conſtat ex praxi & conſuetudine Eccleſiæ: nec *ſcrupuloſe* jejunium ſequentis diei exſpectandum eſt: præſertim ſi ægroto grave accidat absque medicina, vel confortativo ſuſtinere jejunium à media nocte usque mane: aut ſi parochus *nunc* præſens, adeo facile redire haud poſſet. Adduntque DD. perſeverante etiam *eodem* periculo, S. Viaticum poſſe quoque ſæpius ſuſcipi quia moribundus *valde* indiget hoc alimento animæ, ad vincendas tentationes, tunc temporis magis occurrentes. Num moribundus, qui mane ſanus communicaverat, debeat, vel poſſit eodem adhuc die SS. Euchariſtiam per modum viatici ſumere? eſt utrinque probabile.

Deduces 4. Similiter SS. Euchariſtiam ſu- 364
mere poſſe, qui patitur vomitum, *ſubinde* tantum: qui vomitus, ſi poſtea nihilominus ſtatim contingat, & nullæ ſpecies amplius compareant, comburatur, & quoad cineres in ſaccarium mittatur, conformiter Rubricis *de defect. Miſſ. t. 10. n. 14.* Quod ſi ſpecies aliquæ adhuc appareant, ſegregatæ purgentur, & in *tabernaculo* ſeponantur, aut etiam *ibi* aquæ immittantur, donec diſſolvantur, ac conſumantur; illa aqua autem poſtmodum piſcinæ infundatur. In *dubio*, eſt probabile adhuc dari poſſe quoad partem *minimam*, etiam in juſculo, ideoque in ſtomacho brevi conſumendam. Multo magis dari poteſt patienti *tuſſim* continuam; quia

ſputa ejiciuntur per *aliam* viam, quam, per quam ſpecies in ſtomachum trajiciuntur. La Cr. *l. 6. p. 1. n. 652.* P. Reiffenſt. *à n. 36.* cum in ſequentibus additionibus

365 Deduces 5. Communionem paſchalem ob rationabilem cauſam quandoque *differri* poſſe, ſi accedat conſilium *proprii* ſacerdotis. Patet hoc ex toties jam citato *c. omnis utriusque ſexus.* Per *proprium ſacerdotem* autem, juxta jam dicta *n. 350.* intelligitur non ſolum proprius parochus, ut ejus Superior, ſed etiam confeſſarius, qui *eo* tempore confeſſionem pœnitentis excipere *poteſt*: cenſetur enim ad hoc à propriis animarum paſtoribus eo delegatus quod poteſtatem acceperit confeſſiones excipiendi. His conformiter prævidens, ſibi futurum impedimentum communicandi tempore paſchali, non tenetur prævenire, ſed de licentia proprii ſacerdotis communionem potius *differre* debet ultrà tempus paſchale, juxta citatum Concilium Lateranenſe: niſi forſan prævideatur impedimentum duraturum per totum annum; tunc enim oportebit prævenire, ut optime reſolvit P. Reiffenſt. *n. 49.* Nunc pro coronide hujus materiæ circa communem *frequentem* & *quotidianam*

366 Deduces ult. Communionem *quotidianam* non eſſe præceptam ullo jure Divino aut eccleſiaſtico: quia juxta *c. omnis utriusque ſexus.* de facto ſufficit communicare ſaltem in paſchate. Dum autem in *c. peracta. de conſecr. d. 2.*

d. 2. dicitur; *peracta conſecratione omnes communicent*: id intelligendum eſt de ſacerdotibus, qui *conſecrant.* Quoad cæteros non eſſe obligationem, clare conſtat ex Trident. *ſ. 22. c. 6.* ubi non præcipit, ſed *optat* tantum, ut fideles Miſſæ adſtantes ſimul communicarent. Adeoque *frequens*, quin & *quotidiana* communio per ſe loquendo utiliſſima eſt, & à SS. PP. commendata: Nihilominus quia laici ſæculares, præſertim *negotiatores* & *conjugati*, communius videntur minus diſpoſiti, ideo quoties hi ad S. communionem admittendi ſint, relinquitur confeſſariorum judicio, quod ex *illorum* conſcientiarum puritate, frequentiæ fructu, vel ad pietatem proceſſu formare poterunt. Itaque 367
non debent fideles à *frequenti* aut quotidiana communione *deterrere*, vel accedentes *repellere*, ſed operam dare, ut unusquisque *digne* pro devotionis ac præparationis modo rarius aut *crebrius* Dominici corporis ſuavitatem deguſtet &c. Ita fere in terminis Decretum S. Congreg. datum 12. Feb. 1679. & approbatum ab Innoc. X. De quo plura P. Reiffenſt. *tr. 10. d. 3. q. 5. à n. 50.* P. la Cr. *l. 6. p. 1. à n. 664.* reſolvens, quod communio valde *frequens* omnibus adultis *abſolute* conveniat. Nec obſtat hæc propoſitio ordine 56. ab Innoc. XI. damnata: *frequens confeſſio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.* Nam hæc loquitur non de *digne* ſed ſacrilege id facientibus; ſecus enim

 non

non viverent gentiliter. *Vid.* P. Reiffenſt *n. 56.* Carden. *in 2. criſ. d. 35. n. 3.* Sbogar *tr. 135. c. un.*

DISPUTATIO II.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, JURE PATRONATUS, ET DECIMIS.

CUm materiæ hæ reſiduæ hujus tractatu ut & omnes tractatus ſequentis) ſin præcepta *particularia*, ſeu ordinationes eccleſiaſticæ ad particulares hominum *ſtatus* pertinentes, ideo eas merito ſubnectimus prioribus, ubi de præceptis Eccleſia *univerſalibus*. Nec obſtat, quod materi hæc ſit fere undequaque Canonica; nam & hæc eſt Theologo Morali ſumme neceſſaria Ne autem nimium excreſceret, ſelegimus e duntaxat, quæ ad praxin magis conducenti invenimus. Itaque materias in titulo poſita per duas Quæſtiones expediemus.

QUÆSTIO I.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

RIGGS LIBRARY I H S GEORGETOWN COLLEGE

ARTI-

ARTICULUS I.

Quinam poſſint libere conferre Beneficia? & quibus;

PRænotandum 1. *Beneficium* Eccleſiaſticum ex communi DD. definiri, quod ſit *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale perſonæ eccleſiaſticæ authoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Dicitur *jus perpetuum*: quia de natura Beneficii eccleſiaſtici eſt, ut daret *perpetuo*, & conferatur ad dies vitæ. *arg. c. ſanctorum. d. 70.* Additur, *perſonæ eccleſiaſticæ*; nam *laici* ſpiritualia poſſidere non poſſunt. *c. cauſam. de præſcript.* Subjungitur, *authoritate eccleſiaſtica conſtitutum*: quia Beneficia eccleſiaſtica non poſſunt erigi niſi authoritate Eccleſiæ. Cæterum ex dicta definitione habetur, in Beneficio eccleſiaſtico tria diſtinguenda eſſe. 1. *Officium* ſpirituale, nempe obligatio recitandi horas canonicas, deſerviendi alicui Eccleſiæ &c. quod eſt fundamentum & cauſa Beneficii eccleſiaſtici, nam *propter* officium datur Beneficium. *c. ult. de reſcript. in 6.* eſtque omnino ſpirituale. 2. *Jus* percipiendi *fructus* ex bonis eccleſiaſticis; & hoc proprie dicitur Beneficium; quod jus iterum *ſpirituale* eſt, quia oritur ex ſpirituali officio, cui etiam *annectitur.* 3. Fructus; qui quid mere *temporale* ſunt; ideoque licite venduntur, non minus ac decimæ. 368

369 Prænot. 2. Beneficia eccleſiaſtica, alia eſſe *majora*, ut Papatus, Epiſcopatus &c. quibus addunt Abbatiam; nam Abbates in ſuos quaſi Epiſcopalem jurisdictionem obtinent. *c. Abbates de priv. in 6.* Hæcque communi nomine *Beneficii* non ſolent comprehendi, cum ſint *culmina dignitatum*, *c. venerabilis, de preb.* Alia *minora*, ut ſunt cætera prædictis inferiora. Deinde Beneficia alia ſunt *Regularia* (quæ ſolis Regularibus competunt, aut pro ipſis inſtituta ſunt) alia *ſæcularia*, quæ pro clericis inſtituta ſunt: interim tamen de conſenſu ſuperiorum quoque à Regularibus provideri queunt. Rurſum alia ſunt *curata* (quæ curam animarum annexam habent) alia *non-curata*, quibus ejusmodi cura annexa non eſt.

370 Prænot. 3. Inſuper Beneficia juxta triplicem *modum*, quo communiter *conferri* ſolent, dividi in *electiva* (quæ conferuntur per electionem) in *patronata*) quæ per præſentationem) & in *collativa*, quæ per liberam collationem conferuntur. Ulterius dividuntur in *patrimonialia*, quæ ex inſtitutione fundatoris non poſſunt conferri niſi Clericis ex *tali* patria loco vel parochia oriundis: & in *non*-patrimonialia, quæ *cuilibet* conferri poſſunt. Item Beneficia aliqua dicuntur *manualia* (quæ ad nutum conferentis revocari queant) aliqua *non*-manualia, quæ ſemel collata amplius adimi non valent, niſi certis de cauſis in Jure expreſſis. Denique Beneficia aliqua

ſub-

ſubinde habent annexam *dignitatem*, quæ eſt præcedentia cum jurisdictione: ſubinde *perſonatum*, qui eſt præcedentia *ſine* jurisdictione: ſubinde *officium*, quod eſt adminiſtratio rerum eccleſiaſticarum *ſine* præcedentia, & jurisdictione. Nunc juxta jam inſinuata

Prænot. 4. Beneficia eccleſiaſtica tribus potiſſimum modis conferri. 1. Per electionem, à majore & ſaniore parte capituli factam, & à Superiore confirmatam. *c. quia propter, & c. in geneſi. de elect.* Cenſetur autem *major* pars illa, ubi major eſt *numerus* eligentium reſpectu totius capituli, ſeu ubi eſt exceſſus ultra medietatem, quæ in dubio præſumitur etiam ſanior. 2. Per *præſentationem*; dum nempe præſentatus inſtituitur ſeu confirmatur verbis vel litteris per ordinarium, & ſic titulum Beneficii accipit; poſt cujus acceptionem tamen adhuc debet inſtitui corporaliter, ſeu inveſtiri, ut vocant, inſtallari, ac immitti in actualem poſſeſſionem, ſaltem ubi eſt conſuetudo, & hodie communiter fit per commiſſarios, Decanos rurales, aut alios. Utraque hæc *inſtitutio*, nempe tam verbalis (per quam acquiritur jus *ad rem*) quam corporalis, ſeu realis (per quam acquiritur jus *in re*) vocatur neceſſaria: quia legitime præſentato debetur. 3. Per liberam *collationem*, quando Beneficium ſolo jure Prælati, absque prævia capituli electione, vel præſentatione confertur: & alio nomine 371

quoque dicitur *proviſio.* De qua conformiter titulo ſit

372 CONCLUSIO I. Papa de jure communi habet poteſtatem conferendi *omnia* Beneficia eccleſiaſtica totius mundi: conferre autem ſolet jure *præventionis*, jure *concurſus*, & juve *devolutionis.* Ita Canoniſtæ communiter *l. 3. t. 5. de præb.*

373 Prob. 1. Papa eſt Ordinarius *Ordinariorum*, & univerſali jurisdictione potitur: ergo poteſt conferre omnia prorſus Beneficia *totius* mundi, prout conſtat ex *c. licet. de præb. in 6. & c. ſi Papa de privil. in 6. &c.*

374 Prob. 2. pars; Papa inprimis cuipiam ſubinde confert gratiam *exſpectativam* ad Beneficium vacaturum. *arg. c. dudum. & c. licet de præb. in 6.* & ſic utitur jure *præventionis.* Deinde Papa cum *quolibet* Ordinario collatore *concurrit* in poteſtate & jurisdictione: imo ſemper majorem ſibi reſervavit. *cit. c. dudum de præb. in 6.* ergo vi *hujus* concurſus æque poteſt conferre Beneficia. Denique ſi *inferiores* collatores negligentes ſint, & Eccleſiæ cathedrales & regulares ultra *trimeſtre*, alia Beneficia autem ultra *ſemeſtre*, vacare ſinant, tunc jus *devolvitur* ad proximum Superiorem, & eo etiam negligente, gradatim ad Papam: ergo tunc confert vi *devolutionis.*

375 CONCLUSIO II. Poſt Papam Ordinarius collator Beneficiorum in ſua Diœceſi eſt Epiſcopus, *Iterum communis.*

Pro-

Probatur: Ex Jure Canonico *c. nullus omnino. 16. q. 7.* & *c. cum ex injuncto. de hær.* ubi dicitur: *Ad officium Epiſcopi tum inſtitutio quam deſtitutio ſacerdotum noſcitur pertinere*: ergo. Unde ſi inferiores Epiſcopo, prætendunt jus conferendi (de jure præſentandi vel confe-rendi præſentationem non eſt dubium (*Beneficia*, id debent probare; quia de *jure communi* Epiſcopi præſumptionem habent pro ſe.

CONCLUSIO III. Electores, patroni, & collatores Beneficiorum, præſertim curatorum, quantum in ipſis eſt, tenentur in in conſcientia ad præferendum inter dignos *digniores*, ſeu quos magis Eccleſiæ utiles ipſi judicaverint. *Ita defacto communiſſima & certa ſententia ex S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. & q. 185. a. 5. & Jur. Can. c. metropolitano d. 64. cum concordantiis.* 376

Probatur: Beneficia præſertim curata, ſunt inſtituta pro *favore* Eccleſiæ & *animarum*, quibus quantum fieri poteſt, conſulendum eſt: atqui hoc non fieret, ſi inter dignos non præferretur *dignior*; ergo. Doctrina oppoſita, ſaltem quoad Beneficia *curata*, jam *non* amplius eſt tuta; quia Innoc. XI. hanc propoſitionem 47. damnavit: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi, quos digniores & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc DIGNIORES non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſi-* 377

poſitivo; vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat INDIGNOS, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit CONCURSUS. Hactenus propoſitio damnata.

378 Objicies 1. cont. 1. concl. Papa nunquam utitur jure *præventionis*, & jure *concurſus* ſaltem in Germania: ergo ſaltem in hoc non habet jus adeo illimitatum (: R. n. c. & c. Etenim id facit, ne inferiores collatores, quibus vel ex *privilegio* vel ex *concordantiis* competit jus conferendi, occaſionem ſumant conquerendi; vel ne diſſidia, vel alia incommoda oriantur :) P. Pichler *l. 1. t. 5. n. 17.* P. Reiffenſt. *in Jur. Can. l. 3. t. 6. §. 18.*

379 Ob. 2. cont. 2. concl. Concilium Trident. *ſ. 24. de ref. c. 18.* decernit, parochias non arbitrio Epiſcopi, ſed per concurſum, in quo ad parochiam aſpirantes convocantur, & examinantur, eſſe conferendas; ergo Epiſcopus non eſt collator ordinarius, ſaltem quoad parochias (: n. c. Quia Epiſcopus etiam *poſt* factum concurſum & judicium Examinantium adhuc poteſt parochiam conferre illi, quem cæteris *magis* idoneum judicaverit :) P. Reiffenſt. Theol. Moral. *tr. 11. d. 1. q. 4. n. 39.*

380 Ob. 3. In Diœceſibus Germaniæ quoque collator eſt *Imperator*; ergo non ſolus Epiſcopus. a. p. Imperator per *primas preces* cuilibet Eccleſiæ Germaniæ poteſt ſemel præficere perſonam idoneam (: illam *nominando* tantum, & quidem uni collatori, habenti ad

ad minus *quatuor* Beneficia, ſemel tantum c. ſecus n. Ab his precibus autem excipiuntur dignitates *pontificales*, & primæ poſt illas, ut *præpoſituræ*, *decanatus*: item *Prælaturæ*, primæque dignitates in Monaſteriis & Eccleſiis collegiatis; uti & Beneficia pertinentia ad jus patronatus *laicorum*:) ergo.

Ob. 4. urg. Imperator: Reges, & alii 381 principes ſæculares in ditionibus paſſim *contulerunt* præpoſituras, canonicatus, imo & Epiſcopatus (: id eſt habent jus *nominandi* & quodammodo *præſentandi* clericos ad Beneficia vacantia c. ita ut *ipſi conferant* jus officio ſpirituali annexum n. Nam *laicis* poteſtas conferendi Beneficia competere non poteſt; quia Beneficia ſunt *jus* officio ſpirituali *annexum*, conſequenter eorum *collatio* requirit poteſtatem *ſpiritualem*, ſicut *conſecutio* Ordinem ſpiritualem: cum igitur laici omni Ordine clericali deſtituti (ſecluſo privilegio Papali) ne quidem capaces ſint juris & poteſtatis ſpiritualis. *c. 2. & 3. de jud.* nec *conferre*, nec *adipiſci* Beneficia poſſunt:) ergo ſunt collatores. P. Pichler *l. 3. t. 5. n. 25.*

Ob. 5. cont. 3. concl. Ex recepta paſſim 382 conſuetudine & praxi conſtat, quod Prælati Beneficia *non-curata* ſine ſcrupulo conferant dignis etiam *dignioribus* prætermiſſis: ergo & ita conferre poterunt *curata* (: n. c. Quia circa *hæc* eſt prohibitio, non item circa non-curata; eoquod in his Eccleſia plerumque non magnum detrimentum patiatur; ſiquidem *minus* digni recitationi *Breviarii* æque pol-

poſſunt ſatisfacere, ac digniores:) Reiffenſt. *num.* 47.

Ob. 6. Inſt. In Beneficiis *patrimonialibus* non attenditur *dignior*; item patronus *laicus* quoque non tenetur præſentare digniorem, etſi Beneficium conferendum ſit curatum: ergo non ad *omne* Beneficium curatum ſumendus eſt *dignior* (: ſi Beneficium illud ſit *patrimoniale* vel patronatum *laicale* c. ſecus n. Nam in his eſt *ſpecialis* favor & *privilegium* ratione fundationis certæ familiæ aut patrono conceſſum; dummodo Beneficiandus cæteroquin dignus & idoneus ſit :) *Vid.* P. Schmalzgr. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 191.

384 Quæres 1. Quinam cenſeatur *dignus* reſpectu Beneficii eccleſiaſtici? & quinam *dignior*? ℟. *Dignus* dicitur omnis ille, qui habet *ſufficientiam*, omnesque qualitates jure requiſitas ad ejus miniſterium. *Dignior* vero, qui comparatione *aliorum* cenſetur habere *majorem* ſufficientiam & aptitudinem ad adminiſtrandum: ſeu, qui conſideratis *omnibus* dotibus corporis & animi, ipſaque aptitudine ad regendum, creditur futuris Eccleſiæ *utilior*. Unde hæc major ſufficientia dignitasque non præciſe menſuranda eſt ex majori *doctrina*, vel majori *probitate*, vel majori *nobilitate*, ſed ex dicta majori *utilitate*. Nam *major* iſthæc dignitas deſumenda eſt per comparationem ad bonum *commune*: contingit autem quandoque, quod ille, qui eſt minus ſanctus, & minus ſciens, poſſit *magis* conferre

ferre ad *bonum* commune, propter potentiam vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid hujusmodi, uti notat S. Th. *cit. q. 63. a. 2. Vid.* P. Pichler *l. 1. t. 6. n. 16.* P. la Cr. *l. 4. n. 598. &c.*

Quæres 2. Quænam requirantur, ut quis 385
ſit dignus ſive idoneus ad Beneficium eccleſiaſticum? ℞. Sequentia: nempe torus *legitimus*, ſtatus *clericalis* (adeoque ſaltem prima tonſura) *ætas* conveniens (quæ pro quocunque Beneficio ſunt ad minimum 14. anni: pro dignitate vel perſonatu non-curato 22. pro Beneficio curato 25. pro Epiſcopatu 30.) *cælibatus* (niſi forſan quis conſentiente conjuge caſtitatem perpetuam voverit, nec bigamus ſit. *c. ſine 2. de cler. conjug.*) abſentia *cenſuræ* atque irregularitatis; *probitas* morum; *ſcientia* debita; *habilitas* corporis (qua nempe decenter officium ſuum præſtare valeat) *intentio* ſtatus clericalis (& non tantum ſtudia ſua proſequendi) & carentia *alterius* Beneficii incompatibilis. De quo poſtea à *n. 388.* Itaque collatio Beneficii eccleſiaſtici facta *indigno* ſeu deſtituto aliqua ex qualitatibus à jure ad miniſterium Beneficiale requiſitis, nulla eſt irrita; ut conſtat ex *c. 7. c. 22. de elect.* & ex *Trid. ſ. 22. c. 4. de reform. &c.* Attamen facta *digne* præ digniore valet: quia Eccleſia talem *nullibi* i[illegible]tat ad bonum pacis communis. Nec obſtat, quod prohibeat, quippe multa fieri prohibentur, quæ ſi facta ſunt, obtinent roboris firmitatem. *c. ad Apoſt. de Regul.*

Quæ-

386 Quæres 3. Quæ ſint obligationes Beneficiatorum? Has eſſe varias pro varietate Beneficiorum & fundationum. Una *principalis* omnium (etiam necdum in ſacris Ordinibus conſtitutorum) eſt, recitatio quotidiana Breviarii c. dolentes. *de cel. Miſſ. c. ult. de reſcript. in 6. &c.* Altera eſt *reſidentia* perſonalis, ad quam tenentur non tantum curati (quia paſtoris eſt aſſiſtere gregi ſuo Trid. *ſ. 23. de reform. c. 1.*) ſed quoque non-curati omnes. *c. 1. & ſeqq. de cler. non reſid.* Nam in collatione Beneficii ſemper electa eſt *induſtria* & opera *perſonæ*; ergo Beneficiatus quilibet debet deſervire per *ſeipſum*; quamquam ex conſuetudine jam ſubſtitutum habere queat

387 Beneficiatus ſimplex. Interim tamen quoque alii à loco Beneficii abeſſe poſſunt ex juſta cauſa. Sic 1. Epiſcopus extra tempus adventus, quadrageſimæ, & ſolemniora feſta poteſt abeſſe ab Eccleſia ſua per duos, vel tres menſes ſive continue, ſive interruptim, ſine alia Superioris approbatione, etiam cauſa duntaxat relaxandi animum. *Trid. ſ. 23. de ref. c. 1.* 2. Canonici Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum per vices, quolibet anno poſſunt abeſſe quoque per tres menſes, ex eod. Trid. *ſ. 24. c. 12. de reform.* 3. Parochi (qui vel maxime reſidere tenentur) poſſunt quidem abeſſe ad breve tempus: at ſemper cum licentia Epiſcopi & conſtituto vicario idoneo: conſuetudo tamen paſſim habet, ut parochi ad modicum tempus, v. g.

per

per aliquod dies diſcedant ſine licentia Epiſcopi & etiam ſine ſubſtitutione vicarii, ſi nullum morale periculum animarum appareat, utut expediat, parocho vicino curam ovium in omnem eventum committere. P. Pichler *l.3.t.4. n.4.* Modum, qualiter Beneficiato *obligato* dimittere Beneficium ob ſimoniam in ejus receptione commiſſam practice ſuccurri queat, exacte docet P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *t.11. d.1. q.5. ſub num. 80.*

ARTICULUS II.

Quomodo licitum ſit plura Beneficia habere, illa reſignare, & permutare?

PRænot. 1. Poſt diſcuſſionem materiæ præcedentis, nunc agendum eſſe de *incompatibilitate*, renuntiatione, & *permutatione* Beneficiorum. Itaque quoad incompatibilitatem advertendum, aliqua Beneficia dici *compatibilia*, alia *incompatibilia.* Priora ſunt, quæ vel ex jure communi, vel ex conſuetudine, ſtatuto, aut fundatione ſimul obtineri, & retineri poſſunt: talia cenſentur Beneficia *ſimplicia*, non requirentia reſidentiam *perſonalem*, item illa, quæ in *diverſis* Eccleſiis ſunt, & nullam, vel ſaltem *non* incompatibilem reſidentiam exigunt; imo & illa, quæ quidem in *eadem* Eccleſia ſed *dif-* 388

formia ſunt, ita ut utrique ſimul ſatisfieri poſſit, ut præpoſitura, & cuſtodia &c. *Incompatibilia* ſunt, quæ vel jure naturali, vel jure communi eccleſiaſtico, aut ex conſuetudine, ſtatuto, ſeu fundatione continuam reſidentiam perſonalem poſtulant, ut ſunt duo *Epiſcopatus*, duæ *Abbatiæ*, duæ *parochiæ* &c. Item duo Beneficia *uniformia* ſub eodem tecto; quæ nempe in *eadem* Eccleſia ad eumdem *finem* inſtituta ſunt & idem officium eodem tempore perſolvendum requirunt, ut ſunt duo *Canonicatus* in eadem Eccleſia: *non* item duæ *capellaniæ* etiam ejusdem Eccleſiæ, ſi habeant *diſtincta* onera diſtinctis diebus in diverſis altaribus peragenda; tales capellaniæ enim reipſa non ſunt Beneficia uniformia ſed *difformia*. Jam

389 Prænot. 2. Quandocunque vel alterum Beneficium *ſufficit* ad honeſtum clerici ſuſtentationem vel ipſa Beneficia de ſe ſunt *incompatibilia*, illicitum eſſe *plura* ſimul retinere, ut expreſſe ſtatuitur in *c. adhæc de præb.* Interim tamen, quia habere plura Beneficia non eſt *intrinſece* malum, ſicut *mentiri*, *blasphemare* &c. quoad pluralitatem Beneficiorum S. Pontifex *diſpenſare* poteſt & ſolet ex triplici præcipue cauſa. 1. Ob *neceſſitatem* Eccleſiæ, quando deſunt alii clerici. 2. Ob *utilitatem* Eccleſiæ, quando *unus* ſolus cenſetur ſua authoritate, potentia &c. *magis* profuturus, quam plures alii. 3. Ob evidentem meritorum *prærogativam. c. de mult. §. fin. de præb.* Qui

citra

citra diſpenſationem hanc defacto plura Beneficia incompatibilia ſimul recipere, & retinere præſumpſerit, per receptionem ſecundi mox priori Beneficio (quoad titulum ſeu *us* retinendi, non quoad poſſeſſionem, niſi poſt ſententiam judicis) eſt ipſo jure privatus: & is, ad quem ſpectat prioris collatio, libere illud confert alteri ſtatim, dum inſtitutus actu recipit *ſecundum* : ita habentur in *c. cit. de multa. extrav. execrabilis.* Trid. *ſ. 7. de ref. c. 4.* Inſuper, ſi quis prius Beneficium una cum ſecundo forte retinere *contenderit*, etiam ſecundo privatus exiſtit *cit. c. de multa.* Trid. *ſ. 7. c. 4.* E quibus omnibus

Prænot. 3. Plura Beneficia ſimul habere licitum eſſe imprimis per *diſpenſationem* Pontificiam, deinde etiam ſine hac, quoties ipſa Beneficia *non* ſunt *incompatibilia*, & ad honeſtam ſuſtentationem *inſufficientia*: item ſi Eccleſia cathedralis vel parochialis non ſufficiat *congruæ* ſuſtentationi Rectoris ſui, poteſt ſimul cum ea uniri vel obtineri Beneficium ſimplex, non requirens reſidentiam. Trid. *ſ. 24. de ret. c. 15. & 17.* Inſuper ob eamdem Eccleſiarum *paupertatem* poſſunt Epiſcopi facere *uniones* Beneficiorum perpetuas, & iſta poſtmodum ſimul ab eodem poſſideri, prout conceſſum idem Trid. *ſ. 24. de ref. c. 15.* Denique ob præfatam *cauſam* quandoque dignitati vel *canonicatui* acceſſorie annexa eſt Eccleſia *parochialis*, quæ per idoneum vicarium adminiſtrari ac ſimul cum canonicatu retineri

poteſt, ut oſtendit praxis, & clarus textus in *c. extirpandæ §. qui vero, de præb.* Hæc quoad *pluralitatem* Beneficiorum: modo etiam de horum *renuntiatione*, eſt

391 Prænot. 4. *Renuntiationem* eſſe ſpontaneam Beneficii *dimiſſionem*, factam coram legitimo Superiore, illam acceptante; ſiquidem Beneficia eccleſiaſtica non niſi in *manus Ordinarii* reſignari debeant. c. *ſi quis vero.* & c. *ſi quis presbyter. 7. q. 1.* Secus reſignatio eſt invalida; non enim quis poteſt renuntiare juri ſuo, ubi agitur de *præjudicio* alterius. Poteſt autem fieri vel *tacite*, ut dum Beneficiatus, in Minoribus conſtitutus, contrahit matrimonium: vel *expreſſe*, idque aut abſolute, aut conditionate, nempe adjectione certæ *conditionis*, pacti, & modi, ut ſi fiat renuntiatio Beneficii ex cauſa permutationis, vel in favorem tertii ſeu ſub clauſula *non aliter*; vel cum reſervatione fructuum vel *penſionis* ex Beneficio: de quibus duobus ultimis in ſequentibus duabus concluſionibus;
392 de primo autem in corollariis. Cæterum ad renuntiationem ſeu reſignationem Beneficii requiritur *juſta* cauſa: ſecus enim Eccleſiæ maximum paterentur detrimentum. Tales reſpectu Epiſcopi volentis reſignare ſunt ſex. 1. Conſcientia *criminis*, quod nempe impedit executionem officii. 2. *Imbecillitas* corporis. 3. Defectus *ſcientiæ*. 4. Malitia *plebis*. 5. Grave *ſcandalum*. 6. *Irregularitas* perſonæ. Reſpectu Beneficiatorum inferiorum

rum ſufficiunt quoque prædictæ, & aliæ inſuper leviores quas enumerat P. Reiffenſtuel *tr. 11. d. 2. q. 3. n. 36.*

CONCLUSIO I. Reſignatio Beneficii in favorem *tertii* ſeu cum clauſula, *non aliter*, debet fieri in manus ipſius S. Pontificis: ſi quis tamen *ſimpliciter* reſignet, & per modum recommendationis potius quam rigoroſæ obligationis certam aliquam perſonam nominet, adhuc poteſt fieri in manus Epiſcopi. *Ita cit.* P. Reiffenſt. P. Pichler *l. 1. t. 9. n. 5. cum ibi citatis.* 393

Prob. 1. pars: Secundum jus commune non poteſt aliquod Beneficium *de novo* conferri, niſi prius vacet, juxta *c. un. de rer. permut. in 6.* & *clem. un. eod.* atqui Beneficium reſignatum in favorem tertii, non poteſt vacare, niſi perſonæ deſignatæ conferatur; quia non prius impletur conditio; ergo non poteſt fieri niſi in manus *illius*, qui eſt *ſupra jus* commune, qualis eſt ſolus Papa. Præſertim: quia præſefert ſpeciem quamdam *ſucceſſionis* hæreditariæ; imo & ſimoniæ ſaltem eccleſiaſticæ; ergo. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 1. t. 9. num. 23.* 394

Prob. 2. pars: Illa reſignatio, etſi fiat cum *recommendatione* dicta, adhuc eſt abſoluta adeoque ordinaria; nec parit obligationem in Epiſcopo Beneficium reſignatum conferendi illi *recommendato*; ergo poteſt adhuc fieri in manus Epiſcopi. 395

396 CONCLUSIO II. Similiter reſignatio Beneficii cum *reſervatione* annuæ *penſionis* vel fructuum *regulariter* non poteſt licite fieri in manus ſolius S. Pontificis. *Ita iterum Canoniſtæ communiter.*

Probatur: Beneficia eccleſiaſtica ſunt conferenda *ſine* diminutione. *c. un. ut Benef. ſin. dim. conf.* & ſine diviſione. *c. majoribus 8. de præb.* atqui quando fit reſignatio cum *reſervatione* annuæ penſionis, illud Beneficium *diminuitur*, & *dividitur*: ergo talis reſignatio non poteſt fieri ſine conſenſu S. Pontificis.

397 Objicies 1. cont. 1. concl. In reſignatione Beneficii *nominatio* & recommendatio facta plerumque habet effectum (: R. d. a. ita ut Beneficium conferatur recommendato ex *obligatione* n. ex *merito* & idoneitate ipſius *perſonæ* c. Nam ſola *precum* interpoſitio utique nullum *jus* tribuit:) ergo non eſt licita.

398 Ob. 2. cont. 2. concl. Etiam Epiſcopus poteſt penſionem in Beneficio conſtituere (: ex juſta & *rationabili* cauſa, ut ſi reſignans ſit decrepitus, aut infirmus; vel quando pro bono pacis fit reſignatio Beneficii litigioſi c. ſecus n. :) ut colligitur ex *c. niſi eſſent de præb.* & *c. extirpandæ. eod.* ubi Epiſcopus ſolum prohibetur, ne penſio deſignetur *in fraudem*: ergo reſignatio cum reſervatione *penſionis* quoque poteſt fieri in manus *Epiſcopi* (: *regulariter* n. ſecus c. :)

399 Ob. 3. Si ita eſt, tunc reſignans in manus Epiſcopi poſſet talem reſervationem *exigere*

(: per

: per modum ſibi *propriæ* authoritate illam *conſtituentis* n. per modum *ſupplicantis* c.:) atqui hoc non videtur admittendum ; ergo. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 3. t. 12. n. 6.* item *l. 1. t. 9. n. 24.* P. Pichler *l. 3. t. 12. n. 3.* P. Reiffenſt. *t. 11. d. 2. q. 4. n. 43.*

Ob. 4. Epiſcopus non poteſt ipſi *Beneficio* imponere penſionem perpetuam, ex Trid. *ſ. 24. c. 14. de ref.* ergo neque poteſt penſionem imponere *Beneficiato*, ſaltem non ad vitam penſionarii, ſi hic *ſupervivat* illum Beneficiatum. c. p. Penſio, quæ tranſit ad ſucceſſores Beneficiati, cenſetur ipſi *Beneficio* impoſita: atqui hoc eſt prohibitum (: Epiſcopis & *ordinariis* n. Judicibus *delegatis* etiam Papæ, de quibus *in cit. c.* eſt ſermo c. Ratio namque ſpecialis contra *hos* pugnat; quia delegati per hoc præjudicarent juri Epiſcoporum, qui non poſſunt conferre Beneficia ſine onere penſionis, & non niſi diminuta quoad fructus:) *c. 21. de præb.* ergo. *Vid.* authores antea laudati. 400

Quæres 1. An & quomodo poſſit fieri *permutatio* Beneficiorum eccleſiaſticorum? ℞. Etſi permutatio hæc, ſi fiat *privata* authoritate, ſit illicita, & taliter permutantes inſuper excommunicentur, & perdant ſua Beneficia (quod ultimum tamen alii æque probabiliter negant apud P. Schmalzgr. *l. 3. t. 19. n. 43.*) nihilominus licita eſt, ſi permutantes ea reſignent in manus ordinarii, exprimentes, quod id cauſa permutationis faciant; ita tamen, ut prius acceſſerit *conſenſus* eo- 401

rum, qui jus eligendi, *præſentandi*, vel conferendi habent. Quo caſu ordinarius dijudicabit, num admittenda ſit reſignatio, nec ne? & ſi admittendam cenſuerit, nulli alteri conferre poterit: uti habetur *Clem. un. de rer. permut.* Nec obeſt, quod in *c. majoribus. de præb.* dicatur: *Diviſionem prabendarum, aut dignitatum PERMUTATIONEM fieri probibemus.* Nam id intelligendum eſt, ſi fiat *ſine* authoritate Superioris; ut ibi dicit gloſſa. Sine *hac* tamen licitum eſt volentibus permutare prævie inter ſe *convenire*; at cum relatione ad *futurum* Superioris conſenſum: & ſi permutatio non ſortiretur ſuum effectum, liber eſt reditus ad Beneficia præhabita. *c. 8. de rer. permut.* P. Pichler *l. 3. t. 19. n. 3.*

402 Quæres 2. Utrum in permutatione Beneficiorum eccleſiaſticorum quoad *titulum*, quorum unum *pinguiores* habet proventus, absque labe ſimoniæ poſſit ſuppleri pretium pro minus valente? ℞. Id fieri *non* poſſe absque labe ſimoniæ. Ratio eſt: quia Beneficiati permutantes non ſunt *domini* fundorum Beneficialium (ex quibus percipiunt reditus) neque redituum *futurorum* (quos nondum perceperunt) ſed ſolum Beneficiorum ſeu *tituli* & juris percipiendi reditus; quod *jus* eſt *ſpirituali* officio annexum; nec iſta *annexio* ab Epiſcopo minus ab ipſis permutantibus tolli poteſt, & quia aliud non habent, hoc *jus* ſpirituali annexum dant vel promittunt pro *pecunia*; ſicque committunt ſimoniam.

can.

can. 7. cauſ. 1. q. 3. Nec quid facit, quod in 403
c. ad quæſtiones de rer. permut. approbetur permutatio duarum Eccleſiarum, in qua *exceſſus* redituum, quos una Eccleſia præbebat majores, per pecuniam fuit compenſatus. Enimvero ibi eſt ſermo de fundis mere *temporalibus*; qui inſuper erant in dominio *Conventuum* permutantium: econtra Beneficiati nullius rei, quam juris ac *tituli* Beneficialis ſunt domini, & ideo ſi pro hoc paciſcuntur de compenſatione pecuniaria, conveniunt de temporali dando pro ſpirituali. Quod ſi Papa diſpenſet, id facit eo modo, dum diſpenſat in voto aut juramento. P. Pichler *l. 3. t. 19. n. 3.* Schmalzgr. *l. & eod n. 60.* la Cr. *l. 4. n. 1164.* Reiffenſt. *hic à n. 40.*

QUÆSTIO II.

DE JURE PATRONATUS, & DECIMIS?

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit jus patronatus? & quæ prorogativæ ejus? ubi concluſive, an promiſſio Beneficii nondum vacantis ſit valida?

PRænotandum 1. Jus patronatus defini- 404
ri: *eſt jus nominandi* ſeu præſentandi *clericum idoneum, promovendum, ad beneficium*

neficium eccleſiaſticum vacans: nam præſentatio facta ad beneficium *non-vacans* eſt irrita, ſicut & inſtitutio. *arg. c. illud. de jur. part.* Acquiritur *potiſſimum* tribus modis, nimirum 1. Ex *fundatione*, dum quis fundum ſeu terræ ſolum dat, in quo Eccleſia conſtruitur. 2. Ex *ædificatione*; dum quis Eccleſiam ſuis ſumptibus ædificat, aut funditus col. lapſam de conſenſu Epiſcopi reædificat, *arg. c. quoniam de jur. patr.* 3. Ex *dotatione*; dum quis Eccleſiæ ſuficientes annuos reditus aſſignat: quod in defectu aliorum *ædificans* facere debet, ſiquidem Eccleſia *ſine dote* non conſecretur. *c. nemo de conſcr. d. 1. &c. Dixi potiſſimum*; nam jus patronatus quoque acquiri poteſt *præſcriptione* (& quidem contra Eccleſiam patronatam, ſpatio 40. annorum: contra liberam autem, non niſi tempore immemoriali) & *privilegio*, quod à S. Pontifice concedi debet. *c. 2. de reb. Eccl. non alien. in 6.*

405 Prænot. 2. Jus patronatus ſemel legitime acquiſitum tranſire etiam ad *hæredes*, non quidem in capita ſed in ſtirpes. *clem. 2. de jur. patr.* Generatim ab uno transfertur in alium quatuor modis. 1. *Succeſſione*; de qua mox antea. 2. *Donatione*; *arg. c. illud.* & *c. nullus eod.* ubi tamen requiritur concenſus *Epiſcopi*, ſi laicus donet laico; non item ſi loco eccleſiaſtico, aut compatrono. *c. un. eod. in 6. arg. clem. 2. eod.* 3. *Permutatione. arg. c. nemini regum. 16 q. 7.* ubi iterum requiritur

ritur conſenſus Epiſcopi, ſi fiat in laicum, ſecus ſi fiat in Eccleſiam. 4. Per *venditionem* univerſitatis, puta caſtri, comitatus, habentis annexum jus patronatus: propter *quod* tamen (utpote *ſpirituale*) ipſa bona carius vendi non poſſunt. *c. de jur. eod.* Cæterum quamvis ſpectato jure *antiquo* jus patronatus fuerit *gratia*, hodie tamen fundatoribus ædificatoribus, & dotatoribus Eccleſiarum *debetur* ex juſtitia; quia per jura nova redactum eſt in Corpus Juris. Ejus capaces ſunt non tantum Clerici, ſed quoque laici, tam maſculi, quam fœminæ: nam jus hoc non eſt quid mere & proprie ſpirituale, ſed ſpirituali *annexum*: cujus *laici* inſuper capaces fiunt ex *ſpeciali* conceſſione & privilegio Eccleſiæ *c. cum autem. c. ex litteris. eod.* 406

Prænot. 3. Jus patronatus dividi quidem in *hareditarium* (quod tranſit ad hæredes etiam extraneos) & *familiare*; quod tranſit tantum in conſanguineos & *familiam* fundatoris: item in *activum* (quo quis poteſt *præſentare*) & in *paſſivum* quo quis ex certa familia *præſentari* debet, prout accidit in Beneficiis patrimonialibus: inſuper in *reale* (quod cohæret certo *loco*, caſtro, prædio &c.) & *perſonale*, quod cohæret *perſonæ* & ejus hæredibus: nihilominus præcipue dividi in *eccleſiaſticum* & *laicale*. Jus patronatus *eccleſiaſticum* eſt, quod *perſonæ Eccleſiaſticæ* competit ratione *Eccleſiæ* vel dignitatis aut Beneficii eccleſiaſtici; quale etiam cenſetur, quod 407 408

à

à laico conceſſum eſt Eccleſiæ, capitulo, monaſterio, vel cuipiam Beneficio. *c. un. de jur. patr.* Jus patronatus *laicale* dicitur, quod alicui (ſive laico ſive clerico) competit ratione proprii *patrimonii*, vel ſucceſſionis paternæ, aut alterius tituli ſæcularis. *arg. c. cum dilectus. eod.* His communiter additur *mixtum*, quod partim nomine Eccleſiæ ad clericum, partim ex *alio* titulo ad ipſum ſpectat: quale eſt, ſi aliqua Eccleſia fundavit *aliam* ex ſuis bonis; quam deinde laicus dotavit: aut econtra. In caſibus particularibus regulatur vel ut eccleſiaſticum, vel ut laicale, prout exigit qualitas casûs magis privilegiata, magisque favens patronatui. *Gloſſa c. 1. v. Eccleſiaſticus de jur. patr. in 6. Vid.* P. Reiffenſt. *hic, n. 27.*

409 Prænot. 4. Inter jus patronatus *eccleſiaſticum* & *laicale* dari multiplex diſcimen. 1. enim differunt, quod patronus eccleſiaſticus à die notitiæ vacationis Beneficii habeat *ſex* menſes ad præſentandum; laicus vero *quatuor* tantum. *c. un. de jur. patr. in 6. &c.* quos ſex menſes jus patronatus *mixtum*, propter communionem, quoque habet; nam nonprivilegiatum, propter communionem, ſortitur naturam privilegiati *l. 1. C. de diverſis reſcriptis.* Quo tempore *elapſo*, pro *ea* vice collatio Beneficii devolvitur ad *eum*; ad quem ſpectat *inſtitutio. arg. c. cum propter & c. eam tunc. eod.* 2. Differunt, quia ſi patronus eccleſiaſticus *idoneum* præſentavit, non poteſt

poteſt amplius *variare* : bene tamen patronus *laicus*; non quidem privative, ſed *accumulative*, adjungendo *ſecundum* primo. *arg. c. cum autem* & *c. paſtoralis h. t.* quo caſu Epiſcopus tenetur præeligere *digniorem* : & ſtante pare dignitate, locus eſt gratificationi. 3. Differunt, quia ſi patronus *eccleſia-* 410
ſticus ſcienter præſentat *indignum*, ipſo jure pro ea vice *privatus* eſt poteſtate præſentandi, & ad proximum ſuperiorem, ad quem ſpectat inſtitutio, devolvitur : econtra *laicus* tali jure *non* privatur, ſed jubetur alium præſentare. *arg. c. cum vos. de offic. jud.* 4. Differunt, quia legatus à latere S. Pontificis poteſt conferre Beneficium juris patronatus *eccleſiaſtici* abſque conſenſu & præſentatione patroni eccleſiaſtici : ſecus eſt de Beneficio juris patronatus *laici*, *arg. c. cum dilectus. h. t.* Idem eſt, de Beneficio patronatus *mixti*, ob rationem datam ſupra *n. 409*. Imo facta per Papam ſimplici conceſſione, unione, aut reſervatione alicujus Beneficii, *derogatur* quidem juri patronatus *eccleſiaſtico*; at non laico: niſi expreſſa & ſpecialis mentio fiat de hoc. 5. Denique & ultimo differunt quoad *concurſum* : nam *hic* quoad Eccleſias parochiales, etiamſi ſint juris patronatus eccleſiaſtici, permittendus eſt juxta concil. *Trid. ſ. 24. c. 18. de ref.* non item quoad Eccleſias, quæ ſpectant ad jus patronatus *laicale*. Notat tamen P. Engel *l. 3. t. 5.* à præfato concurſu per Bullam S. Pii V. *ad exequendum.* exceptas eſſe

illas

illas parochias, quæ vel monaſteriis, ve aliis Eccleſiis incorporatæ ſunt, in quibu non parochus, ſed *vicarius* ponendus eſt.

411 Prænot. 5. Patrono, ſive eccleſiaſtico ſi ve laico, præcipue quatuor jura competere nempe *jus* præſentandi, jus *precedendi*, ju *defendendi* Eccleſiam & jus ſe ex bonis Eccle ſiæ *alendi* in caſu indigentiæ: ita c. *nobis d jur. patr. & Gloſſa ibid.* Ex his, jus præſentandi clericum idoneum, adeo competit patrono, ut Epiſcopus *teneatur* eum admittere & inſtituere. *cit. c. nobis.* Deinde: ſine conſenſu & voluntate patroni nequit conferr regulariter Beneficium: & ſi defacto *collatum* ſit, ad inſtantiam ejus poteſt & debe talis collatio annullari. *c. ex inſinuatione. h. t*

412 *c. decernimus. 16. q. 7.* Porro patronus (quamvis ſit clericus, & cæteroquin idoneus) nequit *ſe ipſum* præſentare. *c. noſtrates. eod.* S tamen *Prælatus*, ad quem ſpectat inſtitutio motu proprio vocet *patronum* clericum (qui *alias* quoque ſupplicare poteſt pro hac collatione) eique conferat Beneficium, valebit collatio. Inſuper, ſi plures ſunt patroni, poſſunt compatronum, clericum, præſentare *Gloſſa in c. conſuluit. h. t.* Præterea poteſt patronus præſentare ſuos *filios*, aut alios conſanguineos: quia *hi* non debent eſſe deterioris conditionis, quam alii. Quodſi compatroni non conveniant, præfertur is, qu majoribus juvatur *meritis*, & plurium aſſenſu. *c. quoniam de jur. patr.* Hæc de prima prærogativa

ogativa juris patronatus: de reliquis poſtea *n. 420.* At prius decidenda eſt, & huc pertinens quæſtio, quæ in titulo proponitur, & requentiſſimæ praxis eſt.

CONCLUSIO: Promiſſio Beneficii *nonum* vacantis ſive certi ſive incerti, aut proxime vacaturi, eſt ipſo jure *nulla*, etſi juramento vel ſcriptura firmata, ſive à collatore, ſive à patrono facta ſit. *Ita DD. communiter ex c. 2. 3. 11. 13. de conceſſ. præb. Trid. ſ. 4. c. 19. de ref.* 413

Probatur: In locis modo adductis ſublatæ & annulatæ ſunt omnes prorſus *gratiæ xſpectativæ* in hac materia *Beneficiorum*; & uidem ex hoc motivo, ut tali modo coërceatur *avaritia*, ac *ambitio*, quæ elucet in s, qui ita *præmature* Beneficiis inhiant; & ne ninus *digni* per importunas & intempeſtivas reces *dignioribus* præripiant Beneficia; atque ut evitetur anſa *optandi* & captandi *mortem* alienam, nempe actu poſſidentium Beneficia; ſicut propter ſimilem cauſam jus Civile reprobat *pacta* de futura viventis hæreditate l. *donari 29. §. fin. ff. de donat.* & *l. fin. od. de pact.* ergo omnis talis promiſſio eſt ulla. Nec *juramentum* (utpote SS. Canonibus repugnans, & in præjudicium boni publici æque ac privatorum cedens) ſubſiſtere x promiſſionem firmare poteſt; minus ſcriptura quam vocant *ſignaturam*; ergo. 414

Objicies *1.* Secundum jus Canonicum *c. 4. de conceſſ. præb.* valet promiſſio ſub his ge- 415

neralibus

neralibus terminis concepta : *conferam tibi beneficium, cum potero* : vel, *quamprimum ſe facultas obtulerit* (: R. n. a. Nam illud c. 14. fuit correctum per recentius c. 2. *t. eod.* :) ergo ſaltem valet pomiſſio Beneficii incerti, v. g. proximi vacaturi. c. p. Hæc promiſſio non præbet anſam optandi & captandi mortem *alterius* (: determinati c. *indeterminati* n. Inſuper tales promiſſiones habent univerſale periculum *abuſus*, nutriunt avaritiam, ambitionem &c. ergo omnes illimitatæ ſunt optime irritatæ *dicto* c. *n.* :) ergo.

416 Ob 2. *Praxis* habet, etiam timoratorum, ut paſſim vel voce, vel per *ſignaturam* promittant Beneficia proxime vacatura, tam in genere, quam in ſpecie (: ita ut per hanc promiſſionem, utpota irritam, concedatur *aliqua ſpes* c. ita ut in promittente, apparenter, oriatur obligatio fidelitatis aut juſtitiæ. vel in promiſſario aliquod *jus* ad Beneficium n. Adeoque praxis hæc non inducit conſuetudinem legalem vel *veram*; ſaltem id necdum eſt ſatis probatum :) ergo hoc fit valide & licite ſaltem vi conſuetudinis.

417 Ob. 3. Saltem *jurata* promiſſio tenebit, & obligabit; ergo. a. p. Omne juramentum debet ſervari, quod poteſt ſervari ſine peccato & præjudicio tertii: atqui hoc juramentum ſervari poteſt ſine peccato (: n. hoc; nam quamvis promittere Beneficium nondum vacans non ſit peccatum contra jus naturale, eſt tamen *contra* jus *eccleſiaſticum*, quod prop-

ter

er *bonum* publicum Eccleſiarum, & aliquale
ltem *periculum* optandi mortem alienam,
varitiæ & ambitionis *ſpeciem*, non ſolum ir-
itat, ſed etiam reprobat, & prohibet hu-
ısmodi promiſſiones. Quo jure licet *Papa*
on adſtringatur adſtringuntur tamen *alii*;
ideo *tales* promiſſiones ſunt peccatum
onſequenter & juramentũ iis adjectum; quia
ſſet *vinculum iniquitatis*, & ſervari non poſ-
t ſine præjudicio juris & Eccleſiarum peri-
ulo, ſicque non valet, nec ullam parit ob-
gationem, ſed cadit cum ſuo principali :)
rgo. m. p. Non per ſe, ſed ſolummodo *per
ccidens* inducit ad votum captandæ mortis
lienæ (alias nec ipſe, Papa poſſet abſolute
are gratias *exſpect tivas*) item ſine præju-
icio tertii, quia nemimi aufert jus ſuum,
um reſpiciat tempus, quo aliunde vacabit
Beneficium; ergo.

Ob. 4. *Valet* pactum de futura ſucceſſio- 418
e in bonis *viventis*, licet à jure civili ſit re-
robatum cui adjicitur juramentum: ergo
& talis *promiſſio* : n. c. Quia jus civile non
rohibet pactum futuræ hæreditatis, ſed tan-
um irritat, & quidem ad bonum *privatorum*,
le quorum hæreditate ſit pactum; conſe-
juenter juramentum ei adjectum ſtare po-
eſt per ſe, & obſervari absque peccato;
adeoque obſervandum eſt ſaltem ex virtute
religionis, econtra promiſſio *Beneficii* non-
vacantis eſt inſuper prohibita à jure Cano-
nico, & *irrita* propter bonum *publicum* Ec-

cleſiarum, & periculum animarum :) Præterea : idem pactum valet, ſi accedat conſenſui illius, de cujus hæreditate initum eſt, modo ille uſque ad mortem perſeveret in ſuo conſenſu. *l. fin. cod. de pact.* ergo & valebit promiſſio Beneficii nondum vacantis, ſaltem ſi fiat cum conſenſu *poſſeſſoris* beneficii (: n. c. Diſparitas eſt: quia jus *Canonicum* irritat promiſſiones tales *abſolute*, jus *civile* autem illa pacta irritat *conditionate* duntaxat, niſi nempe fiant cum conſenſu illius, de cujus hæreditate agitur. *l. fin. cit.* :) *Vid.* P. Pichler *l. 3. t. 8. n. 5.*

419 Ob. ult. Beneficium nondum vacans poteſt promitti *tacite*, & promittitur, quando aliquis recipitur in Canonicum cum exſpectatione Præbendæ : ergo poteſt etiam promitti *expreſſe* (: n. c. & parit. quia recepto in Canonicum debetur *Præbenda* proxime vacatura ex promiſſione facta à *lege* : prohibitio autem præſentis loci locum duntaxat habet, quando promiſſio Beneficii ab *homine* fit. :) *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 3. t. 8. n. 22.* Nunc circa reſidua Patroni jura

420 Quæres : Quid patrono Eccleſiæ præter jus *præſentandi* adhuc debeatur ? ℞. Inprimis jus *honoris*, conſiſtens in eo, qud patrono debeatur *præcedentia* in proceſſionibus publicis præ aliis laicis : item quod in Eccleſia ſua *patronata* debeat honorari per præcedentiam honorabilioris *ſedis*, prioritate pacis & thurificationis. Inſuper patrono competit jus *alimenta-*

entationis, conſiſtens in eo, quod ſi ad inopiam vergat, illi familiæque illius ab Eccleſia debeat modeſte ſuccurri de illis, quæ ſuperſunt ultra id, quod neceſſarium eſt ad cultum Dei, & ſuſtentationem miniſtrorum, dando illi in domum ſuam alimenta integra, id eſt, victum & amictum. *arg. c. nobis de jur. patr.* Deinde ei quoque competit *jus*, seu potius onus tuendi & *defendendi* Eccleſiam. Unde patroni munus eſt, ut tueatur Eccleſiam, habendo curam circa ejus bona, ne male alienentur, aut contra intentionem fundatoris applicentur &c item ut illam defendat intra & extra judicium tanquam ejus *patronus* & *advocatus*: *quo* nomine honoratur *. præterea c. cum autem & c. cum nobis. de jur. patr.* Interim tamen non habet veram *jurisdictionem* in Beneficiatum: ideoque ſe non debet ingerere in ea, quæ ſpectant ad Sacramentorum adminiſtrationem, ornamentorum Eccleſiæ viſitationem &c. ſiquidem hæc ſpectant ad Epiſcopum, juxta Trid. *ſ. 24. de ref. c. 3. circa* finem. *Vid.* P. Kazenberg. *Theol. Dec. c. 2. ſ. 1. q. 3. à n. 52.* P. la Cr. *l. 4. à n. 31.* P. Reiff. *tr. 11, d. 3. q. 3. n. 54.* Modos quibus jus patronatus amittitur, ſubminiſtrabit in compendio *cit.* P. Pichler *l. 3. t. 38. n. 10.* 421

ARTICULUS II.

Cuinam debeantur decimæ? Et an jus decimandi, qua tale laicis competere poſſit?

422 PRænot. 1. *Decimas*, nimirum Eccleſiaſticas, de quibus hic ſermo eſt, ſi ſumantur *objective*, definiri, quod ſint *decima pars fructuum juſte acquiſitorum*, DEO in recognitionem ſui dominii univerſalis debita, & quotannis Eccleſiæ miniſtris ſolvenda pro ſuſtentatione, *c. tua nobis. c. decimas Deo. 16. q. 7. & c. ex transmiſſo. de decim.* Adeoque ſolutio decimarum ſicut eſt actus *religionis* (reſpectu DEI) & actus *juſtitiæ* (reſpectu miniſtrorum) ita qui *fraudant* decimas contra *utramque* virtutem peccant, crimenque ſacrilegii committunt, & excommunicari poſſunt, poſt trinam tamen monitionem. *arg. c. omnes decimas 16. q. 7.* Porro quia decimis affines ſunt *primitiæ*, & *oblationes*; ideoque in libro 3. *decret. t. 30.* conjungantur, hinc hoc loco velut per parentheſin,

423 Prænot. 2. Nomine *primitiarum* hic intelligi *primos* fructus arborum, agrorumque, qui DEO ut largitori omnium bonorum in ſignum gratitudinis offeruntur. Has ſolvendi etſi olim fuerit obligatio, hodie tamen in pleriſque locis per conſuetudinem ſublata eſt. Per *oblationes* intelliguntur illæ oblationes

es & dona, quæ fideles ad *altare* offerunt
nter *Miſſarum* ſolemnia. *c. omnis Chriſtianus de*
onſecr. d. 1. De ratione harum oblationum
ſt, quod *voluntarie* offerantur; ideoque in
præcepto non ſunt, niſi forte expoſcat indi-
entia parochi, aut conſuetudo: ubi tamen
dhuc voluntaria eſt ſaltem quoad *quantita-*
em & *qualitatem* rei oblatæ. Nunc redeun-
lo ad decimas

Prænot. 3. Decimas ſecundum ſubſtan- 424
iam ſpectatas, quatenus nempe ſunt neceſ-
ſarium *ſtipendium* miniſtrorum Eccleſiæ, de-
beri ipſis jure *naturali* (quod obligat ad ſtipen-
dium laboris) & *Divino*; quod operariis vult
ſolvi mercedem *Matth. 10. Dignus eſt operarius*
cibo ſuo &c. Quatenus vero conſiderantur
ſecundum *quotam* ſeu decimam partem, de-
facto debentur ſolo jure *eccleſiaſtico*: quia
hæc quota *nec* eſt *determinata* à jure naturali
(ut fatentur omnes) nec à jure Divino; cum
nullus novi teſtamenti textus de *hoc* extet. Et
certe, ſi decimæ ſimpliciter eſſent juris *Divini*,
non poſſet earum obligatio *tolli* per privilegi-
um, aut contrariam conſuetudinem; quod
tamen fieri poſſe certum eſt, & conſtat ex
n. 437.

Prænot. 4. Decimas communiter dividi in 425
reali ſeu prædiales (quæ ſolvuntur ex fructi-
bus *prædiorum*, agrorum &c. in *perſonales*
(quæ penduntur ex lucris per *induſtriam* ac-
quiſitis v. g. ex negotiatione &c. ſed hæ abro-
gatæ ſunt & iis ſubrogati creduntur reditus

 ſtolæ

ſtolæ (& in *mixtas* (quæ partim prædiales, partim perſonales exiſtunt: cujusmodi ſunt, quæ debentur ex fructibus *pecorum*, fœtu, *lana*, lacte &c. Reales ſubdividuntur in majores, *groſſe Zehend*, quæ ſolvuntur ex frumento, vino &c. & in minores, ſeu minutas, *klein Zehend*, quæ præſtantur ex fructibus arborum, leguminum &c. de quibus Juriſtæ; nobis modo quæſtio in titulo propoſita reſolvenda eſt. Prius tamen adhuc

426 Prænot. 5. Quæſtionem præſentem procedere præcipue de *moderno* ſtatu, quo facta ſupponitur *diviſio* bonorum eccleſiaſticorum, ipſarumque *parochiarum*. Nam anteà decimæ cujuslibet Diœceſis pertinebant indiviſim ad Clerum, & colligebantur ab Epiſcopo, qui deinde cum proportione diſtribuebat inter Clericos, qui ipſius, ceu parochi univerſalis, quaſi coadjutores erant, & modo in *hac*, modo in illa *parte* Diœceſis officium paſtorale exercebant. *arg. c. in novo diſt. 21* Similiter quoad *alteram* partem tituli, quæritur an *jus* decimandi *directum* & primarium, ac *quatenus ſpirituale* eſt, laicis competere queat, aut ad hos devenire per emptionem, conductionem, aut præſcriptionem? Ad quod reſpondebitur, ſi ad quæſtionem primam reſponderit

427 CONCLUSIO I. Pro ſtatu *moderno* decimæ de jure communi ſolvendæ ſunt propriis parochis, adeo, ut hi ſuper perceptione illarum fundatam in jure intentionem habeant adver

adverſus quemcunque etiam *Epiſcopum; cui* proinde cnm parocho concurrenti incumbet onus probandi, quod jus decimarum vel ex privilegio vel aliunde habeat. *Ita communis ex c. cum à nobis. c. cum contingat. de decim.*

Probatur: Decimæ ex primæva ſua inſti- 428 tutione pendendæ ſunt *miniſtris* Eccleſiæ, qui populo præbent Sacramenta, & alia ſpiritualia: atqui *parochis*, aliisque rectoribus Eccleſiarum parochialium, incumbit præcipua *cura* & onus hujus *miniſterii* ſpiritualis, ad quod ex officio & ſpeciali titulo obligantur; ergo. Et quidem decimæ *prædiales* ſolvendæ ſunt *illi* parochiæ, intra cujus fines ſita ſunt *prædia*, etſi dominus prædii alibi habitet; nam onus hoc *reale* eſt & impoſitum non perſonis ſed prædiis. Decimæ *mixtæ* autem debentur illi parochiæ, in cujus territorio *pecora* paſcunt, accubant, dormiunt: quia naturam prædialium imitantur, & ſub iſtis ſimpliciter comprehenduntur. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 3. t. 3. n. 29.*

CONCLUSIO II. Laicis nullo modo 429 competere & concedi poteſt *jus* decimarum directum & primarium quatenus nempe ſpirituale eſt; adeoque nec ipſæ decimæ, *prout* ſunt fructus eccleſiaſtici. *Ita communiter Canoniſtæ ex c. decimas. 16. q. 17. c. adhuc & c. quamvis de decim.*

Probatur: Jus decimandi & ipſæ decimæ *taliter* ſumptæ ſunt quid mere *ſpirituale*: atqui *laici* non poſſunt poſſidere *ſpiritualia*, mul-

to minus ſpiritualia *officia*(quibus decimæ annexæ ſunt velut titulo, ex quo debentur) miniſtrare fidelibus; ergo nullo modo poſſunt eis competere aut ad eos devenire, etiam per emptionem, conductionem &c. imo nec per *præſcriptionem* etiam immemorialem; quia ſine *poſſeſſione* non currit præſcriptio. *t. 3. de R. J. in 6.*

430 Objicies 1. cont. 2. concl. Epiſcopo, ceu Ordinario ſuæ Diœceſis paſtori debetur *quarta* pars decimarum de Eccleſiis inferioribus. *c. conquerente. de offic. ord.* Item decimæ ex prædiis *limitaneis*, quæ intra nullius parochiæ limites exiſtunt. *c. quoniam de decim.* ergo non debentur parochis (: R. d. ç. quoad has decimas *particulares* exceptas c. quoad *alias* univerſales n. Quin quarta illa per conſuetudinem paſſim jam exolevit teſte P. Pichler *l. 3. t. 30. n. 3.*

431 Ob. 2. cont. 2. concl. Equites Teutonici Melitenſes non ſunt clerici ſed *laici* (: *mere* ſæculares & in ſæculo remanentes n. ſunt laici *converſi*, & propter *vota* ſubſtantialia ſimul *religioſi*, ideoque clericorum juribus & privilegiis gaudentes c. :) atqui his competit *jus* decimandi: ergo. Reiffenſt. *n. 31.*

432 Ob. 3. Etſi *titulus*, ex quo oritur *jus* decimandi ſit ſacer & ſpiritualis, nempe cura animarum & miniſteria ſacra, poteſt tamen à titulo ſeparari, & ſic transferri in laicos ſaltem per S. Pontificem: ergo laicis poteſt competere *jus* decimandi (: ſæcularizatum & in

in ſenſu *diviſo* c. in ſenſu *compoſito*, dum manet *eccleſiaſticum* n. Nam cum hoc jus *non* intrinſece, ſed extrinſece tantum ſpirituale ſit ratione *connexionis* cum ſpirituali: poteſt *abſolute* ſeparari ab hac connexione: in quo ſtatu decimæ dicuntur mere laicales, ſeu ſæcularizatæ: :)

Ob. 4. urg. Laicis ſaltem cum licentia S. Pontificis defacto, ſæpius conceditur *jus* utile & *indirectum* decimarum; ergo harum non ſunt incapaces (: quoad jus *utile* & ſecundarium, & quidem non niſi *cum* conſenſu S. Pontificis c. ſecus n. In ſtatu *hoc*, dum nempe utilitas tantum ſeu jus utile decimandi transfertur in laicos & ſic decimæ illis in feudum conceduntur, appellantur *laicales* ſimpliciter, ſeu temporales vel minus ſtricte eccleſiaſticæ. Multo magis laicis poſſunt juſto interveniente contractu concedi ipſi fructus decimales; cum res ſpirituales non ſint:) P. Pichler *n. 1.* Reiffenſt. *n. 32. & ſeqq.* 433

Ob. 5. Laici poſſunt præſcribere *jus patronatus*, quod pariter eſt *annexum* ſpirituali: ergo jus *decimandi* (: n. c. Quippe laici generatim & abſolute ſunt habilitati à Jure ad *poſſidendum* jus *patronatus c. 5. 8. 11. &c. de jur. patr.* non vero ad jus *decimandi*:) Ad hæc: Laici per *privilegium* S. Pontificis poſſunt acquirere jus decimandi: ergo & per præſcriptionem immemorialem. c. p. Hæc æquivalet privilegio (: ſi præſcriptio vere datur c. ſecus n. apud laicos autem reſpectu decimarum non 434

poteſt dari ob defectum legitimæ *poſſeſſionis*, quam tamen tribuit privilegium:)

435 Ob. ult. Praxis pridem obtinuit, ut laici paſſim, nemine contradicente, detineant decimas inſtar patrimonialium bonorum, eas alienent, imo & in feudum concedant: ergo obtinuerunt per *præſcriptionem* (: quoad jus *directum* n. quoad dominium *utile*, contra feudi onera, c. :) ſ. p. Non conſtat de ullo privilegio, donatione, aut legitima conceſſione S. Pontificis (: *expreſſe* c. implicite & *præſumptive* n. ſecus enim tenerentur laici hi decimas Eccleſiæ reſtituere: ergo P. Pichler *num. 11.*

436 Quæres 1. Quinam obligentur ad *ſolvendas* decimas? ℟. Per ſe omnes, qui prædia, fundos, vel alias res frugiferas titulo non ſpirituali poſſident intra fines alicujus parochiæ. *c. 4. 6. &c. de decim.* & quidem obligantur tam onere reali quam *perſonali*, ſi ſint *parochiani*, & Sacramenta, aliaque Divina percipere debeant in illa Eccleſia parochiali, ſi autem non ſint parochiani, ſolum obligatione reali. Unde nec Papa nec Epiſcopus, nec parochus (qui in aliena parochia ex titulo temporali v. g. hæreditate, donatione &c. poſſident prædia, prius decimis obnoxia) uti nec ethnici, pagani aut judæi (qui ſimilia prædia obtinent) ab hac obligatione immunes ſunt. *c. 16. 24. eod.* quia decimæ ſunt onus reale, ac prædiis, & eorum fructibus immediate *annexum*, quod tranſit ad quem-

cun-

cunque poſſeſſorem, cum res tranſeat cum ſuo onere. *c. 5. de pig.* Pichler *n. 10.*

Quæres 2. Quot modis obtineatur immunitas à ſolvendis decimis? ℟. 1. *Privilegio*, & quidem ſolius S. Pontificis. *c. tua.* & *c. dudum. de decim.* Hoc Religioſi eximuntur à decimis de Novalibus, quæ *propriis* ſumptibus aut manibus excolunt, de hortis, & fœtibus animalium ſuorum &c. 2. Conſuetudine. *c. 32. eod.* modo ſalva maneat miniſtrorum Eccleſiæ *congrua* ſuſtentatio: nam decimæ quoad quotam debentur jure eccleſiaſtico, cui derogari poteſt per conſuetudinem. *c. ult. de conſuet.* 3. Præſcriptione. *c. 18. h. t. c. 1. de præſcript.* Nec obſtat, quod præſcribens ſit laicus: quia *immunitas* à ſolvendis decimis *nihil* habet ſpiritualitatis. Si tamen præſcriptio curreret contra parochum, opus foret 40. annis, vel tempore immemoriali. *cit. c. 1. de præſcript.* 4. *Compoſitione* ac remiſſione. *c. ex multiplici. de decimis. c. ſtatuimus. de transact.* ubi ejusmodi compoſitio facta approbatur; remiſſio autem in *c. quocirca de privil.* 5. Denique etiam *paupertate*, quæ ſi gravis ſit, ſolutionem decimarum differt, ſi autem extrema, tunc omnino extinguit: quia cum tunc omnia ſint *communia*, ipſe conſumpſit, quod ſuum fuit. *Vid.* P. Reiffenſt. *à. n. 35.* Pichler *n. 11.* P. Schmalzgr. *à n. 52. &c.* 437

TRA-

TRACTATUS III.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA, INDULGENTIIS, CENSURIS, IRREGULARITATE, ALIISQUE POENIS CANONICIS.

DISPUTATIO I.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

HAbet materia hæc affinitatem cum materia Tractatus *prioris*. Ne tamen *hic* nimium excreſceret, eam in hoc ſeparato tractatu pertractamus. In hujus Diſputatione prima ſermonem inſtituemus de immunitate eccleſiaſtica, & indulgentiis per duas Quæſtiones: in altera deinde de cenſuris, irregularitate, aliisque pœnis canonicis.

QUÆSTIO I.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

ARTI-

ARTICULUS I.

Utrum bona Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum ſint ab exactionibus ſæcularium immunia.

PRænotandum 1. *Immunitatem* in genere eſſe exemptionem ab oneribus publicis ſeu alias communibus. Et hinc immunitas eccleſiaſtica eſt *exemptio* ſeu jus, quo *perſonæ*, *res*, vel *loca* Eccleſiaſtica à publicis *oneribus* ſæcularibus *libera* ſunt: adeoque eſt triplex. *Perſonalis*, quæ convenit perſonis eccleſiaſticis, & maxime conſiſtit in *privilegio fori* (vi cujus ad forum & judicem ſæcularem trahi nequeunt) & in *privilegio Canonis*, vi cujus violentas manus clerico injiciens excommunicatur; de quo *à n. 539.* *Realis*, quæ competit rebus eccleſiaſticis: de qua in concluſione; & *localis*, quæ Eccleſiis, aliiſque locis eccleſiaſticis debetur. Triplex hæc immunitas non tantum quoad bona *ſpiritualia* (utpote ſuper *quibus* principes nullam poteſtatem à DEO acceperunt) ſed quoque quoad *temporalia* probabilius à jure *Divino* provenit: de quo plura Canoniſtæ. Nunc ordiendo de ultima ſpecie 438

Prænot. 2. Immunitatem *localem* (quam alii appellant *immunitatem Eccleſiarum*, ſub his comprehendendo *cœmeteria*, & alia loca *religioſa*) conſiſtere in duobus, vid. ut *rei* confugientes ad illa ſint *ſecuri*, & per violen- 439

tiam

tiam inde abſtrahi non poſſint; de quo in articulo ſequenti: deinde ut actus *profani*, & locum ſacrum dedecentes, inde arceantur. Itaque in Eccleſiis earumque cœmeteriis prohibitum eſt inprimis exercere *judicium ſæculare*, non tantum criminale ſed etiam civile. *c. cum eccleſia. de immunit. eccl.* non tamen eccleſiaſticum. *arg. c. qua fronte. de apell.* Inſuper prohibitum eſt ibi inſtituere *contractus* (qui tamen valent; nam nullo jure irritantur, ſicut judicium ſæculare) negotiationes & *nundinas C. decet. eod. in 6.* Nihilominus promovendæ *devotionis* cauſa ibi licet vendere *candelas.* Reiffenſt. *n. 16.* Ulterius prohibentur ibi fieri *publica* parlamenta ſæcularia, comœdiæ *profana*, confabulationes, deambulationes, ſtrepitus, & quæcunque Divinum officium turbare poſſunt. *cit. c. decet. Trid. ſ. 22. in decret. de obſerv. in celeb. Miſſ.* Diſputationes tamen ibi non ſunt prohibitæ: quia ſcientia eſt donum DEI, & res ſancta. *arg. l. 1. ff. de var. & extr. cognit.* Denique ad immunitatem Eccleſiarum quoque pertinet, ne eis *violentia* inferatur, infringendo fores, ſpoliando bonis &c. quia talia facientes, ipſo jure excommunicati ſunt. *arg. c. canonica. 11. q. 3. &c.* Reiffenſt. *n. 22.* In ordine ad ſpeciem ſecundam & primam,

440 Prænot. 3. Immunitatem rerum & perſonarum eccleſiaſticarum, (quam alias *realem* & *perſonalem* appellant) generatim conſiſtere in hoc, quod res & perſonæ eccleſiaſticæ juris

jurisdictione ſæcularium Magiſtratuum, eorumque exactionibus & oneribus immunes & liberæ ſint. *c. non minus. de immunit. eccl. cum concordantiis.* Pro quo melius intelligendo advertendum, quod *bona Eccleſiarum* & perſonarum eccleſiaſticarum diſtingui poſſint in triplex genus. *Primi* generis ſunt ipſæmet *Eccleſiæ* materiales, una cum cœmeteriis; item vaſa ſacra, veſtes, & quæcunque conſecrata, ſive benedicta ſunt tamquam Divini cultus inſtrumenta: & de horum immunitate nullum eſt dubium. *Secundi* generis ſunt bona, in miniſtrorum *ſuſtentationem* fundata, ſive ſint mobilia, ſive immobilia: de quorum exemptione iterum à nemine dubitatur. *Tertii* generis denique bona ſunt illa, quæ ad Eccleſiam aut perſonas eccleſiaſticas pervenerunt *aliis* titulis, v.g. hæreditate, emptione, aut alio titulo temporali: quæ proinde reſpectu Eccleſiæ dicuntur *temporalia*; reſpectu clericorum autem *patrimonialia*. De quibus dubium eſſe poteſt, &

CONCLUSIO: Non tantum *Eccleſia* 441
quoad bona ſua temporalia, ſed etiam *clerici* quoad bona patrimonialia ſunt de jure immunes & exempti ab omnibus *oneribus* tum *realibus* tum *mixtis*: quæ titulo *jurisdictionis* de novo imponuntur à Magiſtratibus laicis. *Ita communis & certa omnium DD. catholicorum ex c. 4. de cenſib. in 6. c. 10. de conſtit. &c.*

Probatur: *Res* conſequuntur conditio- 442
nem *perſonæ* & *acceſſorium* ſequitur ſuum principale,

cipale, juxta *regul. 42. Jur. in 6.* atqui Eccleſiæ, & perſonæ eccleſiaſticæ ſunt *exempta* à jurisdictione ſæcularium, ut omnes fatentur; ergo etiam res & *bona* ipſorum debent eſſe exempta acceſſorie ab oneribus ſeu exactionibus ſæcularium; cum jurisdictio *immediate* & principaliter non in res & bona, ſed in *perſonas* exerceatur, eoquod à perſonis præſtanda ſint tributa & collectæ rebus impo-
445 ſitæ. Quodſi ſæculares tali onere gravarent Eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas, peccarent non tantum contra religionem, & juſtitiam, ſed inſuper incurrerent *excommunicationem* S. Pontifici reſervatam in Bulla cœnæ. *Vid.* P. Kazenberger *c. 2. ſ. 2. q. 4. n. 98.*

446 Objicies 1. In bonis *feudalibus* dominus directus qui eadem conceſſit, *onera* feudi licite ab Eccleſia vel perſona eccleſiaſtica *exigit* (: R. d. a. titulo *jurisdictionis* n. titulo dominii *particularis* c. Nam res tranſit cum ſuo onere reali. *c. 5. de pignor.* Sic quoque licite aliquid exigi poteſt titulo *pacti* vel *reſervationis*, ut ſi quis laicus donet, vendat Eccleſiæ aut perſonæ eccleſiaſticæ *prædium* cum reſervatione *penſionis* ſibi ſolvendæ. *c. 4. de condit. appoſit.* Item titulo *impenſarum* in conſtructionem vel reparationem operum *publicorum* v. g. *pontium*, fontium, *viarum* publicarum &c. :) ergo Eccleſiæ & perſonarum eccleſiaſticarum non omnia bona ſunt libera ab exactionibus ſæcularium. *Vid.* P. Pichler *l. 3. t. 49. n. 11.*

Ob. 2.

Ob. 2. Si perſonæ eccleſiaſticæ debent 445
contribuere ad ejusmodi opera *publica*, tunc etiam in caſu *extraordinario* neceſſitatis vel *utilitatis* debebunt concurrere (: titulo *impenſarum*, & ut *membra* communitatis vel ex æquitate naturali, aut pacto tacito, c. titulo *jurisdictionis*, & ut *ſubditi*, vel ex obligatione proveniente ex jurisdictione *ſæcularium* n. :) & ex titulo jurisdictionis: quia *extrema* neceſſitas tribuit *jus* auferendi bona temporalia à quocunque, conſequenter etiam à clericis (: per viam *jurisdictionis* n. ſolum jure *defenſionis* ad ſuccurrendum Reipublicæ c. :) Sic utique etiam clerici tempore famis poſſunt cogi ad *vendendum* frumentum, & ut permittant viſitari ſua granaria (: à Superioribus *eccleſiaſticis*, & his conſentientibus c. ſecus n. :)

Ob. 3. urg. Clerici *negotiatores* non ſunt 446
immunes à *vectigalibus*, portoriis, gabellis &c. *arg. c. 4. de cenſ.* ergo qualitas *clericalis* non eximit à tributis, & contributionibus (: *negotiatores* c. *alios* n. :)

Ob. 4. Praxis & *conſuetudo* eſt optima du- 447
bii interpres: atqui experientia & praxi videmus quod multæ Eccleſiæ & perſonæ *eccleſiaſticæ* in ſuis bonis ferant certa *onera* impoſita à magiſtratibus laicis (: de *novo* impoſita, nempe eo tempore, quo bona illa jam ſpectabant ad Eccleſias vel perſonas *illas* n. impoſita de antiquo, antequam ad illas devenerint, c. nam quælibet res tranſit cum ſuo onere. :) ergo. *Vid.* P. Pichler *l. c.* P. Reiffenſt.

n. 30. P. Schmalzgr. *l. 3. t. 49. à n. 31.* pro in-
tellectione terminorum aliquorum in hoc ar-
ticulo aliquoties cum diſtinctione nominato-
rum.

448 Deduces 1. Per *onera realia*, ſeu exactio-
nes reales, intelligi illas, quæ ipſis re-
bus imponuntur *ſine* reſpectu ad *perſonas* ea
poſſidentes, v. g. fundis, agris, domibu
&c. appellanturque *tributa* & *contributione*
ordinariæ, vulgo *ordinari Steur und Anlagen*
quo referuntur etiam Accisæ, *Auffſchläg*, qu
imponuntur rebus uſu conſumptibilibus, ven-
dendis, vino, cerviſiæ, carnibus &c. & In-
debita, *Umgelt*, quando ultra acciſas ſeu ga-
bellas *pecuniarias* de potulentis, vino vel ce-
reviſia, certa quantitas, v. g. de ſingul
urnis 6. menſuræ, Magiſtratui, vel princi-
ſæculari pendenda eſt. Per *onera mixta* au-
tem ſeu *exactiones mixtas* intelliguntur illæ
quæ vel exigunt *laborem* perſonalem ſimul
ſumptus (ut ire ad bellum propriis expenſis
vel imponuntur ſubditis cum reſpectu ad ip-
ſorum bona vel reditus annuos adeoque per-
ſonis immediate, & rebus mediate, velu
collecta, & *contributiones* extraordinariæ, vu-
go *extraordinari Steur und Anlagen.* Hu
quoque pertinent *præſtationes* teloniorum
nempe vectigalia, *Zoll* (quæ exiguntur
bonis per terram) & portatoria, *Mauth*
quæ petuntur de bonis per aquas in- vel ex-
portatis aut advectis. P. Pichler *l. c. n. 10.*

Ded-

Deduces 2. Ad hoc, ut Eccleſiæ & perſo- 449
næ *eccleſiaſtica* in caſu *neceſſitatis* extraordina-
riæ, debeant contribuere, requiri, ut illa
neceſſitas ſit *publica*, communis laicis & cle-
ricis; ut ad eam relevandam *non* ſufficiant
facultates *laicorum*; ut contributio ad eccle-
ſiaſticis fiat ſponte, & *ſine* aliqua exactione,
ſeu *compulſino* laicali; ut Epiſcopus & clerus
deſuper deliberet, & niſi periculum ſit, in-
ſuper S. Pontifex conſulatur. *arg. c. non mi-
nus & c. adverſus. de immunit. eccl. Clem. un.
eod. in 6. Vid.* P. Reiffenſt. *n. 34.* P. Schmalz.
l. 3. 49. n. 63.

Deduces 3. Principes *ſæculares* non poſſe 450
efficere prædiæ, ſita in *ſuo* territorio ita tri-
butaria, ut ſi poſtea ad *Eccleſias* pervenerint,
obnoxia ſint *collectis* poſtea imponendis. Ra-
tio eſt: quia ſic indirecte *perageretur* contra
libertatem eccleſiaſticam, *quod* directe om-
nino prohibitum eſt *c. quæ in eccleſiarum. 7. de
conſtit. auth. caſſa eod. de* SS. *Eccleſ.* Nec re-
fert, quod prædia eo tempore, quo totum
territorium redditur tributarium ſint ſub
jurisdictione talis principis, conſequenter &
ipſa effici tributaria poſſint. Nam hoc pro-
cedit *tamdiu* tantum, quamdiu *capacia* ſunt
onerum, quæ ex vi jurisdictionis ejusdem
imponuntur: cum ergo quamprimum ad
eccleſiaſticos tranſeunt, ſubducantur ex hac
jurisdictione (niſi pacto ſpeciali hoc expri-
matur) ſtatim *fiunt* incapacia onerum, quæ
ex iſto titulo imponuntur, P. Schmalzgr. *l.
c. n. 50.*

ARTICULUS II.

Quænam loca & perſonæ gaudeant immunitate eccleſiaſtica, ſeu jure aſyli?

451 PRænotandum : Immunitatem *localem* quoque conſiſtere in *jure aſyli*, ne nempe delinquentes ad loca *ſacra* confugientes inde per vim *extrahantur*. Non eſt juris naturalis, aut *Divini*, ſaltem in novo Teſtamento (ſiquidem utrumque ſtatuat crimina eſſe coercenda ; & *reverentia* locis ſacris jure Divino & naturali debita *ſatis* obſervetur, quod actus *profani* & ſæculares inde arceantur) ſed *humani* duntaxat ; quamquam ad *imitationem* veteris legis, atque inſtinctu Divino *acceptaque* à Deo authoritate per *canonicas* ſanctiones conſtitutum ſit, *quod* tantum, & non *plus* vult dicere Tridentinum *ſ. 25. c. 20. de refor.* Quænam loca & perſonæ jure hoc gaudeant reſolvent concluſiones ſequentes : è quibus ſit

452 CONCLUSIO I. Hoc jure & privilegio aſyli gaudent *omnes Eccleſiæ*, etiam *nondum* conſecratæ, vel benedictæ, etiam conſtrui ſolum cœptæ, *pollutæ* quoque & interdictæ, item Eccleſiæ atrium, *turris* ſacriſtia, ambitus, & quidem ad 30. vel. 40. usque paſſus (ſed hæc diſtantia in praxi non obſervatur) item *cœmeterium* legitime erectum, etiam templo *non-condignum* : inſuper *Monaſteria*, & domus

domus religioſorum, horti, areæ, ædes &c. *intra* ſepta monaſterii exiſtentes: oratoria & *capellæ* authoritate Epiſcoporum cultui Divino deputatæ, etſi exiſtant in *privatis* ædibus, Hoſpitalia authoritate Epiſcopi erecta cum altari ad celebrandum, tabernaculum, in quo aſſervatur actu Euchariſtia; & palatia Epiſcoporum. *Ita communis ex can. 6. ſeqq. 20. 21. 36. cauſ. 17. q. 4. c. 9. final. h. t. c. 4. de relig. dom l. 3. cod. de his qui ad eccl. cod. de epiſc. & cler.*

Probatur: Hæc *immunitas* habenda eſt 453
pro *favorabili*, utpote privilegium Principis, & quidem principaliter reſpiciens favorem *publicum* religionis: ergo eſt latiſſimæ interpretationis, per *c. 30. de privil. c. 16. de V. S.* &c. conſequenter *Eccleſia* hoc loco debet late excipi; ſicque nomine *ejus* intelliguntur omnia enumerata. Quin, ex hoc principio non eſt neceſſe, ut quis confugiat in ipſam Eccleſiam, ſed ſufficit, ſi Eccleſiam *clauſam* inveniens, ejus januam aut etiam *muros* apprehendat; nam immunitas cenſetur adhærere loco ſacro: ergo.

CONCLUSIO II. Immunitate aſyli gau- 454
dent *omnes Chriſtiani* utriusque ſexus, qui *confugiunt* ad Eccleſiam, rei alicujus criminis, quod mortem, mutilationem, aut pœnam æquivalentem, vel carcerem, aut vincula promeretur, in ordine ad effectum, ut recipi debeant, & eſſe ſecuri in ſua *perſona*: niſi nimirum rei ſint criminis excepti,

& privantis aſylo. *Iterum communis ex l. 1. 6. cod. de his, qui ad eccl. c. 6. h. t. can. 36. conſtit. cum alias Greg. XIV.*

455 Probatur ratione priore: Nam *hæc* immunitas eſt *favorabilis*; ergo quoque *latæ* interpretationis, conſequenter ad omnes Chriſtianos extendenda, etiam ſi eſſent *excommunicati*, vel *interdicti* (quia in jure nullibi exprimitur, quod *cenſura* privet immunitate) aut etiam *hæretici*, ſi ob *aliud* crimen quam hæreſeos ad Eccleſiam confugiant: quia *hæreſis* hic ſe habet per *accidens*; per baptiſmum autem contrahitur obligatio ad *leges* Eccleſiæ; ergo & ad *favores*. Judæi Interim aliique non-baptizati (niſi ad Eccleſiam confugiant animo ſe *convertendi* ad fidem catholicam) hac immunitate probabilius *non* gaudent: quia ita deciſum in Jure Civili *l. 1. cod. de his, qui ad eccleſias confugiunt*; quæ lex *non* reperitur à jure Canonico correcta, imo potius approbata in *c. inter alia de immunit. eccl.* nam *indignus* eſt, ut ab Eccleſia *defendatur*, qui Eccleſiam contemnit. *arg. c. ult. de immunit eccle.*

456 CONCLUSIO III. Aſylo non gaudent rei criminum exceptorum, quæ ſpecificantur in Bulla Grgorii XIV. ſuntque ſeptem ſequentia, *latrocinium* & graſſatio viarum depopulatio *agrorum*, *homicidium* vel mutilatio in loco *ſacro*, homicidium *proditorium* aſſaſinium, *hæreſis*, & crimen læſæ Majeſtatis. *Rurſum communis* DD. *ex c. inter alia de immunit. eccl. & cit. Bull.* Pro

Probatur & explicatur: 1. Itaque aſylo 457
non gaudent publici *latrones* (qui reſiſtentes exſpoliandos *occidunt*) & viarum *graſſatores*, qui homines in viis aggrediuntur, & vi exſpoliant *absque* cæde. 2. Notorii depopulatores agrorum ſeu ſegetum, vinearum &c. 3. Occidentes vel mutilantes in ipſis locis *ſacris*, ſive tantum occiſus intra exiſtat (quia tunc revera alterum occidat *in* Eccleſia) ſive ſolus occidens; nam taliter ſaltem inchoatur homicidium in *Eccleſia*. In *hac* committentes alia crimina, etiam furtum non privantur immunitate, ut fuſius tradit P. Pichler *in Jur. pract. l. 3. t. 49. deciſ. 122.* 4. Occidentes *proditorie*, nempe ſub ſpecie amicitiæ, vel ſaltem nulla præcedente inimicitia, *à tergo*, de nocte, per *inſidias* &c. ita ut occiſus præcavere non potuerit: hinc procuratio *abortus* probabiliter non eſt homicidium *proditorium*. 5. Aſſaſini; nempe tam ille, qui occiſorem promiſſo pretio *conducit*, quam qui *conducitur* & occidit. 6. *Hæretici*, qui propter ipſum hæreſeos crimen ad Eccleſiam ſe recipiunt; quod tamen in noſtra Germania, ubi crimen certarum hæreſum nihil timet à judice ſæculari, non procedit, ait P. Pichler *hic n. 5.* 7. Denique rei criminis *læſæ* Majeſtatis in *perſonam* ipſius principis, hunc percutiendo, vulnerando, hoſtiliter inſequendo &c. ſecus dicendum eſt de offendentibus *ſtatuam* principis, ejus filios, legatos &c. aut cudentibus *falſam* monetam,

ſaltem probabiliter &c. etſi tales quoque re ſunt criminis læſæ Majeſtatis. *Vid. n. 463.*

458 Objicies 1. cont. 1. concl. Immunitas aſyli impunitatem delictis præſtat (: ℞. d. a. *per ſe* n. per *accidens* nempe intuitu religionis & ex reverentia erga loca *ſacra* c. vel ſubd. præſtat impunitatem *omnibus* delictis n. *aliquibus* & quidem tantum quoad *aliquid* c. nam in ſalvo relinquit pœnas pecuniarias, confiſcationes bonorum, proſcriptiones &c. :) ergo eſt noxia Reipublicæ; conſequenter ſtrictæ interpretationis.

459 Ob. 2. urg. Bonum publicum exigit puniri ſcelera (: ita tamen, ut quoque, imo *magis* exigat, Eccleſias non violari per *violentam* ad eas confugientium *extractionem* c. ſecus n. Etenim etiam Eccleſiarum *favor* publicus eſt, aliis præferendus; cum *ſumma ſit ratio quæ facit pro religione. l. 43. ff. de relig. & ſumpt. fun.* :) econtra immunitas cedit in favorem *privatorum* tantum: ergo bonum publicum debet præferri, eſtque magis favorabile quam privatorum.

460 Ob. 3. Si ſuper *tectum* templi, aut in ejus turri vel ſacriſtia, ſive *ſubtus* Eccleſiam in caverna committitur injurioſa ſanguinis vel ſeminis humani effuſio, non *polluitur* Eccleſia ex *gloſſ. in c. unde conſecr. Eccl. in 6.* ergo dicta loca neque gaudent jure *aſyli* (: n. c. Quia *ibi* verſamur in materia *odioſa*; hic autem in *favorabili*; nam odia reſtringi, & favores convenit ampliari, juxta *regul. 15. jur. in 6.*

Ob. 4

Ob. 4. *Rei* communiter *non* fugiunt ad 461
Eccleſias, etſi tot dentur, ſed plerumque ad *Monaſteria* (: & hoc ob majorem *commoditatem* c. ſecus n. :) ergo putant *non omnes* Eccleſias habere jus aſyli. Deinde: ſi omnes Eccleſiæ hos jus habent, multo magis habebit *SS. Eucbariſtia*; conſequenter ſi reus confugeret ad portantem SS. Euchariſtiam, ſeque immiſceret hanc *comitantibus*, gauderet immunitate: atqui *hoc* non videtur verum; ergo. m. p. Secus etiam captivus, ſumens SS. Euchariſtiam, ſe poſſet ponere in ſtatu immunitatis (: n. S. captivus enim non poteſt ad eam *fugere*, eoipſo, quod ad ipſum *portetur*, ut illa reficiatur :) Reiffenſt. *num.* 14.

Ob. 5. cont. 2. concl. *Excommunicati*, vi- 462
tandi ſaltem, ne quidem Eccleſiam *ingredi* permittuntur: ergo multo minus ab hac *proteguntur* jure aſyli (: n. c. Quia ratione hujus adſunt materialiter tantum, ut ſint ſecuri :) Præterea: Religioſi & *clerici* non gaudent jure aſyli; ergo non omnes Chriſtiani. a. p. Conſtitutio Greg. XIV. de Religioſis & Clericis, *nullam* mentionem facit; ergo *jure* illo non gaudent (: contra judices & Superiores ſuos *eccleſiaſticos*, ne afficiantur pœnis eccleſiaſticis, v. g. incarceratione &c. c. contra judices *laicos*, ita ut his extradi poſſint à ſuis Superioribus, n. Non enim debent eſſe deterioris conditionis quam laici: præſertim quia dicta conſtitutio generaliter

loquitur, *non* diſtinguendo inter clericum & laicum :) *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 3. t. 49. n. 165.*

463 Ob. 6. cont. 3. concl. In *Bulla* Benedicti XIII. *ex quo Divina. 1725. 15. Jun.* publicata ab aſylo excluduntur etiam *conflantes*, adulterantes, aut *tondentes* quaſcunque monetas, hasque *expendentes* : item omnes proximum ſuum præmeditate & *deliberate* interficientes &c. ergo adhuc alii *præter* ſpecificatos in concluſione tertia, non gaudent jure aſyli (: n. c. Quippe de *Bulla* illa Benedictina utrinque acriter concertatur, an in Germania obli-

464 get. Certe hujus obligationem iterato non agnoſcit ingens Germaniæ Canoniſta, P. Pichler, etiam in operibus, quæ *poſt* Bullam illam edidit, nempe *in Compendio l. 3. t. 49. n. 6.* & *in Jur. Can. pract. explic. cit. l. 3. t. 49. deciſ. 122. ad 5.* item ibid. *l. 5. t. 36. deciſ. 81. per tot.* fuſiſſime ſolidiſſimeque. Pro *praxi* tamen notanter addens, quod, ſi quis ſit in aſylo, qui *præmeditatum* homicidium commiſit, talis poſſit quidem *extradi* ; quia extradens ſe poteſt *conformare* ſententiæ *contrariæ*; aut conſtitutionem illam libere acceptare: at *obligationem* non eſſe, quia non eſt obligatio *acceptandi* illam conſtitutionem, *nondum* promulgatam :)

465 Quæres 1. Quænam ſint privilegia *aſylorum* ſeu commoda reorum ad Eccleſias confugientium? ℞. Sequentia: 1. Reus in loco ſacro nequit capi, nec *invitus* extrahi. *c. definivit. 17. q. 4. c. inter alia. de immunit. eccl.* Si

ſpon-

ſponte egrediatur, immunitas non violatur; bene tamen, ſi verbis *doloſis*, ficta promiſſione de impunitate ad id inducatur. 2. Quamdiu in aſylo eſt, *non* poteſt ad mortem, vel aliam pœnam corporalem *condemnari*: bene vero ad mulctam pecuniariam, vel aliam ſatisfactionem. *c. reum. 17. q. 4. &c.* Nihilominus, teſte P. Wieſtner *l. 3. t. 49. num. 157.* conſuetudine in aliquibus locis receptum eſt, ut *Curia* ſæcularis contra exiſtentem in aſylo procedat per *inquiſitionem* & *citationem*, atque in non- comparentem, habita ſufficiente probatione delicti, *ſententiam* ferat; licet exequi pœnam, ſi capitalis ſit, non valeat. 3. Nequit prohiberi, quo minus ad reum *neceſſarius* victus & veſtitus deferatur. *l. præſenti. cod. de his, qui ad eccleſias confugiunt.* Secus enim cogeretur *fame* perire, aut exeundo ſe tradere. Nihilominus prohibitum non eſt ponere *cuſtodias* circa Eccleſiam, ne reus libere effugiat; aut fugiens, capi queat. 4. Rei ad Eccleſias fugientes *recipiendi* ſunt, neque excludi aut repelli poſſunt: quia clerici, præſertim Rectores *Eccleſiarum*, tenentur *harum* jura tueri. Hinc ſi neceſſaria vitæ à ſe vel ſuis non habeant, eisdem ceu pauperibus ab Eccleſia ſunt ſubminiſtranda; pro quibus in commodum Eccleſiæ, *laborare* debebunt. 5. Denique reus ad Eccleſiam confugiens, nequit *ſpoliari* rebus, bonisque ſuis, quæ *ſecum* attulit. *arg. c. definivit. 17. q. 4.* niſi arma *prohibita*, aut bona *aliena* ſecum tuliſſet. Quæ-

467 Quæres 2. Quomodo peccent, qui *immunitatem* eccleſiaſticam *violant*? ℞. Judex ſæcularis mandans extrahi aliquem ex aſylo, qui eo gaudet, item miniſtri extrahentes, & quicunque cooperantes non tantum peccant contra religionem & juſtitiam; ſed etiam incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non ſunt abſolvendi, niſi prius extractum reſtituerint Eccleſiæ & loco, è quo extraxerunt. *can. 6. 8. 10. 35. cauſ. 17. q. 4. conſtit. Greg. cit.* De jure Civili ſtatutum eſt ultimum ſupplicium. *l. 2. & 6. cod. de his, qui ad eccl. confug.* quamvis hæc pœna non ſit in uſu; & punitio hujus criminis relinquatur foro canonico: ſicut *cognitio* & *judicatio* ad Epiſcopum ſpectat. P. Pichler *l. c. n. 8.*

468 Quæres 1. Quid ſit obſervandum circa *extractionem* reorum, privilegio aſyli non gaudentium? ℞. Caſu, quo *dubium* eſt, an confuga ad Eccleſiam ſit reus delicti *excepti* (imo & quando certum eſt quod crimen ſit exceptum, aſyli privativum) tamen extradi vel extrahi *non* poteſt, niſi deſuper cognoſcat & pronuntiet Epiſcopus, ad quem hæc *cognitio* privative pertinet. Quodſi *certum* ſit crimen eſſe exceptum, (vel etiam dubium ex indiciis *valde magnis* pro delicto excepto) ac judex ſæcularis extraditionem *petat*, debet Rector Eccleſiæ, requiſitus à curia ſæculari, talem reum caute *cuſtodire*, adhibito etiam carcere, donec cauſa ab Epiſcopo decidatur. Si poſtmodum hæc *deciſio* ſequatur, judex *ſæcu-*

laris

laris necdum poteſt eum extrahere, niſi *Epi-ſcopus* dederit licentiam, & intervenerit per-
ſona Eccleſiaſtica. Denique, ſi vel Epiſco- 469
pus *nollet* dare licentiam extrahendi, notorie reum delicti excepti, vel Rector Eccleſiæ, poſt datam licentiam extrahendi, *recuſaret* extradere, ac intervenire, tunc poſſet *judex* laicus delinquentem nihilominus *extrahere*, minori tamen, quo id fieri poterit, ſcandalo & tumultu. Ita communis ex citata conſtitutione Gregoriana: cui *Benedictina* ſuperaddit, quod quando *moraliter* credibile eſt, crimen eſſe exceptum, delinquens poſſit, ac debeat extradi judici ſæculari exigenti, modo iſte in forma juris valde ſe obliget ad eum Eccleſiæ reſtituendum, ſi poſtea diluantur indicia, ex quibus delictum apparebat exceptum. P. Pichler *l. c. n.* 7.

QUÆSTIO II.

DE INDULGENTIIS.

ARTICULUS I.

Quid requiratur ex parte concedentis indulgentias? & quid ex parte lucrantis?

PRænotandum 1. Indulgentiam commu- 470
niter definiri, quod ſit remiſſio *pœnæ*

tem-

temporalis, peccatis actualibus, quoad culpam jam remiſſis, coram DEO adhuc *debita*, ab habente poteſtatem, *facta per applicationem ſufficientis* & *condignæ ſolutionis* ex communi *theſauro Eccleſiæ*. Dari autem in Eccleſia ejusmodi *theſaurum* ſpiritualem, conſtantem ex meritis Chriſti, & ſatisfactionibus Sanctorum, qui nunquam exhauriri, ſed per legitimam *indulgentiarum* conceſſionem *diſpenſari* poſſit, fatentur omnes Catholici; & patet tum ex perpetua *traditione* ac ſenſu Eccleſiæ; tum ex *extrav. unigenitus. de pœnit. & remiſſ.* tum *ex Concil. Trid. ſ. 25. in decret. de indulg.* Theſaurus hic itaque *inexhauribilis* eſt, ob merita Chriſti, quæ *infiniti* valoris ſunt. Cui accedunt innumera *merita* Sanctorum: idque tum propter valorem *generaliſſimum* qui in omni *bono opere* reperitur, atque univerſali Eccleſiæ obvenit: tum quia plurimi Sancti uberiora bona opera & ſatisfactoria peregerunt, plusque paſſi ſunt, quam opus fuerit pro remiſſione *pœnæ temporalis* eorum peccatis debitæ; ut patet in B. V. M. nullius peccati macula unquam contaminata, in S. Jo. Bapt. jam ſanctificato in utero materno. Circa hæc

471 Prænot. 2. *Merita* ſeu ſatisfactiones *Sanctorum* reponi in *theſauro* Eccleſiæ, non quaſi ſatisfactiones Chriſti non ſufficerent (ſiquidem hæ ſint infinitæ) ſed ex *dignatione* Divina, ne alioquin ipſæ quoad vim *ſatisfactoriam* maneant irremuneratæ; ſimulque quia hoc ipſum

ipſum *Chriſto* perquam *glorioſum*; cum ab ipſo omne bonum Sanctorum promanet. Porro hic theſaurus ſpiritualis & moralis (adeoque nullo loco materiali indigens) ſi ſpectetur, quatenus conſtat ex meritis Chriſti, diſpenſatur & applicatur nobis *variis* modis, vid. per *Sacramenta*, per *Miſſæ* ſacrificium, per alia pia opera, ipſasque indulgentias: quia quoties nobis aliqua culpa vel pœna remittitur, vel gratia confertur, id fit *virtute* meritorum & paſſionis *Chriſti*. Si autem ſpectetur prout ſimul conſtat ex meritis Sanctorum, tunc *duntaxat* per *indulgentias* diſpenſatur: quia *Sacramenta* & *Miſſæ* ſacrificium, ſuam dignitatem & valorem ex opere operato habent duntaxat ex meritis & paſſione Chriſti, utpote qui *ſolus* eſt Redemptor noſter.

Prænot. 3. Indulgentias, quoad quantita- 472
tem pœnæ quæ per eas remitti poteſt, dividi in *plenarias* ſeu totales (quæ tollunt *omnem* pœnam *temporalem* ob peccata quoad culpam dimiſſa exſolvendam in hac vel altera vita; quæque ſubinde dicuntur *pleniores*, ſi *extraordinariam* poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis annexam habeant: ſubinde etiam *pleniſſimæ*, ſi inſuper iis *diſpenſatio* in votis, & hujusmodi vinculis ſuperaddita eſt, prout ſolet fieri in *jubilæis*) & in *non-plenarias* ſeu partiales, quæ ſolum tollunt *partem* pœnæ illius, eamque vel *indeterminatam*, v. g. tertiam vel quartam pœnæ partem; vel *determinatam*, v. g. 20. 40. dierum, 7. 10. 100. 1000.

473 1000. annorum. Si indulgentia ſit 40. dierum, appellatur *quadragena* (qua deletur pœna tanta, quanta fuiſſet deleta per jejunium 40. dierum, olim ab Eccleſia pro certis peccatis ſtatutum) vel *carena*, qua exſolvitur pœna tantum, quantum per jejunium in ſolo pane, & aqua peractum. Si ſit indulgentia 7. annorum vocatur ſeptena, per quam remittitur pœna, quæ deleri potuiſſet per 7. annorum jejunium & ſic de cæteris. Unde quando conceditur indulgentia v. g. decem 1000. annorum, non eſt ſenſus quod totidem anni pœnæ purgatorii remittantur, (tamdiu enim purgatorium, quod poſt diem judicii extremi mox ceſſabit; veriſimiliter non durabit) ſed ſenſus antea explicatus: quantum pœnæ purgatorii autem remittatur, aut remiſſum ſit per dictas pœnitentias eccleſiaſticas v. g. per carenam? DEUS novit.

474 Prænot. 4. Indulgentias ratione *ſubjecti* ulterius dividi in *perſonales* (quæ directe conceduntur alicui *perſonæ* determinatæ, vel *toti* Religioni, aut Confraternitati &c.) in *reales* (quæ in ordine ad homines lucraturos conceduntur certis *rebus* mobilibus, granis, crucibus, roſariis &c.) & in *locales*, quæ alicui *pio loco* conceduntur, nempe pro fidelibus in tali loco opera præſcripta peragentibus. Cæterum dari in Eccleſia poteſtatem *concedendi* indulgentias, & per earum conceſſionem diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ, eſt de fide ex Trid. *ſ. 25. in decret. de indulg.*

dulg. & tit. extrav. unigenitus. ac patet: quia Chriſtus ei dedit poteſtatem generalem ſolvendi *quacunque vincula* remorantia à conſecutione vitæ æternæ, è *quibus* etiam eſt *pœna* temporalis. *Subjectum* indulgentiarum ſeu capaces harum ſunt *neque Beati* in cœlo (quia hi nullam pœnam temporalem adhuc reſtantem habent) neque *damnati* in inferno, (cum hi ſint in ſtatu diſgratiæ, & ultimo termino damnationis æternæ) neque *infantes*, aut perpetuo *amentes*; ſiquidem *hi* nullum peccatum actuale commiſerint. Inter *adultos* viventes illarum capaces ſunt omnes baptizati, & peccato *perſonali* quondam inquinati (cum ſolum *hoc* inducat pœnam temporalem) nunc in gratia conſtituti: per *quas* ipſis pœna temporalis remmittitur per modum *abſolutionis* ſecum habentis *ſolutionem* ex communi theſauro Eccleſiæ: quia per indulgentias hic diſpenſatur theſaurus Eccleſiæ; illinc autem in *diſpenſatione* requiritur *jurisdictio*, qua poſſit alterum *ſolvere*, & conſequenter ſimul intervenit abſolutio: *arg. c. quod autem. de pœnit. & remiſſ.* Reiffen. *tr. 12. d. 3. q. 4. n. 38.* Ex quo ulterius 475

Prænot. 5. Indulgentiarum capaces inſuper inter adultos *probabiliter* quoque eſſe Baptizatos etiam *excommunicatos*, per contritionem tamen juſtificatos, ſi per eos *non* ſtet ut Eccleſiæ reconcilientur: quia non amplius cenſentur *contumaces*: minime tamen *nondum* baptizatos, aut catechumenos; cum hi 476

hi non ſubjiciantur *jurisdictioni* Eccleſiæ, i
quam per baptiſmum necdum ingreſſi ſun
Animæ *defunctornm* in gratia, & ob pœnai
temporalem in purgatorio exiſtentes, ſur
capaces indulgentiarum (ut patet ex prax
Eccleſiæ, ſenſu fidelium, & illo articul
477 Symboli Apoſtolici: (*credo Sanctorum com
munionem*) non quidem per modum *abſolu
tionis* (quia hæc ſupponit jurisdictionem
qualem in defunctos Eccleſia non habet, cur
non amplius ſint ſuper terram) ſed per mo
dum *ſuffragii* (id eſt, *oblationis* meritorun
Chriſti & Sanctorum, per adjunctas *preces*
habentis tamen annexam *ſolutionem* ex com
muni theſauro Eccleſiæ; quamDeus acceptat
& quidem probabilius *infallibiliter* ſaltem ſe
cundum ordinariam Dei legem. Ratio eſt
quia ex una parte *qualibet* anima purgator
eſt *capax* indulgentiarum; cum exiſtat in ſta
tu gratiæ; ſitque Deo conjuncta per chari
tatem ex altera parte autem Deus non ſo
lel permittere, at preces Eccleſiæ ſint irritæ
ſimulque *communio* Sanctorum ſe ſe exten
dit etiam ad Eccleſiam *purgantem*; ergo: *Vi
cit.* Reiffenſt. *à n. 43.* P. la Cr. *l. 6. p. 2. à n
1351.* Nunc ad quæſtionem in Rubrica pro
poſitam ſit reſponſio, &

478 CONCLUSIO I. Solus S. Pontifex ha
bet ordinariam & univerſalem poteſtaten
concedendi quibusvis fidelibus, etiam de
functis, quaslibet indulgentias: at nec *va
lide* nec *licite* ſine juſta & *rationabili* cauſa

It

Ita omnes DD. *Catholici ex c. unigenitus. de pœnit. & remiſſ. int. extrav. com.*

Prob. 1. pars: In *omni* Republica bene 479
inſtituta Princeps ſupremus habet *jus* ordinarium ex communi *theſauro* providendi ſubditorum utilitati; ergo & S. Pontifex in *ſua.* Poteſt tamen quoque de jure communi *Epiſcopus* pro die Dedicationis indulgentias unius anni concedere, & pro ejus anniverſario, aliisquæ caſibus ob juſtam cauſam, duntaxat 40. dierum. *c. cum ex eo. de pœnit. & remiſſ. c. ult. eod. in 6.* Reliqui Prælati Epiſcopo inferiores nullam habent poteſtatem ordinariam etſi ſubinde habeant delegatam. la Cr. *n. 1323.*

Prob. 2. pars: Papa *non* eſt *dominus* the- 480
ſauri Eccleſiæ, ſed tantum diſpenſator. 1. *Cor.* 4. ergo ſi illum diſpenſaret *absque* juſta & *rationabili* cauſa, non foret diſpenſator ſed *diſſipator*, conſequenter non tantum *illicite*: ſed quoque *invalide* ageret. Cauſa *juſta* autem non eſt ſola *utilitas lucrantium*, ſed præterea requiritur *alia* cauſa finalis *extrinſeca*, uti præcipue eſt ea, quæ redundat in utilitatem *Eccleſiæ*, bonum *commune*, & SS. gloriam. Reiffenſt. *n. 32.* P. Pichler *l. c. n. 9.*

CONCLUSIO II. Ex parte volentis lu- 481
crari indulgentias, requiritur ſtatus *gratiæ*: ac *executio* operum præſcriptorum. *Rurſum communis.*

Prob. 1. pars: Homo exiſtens in ſtatu 482
peccati *mortalis* adhuc habet *culpam* peccati:

 ergo

ergo ejus *pœna* temporalis eidem remitti non poteſt; ſiquidem *hæc* debeatur peccato tantum *remiſſo*. Nihilominus ſufficit magis probabiliter, ſi ſit in ſtatu gratiæ, dum *ultimum* opus præſcriptum, aut ultimam ejus partem perficit. P. Reiffenſt. *n. 33.* & *ibi citati.*

483 Prob. 2. pars: S. Pontifex non concedit indulgentias niſi ſub *conditione* hujus vel illius *operis* adimplendi; ergo ſi *hoc* non impletur, indulgentia non obtinetur. Quoad *intentionem* eſt communis perſuaſio etiam apud confeſſarios (ait P. la Cr. *1324.*) ſi intentio orandi facienda ſit pro *certis* neceſſitatibus in Bulla expreſſis, ſatis eſſe, ſi quis intendat orare ad *intentionem Eccleſiæ.* Et quamvis aliqui velint, quod in perſolutione operum præſcriptorum ſufficiat intentio *interpretativa* aut habitualis, in praxi tamen *conſultius* eſt habere actualem, aut virtualem, intendendo lucrari indulgentias annexas operibus faciendis, ut conſulit P. Viva.

484 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Si requiritur *jurisdictio* ad conceſſionem indulgentiarum pro *vivis*, tunc Papa non eſt capax indulgentiarum: atqui videtur inconveniens; ergo. S. M. p. Papa in ſeipſum non poteſt exercere *actum* jurisdictionis (: ℞. d. a. *contentioſæ* c. *voluntariæ.* n. Hæc enim non requirit diſtinctionem perſonarum, ſed in ſeipſum exerceri poteſt :)

485 Ob. 2. Si Papa habet poteſtatem concedendi indulgentias etiam pro *defunctis*, tyrannus eſt, ſi per indulgentias paſſim conceſſas

non

non evacuet *totum* purgatorium, & animas, ſi poſſit, non liberet *ſtatim* à tam gravibus pœnis (: n. S. Quia non ſemper adeſt cauſa *ſufficiens*, ut Papa applicet theſaurum Eccleſiæ pro *defunctis* :) atqui ſequela iterum non admittitur; ergo.

Ob. 3. cont. 2. part. Papa *valide* diſpenſat in lege *jejunii*, valide *abſolvit* ab excommunicatione, ac ſimilium pœnarum *remiſſiones* valide facit, licet id faciat *absque* juſta cauſa: ergo & *valide* concedit *indulgentias*, etiam ſine juſta cauſa (: n. c. Nam illas diſpenſationes, abſolutiones, & remiſſiones facit circa rem *quaſi ſuam*, & ſuæ liberæ diſpoſitioni relictam, ac tanquam *dominus*: indulgentias autem concedit ſolum ut *diſpenſator*, applicando ſatisfactiones Chriſti, adeoque *alienas*, non liberæ ſuæ diſpoſitioni relictas :) 486

Ob. 4. Multa fieri *prohibentur*, quæ tamen facta *tenent* (: ſi fiant ab eo, qui habet *liberam* poteſtatem diſponendi, & aliunde non ſint irritata c. ſecus n. :) ac *roboris* obtinent firmitatem. *c. 16. de regul.* ergo & conceſſio indulgentiarum, facta tenebit, etſi absque juſta cauſa fieri prohibeatur. 487

Ob. ult. Nunquam poteſt *deeſſe* juſta cauſa; cum utique ſufficiens cauſa ſit, *hominem* liberari *à pœna*, alias in purgatorio ſuſtinenda, quæ eſt *graviſſima* (: n. ſupp. quod ſufficiat talis cauſa finalis *generalis* & à fine *non* diſtincta: ſecus quoque ſtatim *quodlibet* 488

votum aut *juramentum* diſpenſari poſſet abſque juſta cauſa :) ergo ex defectu cauſæ nunquam poteſt invalida eſſe conceſſio indulgentiarum *Vid.* P. Pichler *l. 5. 38. n. 24. in fol.*

489 Quæres 1. Utrum ad lucrandus indulgentias ſemper ſit neceſſaria *confeſſio* ſacramentalis ? ℞. Negative, ſi in conceſſone indulgentiarum non eſt præſcripta; imo neque dum *præſcripta* eſt, ſi non adſit peccatum *mortale*; quia quando confeſſio præſcribitur vel præcipitur, ſemper intelligitur confeſſio mortalium, ex dictis *n. 349.* adeoque videtur exigi non tanquam *opus injunctum*, ſed ſolummodo tanquam *diſpoſitio* ad gratiam, aut S. *communionem*, *quæ* ſimul frequenter præſcribitur. Sufficit autem *unica* confeſſio & communio ad lucrandas *plures* indulgentias, eodem die in *diverſis* Eccleſiis conceſſas: imo etſi ſecunda indulgentia primum intra *quatuor* dies circiter occurat. Eodem opere tamen non poſſunt diverſæ indulgentiæ obtineri (quia ad ſingulas illas indulgentias requiritur cauſa *propria* & diverſa, ſimulque oratio *directe* præſcribitur pro ſingulis indulgentiis) niſi forſan illæ eſſent conceſſæ per modum unius, ut cum viſitanti talem Eccleſiam, conceduntur indulgentiæ omnium Eccleſiarum Urbis. P. Reiffenſt. *tr. 12. d. 3. q. 5. à n. 48. usque 56.*

490 Quæres 2. Utrum poſſit *ſæpius* obtineri eadem indulgentia, *repetito* opere injuncto ? ℞. Negative, ſi indulgentia concedatur pro certo

erto duntaxat die: ita enim declarat decretum S. Congreg. ab Innoc. XI. approbatum 1678. 7. Mart. Dum fideles opus *repetunt*, faciunt id ad *certius* lucrandam indulgentiam. Aliud eſt, ſi indulgentia ſit *perpetua*, & opus injunctum repetatur *diſtinctis* diebus. Item aliquid ſpeciale habet indulgentia *Portiunculæ*; quæ probabiliter poteſt obtineri toties quoties, illo die nempe 2. Auguſti: quæque poteſt applicari non tantum defunctis, ſed etiam vivis, ut docet P. Kreſslinger apud P. Reiffenſt. *n. 64.* Si omittatur de opere in- 491
juncto *pars levis* tam in ſe quam reſpectu operis injuncti, indulgentia probabilius adhuc obtinetur (quia ſic opus injunctum adhuc quoad *ſubſtantiam* præſtatur; parum enim reputatur pro nihilo) ſecus ſi omittatur pars *notabilis*. Quodſi quis non poſſit *intrare* Eccleſiam vel ob multitudinem hominum, vel quia eam clauſam reperit, attamen adhuc poteſt lucrari indulgentias conceſſas orando *ante* foret, vel in cœmeterio: quia talis cenſetur *moraliter* viſitare Eccleſiam, & in ipſa orare; ſimulque nomine *Eccleſiæ* in favorabilibus venit quoque *cœmiterium*. Ad viſitanda *Altaria* tamen requiritur ingreſſus in Eccleſiam, & ſaltem *converſio* ad quodlibet eorum: nam motus *localis* ſimpliciter neceſſarius non eſt *Vid* P. Reiffenſt. *à n. 56.* P. Gobat *in Quin. tr. 4. à n. 203.*

Quæres 3. An ſi *feſtum* transferatur, transferantur quoque *indulgentiæ*? ℟. Negative:

ve: quia indulgentiæ ſunt affixæ *illi* diei, in quo ordinarie eſt *feſtum*, prout declaravit S. Rit. Congreg. in decreto, 10. Jun. 1690. edito: *Translato feſto, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur etiam indulgentia, niſi ex conceſſione ſpeciali*: quam habet Societas JEſu circa feſtum S. Franc. Xaverii, teſte P. la Cr. *l. 6. p. 2, 1376.* Putat tamen P. Kreſslinger *hic n. 63.* quod quando eſt tale feſtum, in quo debet *abſtineri* ab operibus *ſervilibus*, hocque transferatur tam quoad *chorum* quam *forum*, tunc quoque transferri indulgentias: nam, teſte S. Pio in Bull. 34. ad *talia* feſta fori indulgentia conceditur, ut eadem ſit ad *uſum* & *devotionem* populi. Quoad *ceſſationem* indulgentiarum advertendum, eas inprimis ceſſare elapſo tempore, vel deficiente conditione, ſub quâ ſunt datæ: deinde deſtructo loco, aut re fracta, cui fuerunt affixæ: minime tamen per mortem concedentis &c. P. Kreſslinger *n. 66.*

493 Quæres 4. Quænam indulgentiæ per Paulum V. revocatæ, & de novo Regularibus conceſſæ ſint? ℟. Generatim loquendo per Bullam Pauli V. revocatæ ſunt illæ ſolæ indulgentiæ, quæ *directe* & principaliter conceſſæ fuerunt ipſis *Religioſis* & Monialibus (eoquod de his *ſolis* loquatur Bulla) v. g. quoties Religioſi dicerent Pſalmum *Miſerere* &c. Adeoque per illam revocatæ non ſunt, quæ *promiſcue* concedebantur Religioſis & ſæcularibus: neque quæ conceſſæ ſunt *univerſis*

Chriſti

Chriſti fidelibus, viſitantibus in certis feſtivi-
tatibus *Eccleſias* Regularium: neque quæ *in-*
tuitu Religioſorum conceſſæ ſunt ſæcularibus,
aut *ipſis* Religioſis pro animabus *purgatorii*:
nam tales non fuerunt *directe* conceſſæ ipſis
Regularibus. Loco *revocatarum* autem idem
S. Pontifex de *novo* omnibus Regularibus
conceſſit indulgentias plenarias in ſuſceptione
habitus regularis, in *Profeſſione*, in *primario*
feſto Ordinis, in *primitiis* (non tantum pri-
mitianti, ſed quoque *aliis* Religioſis, qui
confeſſi & communicati Miſſæ illi interfue-
rint) in *exercitiis* octiduanis, & in *articulo*
mortis. Præter has conceſſit indulgentias 494
ſtationum (nempe quoties hæ in Miſſali adſcri-
ptæ ſunt, juxta decretum S. Congreg. 7.
Mart. 1678.) & plures alias, apud cit. Reiff.
à n. 73. & P. Viva in *Append. ad jubil. §. 3.* ubi
præter alias, quas cum aliis fidelibus commu-
nes habent (inter quas ſingulariter notanda
eſt indulgentia plenaria quotidie per recita-
tionem conſuetæ *ſalutationis* ſub pulſu cam-
panæ *veſpere*; de qua in Theol. Schol. *Part. 8.*
à n. 426.) enumerat quam plurimas. Potio-
res ex illis ſunt 1. Quod *Regulares* recitando
ſexies *Pater* & *Ave* cum *Gloria* coram *SS. Sacra-*
mento lucrari poſſint omnes indulgentias Ro-
manas, Jeroſolymitanas, Compoſtellanas,
& Portiunculæ, tam plenarias quam non
plenarias. 2. Quod inviſendo *propriam* Ec-
cleſiam, ibique vocaliter *orando* coram *Vene-*
rabili ad intentionem Pontificis obtinere va-

leant omnes indulgentias, quæ eo die *aliis* Eccleſiis *illius* loci, in *quo* morantur, conceſſæ ſunt. Vide plura in citato Authore; & in citata Theol. noſt. Schol. *à n. 427.*

495 Quæres 5. Quid nuper Benedictus XIII. ordinaverit circa prædictum *pulſum*, ubi recitatur *Angelus Domini?* ℞. Hunc S. Pontificem in Brevi, *injunctæ nobis*, edito 14. Sept. 1724. conceſſiſſe de novo indulgentias perpetuas illud *Angelus Domini* cum tribus *Ave Maria* recitantibus, mane, aut meridie, ſeu veſpere. Et quidem tales recitantes *inprimis* quoties id egerint (præmiſſa, ſi in gravi peccato fuerint, contritione) lucrantur indulgentias 100. dierum. Deinde *quolibet* menſe ſemel indulgentias plenarias, ſi confeſſi & S. Communione refecti conſuetas pro lucrandis indulgentiis preces perſolverint. Additur ibidem, ut dicta ſalutatio Angelica dicatur *flexis genibus*: ubi tamen utique exceptum intelligitur *paſchale* vel aliud *ſimile* tempus, in quo iſta devotio juxta præſcriptum Eccleſiæ *ſtando* peragi debet. Ita P. Kreſslinger ſub *n. 75. addit. 1.* Quænam indulgentiæ ab Innoc. XI. declaratæ ſint apocryphæ, videri poterit ad initium mox citati *n. 70.* In numero ſequenti pariter videndum erit, quænam indulgentiæ poſt novam informationem ſoleant de facto ordinarie Romæ concedi Eccleſiis, vel Altaribus? & quomodo practice petantur? ubi etiam de notabilioribus quibusdam *clauſulis* quæ nonnullis Brevibus apponi ſolent.

Quæ-

Quæres ult. An ſequens opinionem *proba-* 496
bilem in acquiſitione indulgentiæ vel jubilæi, lucretur à parte rei indulgentiam, vel jubilæum, hujusque favores & gratias? ℞. Affirmative: nempe probabile eſſe, quod ad lucrandas indulgentias ſufficiat *opinio probabilis* tam circa conceſſionem indulgentiæ, quam circa opera injuncta. Ratio eſt: quia Papa in *Sacramento* pœnitentiæ confert *jurisdictionem*, quando de ea habetur opinio *probabilis*; ergo & in noſtro caſu confert indulgentiam, quando de ea lucranda habetur opinio probabilis, ſiquidem etiam hic agatur de *bono* animarum *communi* & privato. Deinde: quilibet dicitur ſatisfacere, ſi ponat opus præceptum juxta probabilem opinionem, quod etiam à DD. communiter admittitur: ergo injunctio operum in Bullis indulgentiarum vel jubilæi eſt, ut ponantur juxta *probabilem* opinionem; atque adeo, qui juxta probabilem opinionem exequitur opera injuncta, exequitur quidquid intendit Pontifex; conſequenter quoque *favores* indulgentiæ & jubilæi conſequitur, ita ut ipſe à reſervatis *licite* abſolvi, & vota ipſius commutari queant.
Nam in materia Sacramentorum ibi tantum 497
non eſt licitum ſequi probabilem, ubi agitur de materia & forma Sacramentorum, ab Eccleſia non ſupplebili; bene tamen in aliis, quæ ab Eccleſia ſuppleri poſſunt, qualiter ſuppleri poteſt & ſolet jurisdictio: de quo plura in Part. 4. ſeq. *à n. 636.* Illud axioma,

indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, conformatur menti S. Pontificis concedentis indulgentias omnibus illis, qui ſe in ordine ad lucrandas indulgentias *prudenter* gerunt; ait P. Holzman *p. 2. q. ult. n. 3. Vid.* P. Viva *de jubil. q. 3. à num. 2.* P. Kazenberger *in ſuppl. Theol Sacr. c. 3. ſ. 1. n. 72. & ſeq.* qui hanc ſententiam contra communiorem fuſe & ſolide defendunt cum ibi citatis pluribus DD. P. Kreſslinger condeſcendit ex parte ſub *n. 130.*

ARTICULUS II.

De jubilæo: ubi concluſive, an à Monialibus poſſit eligi in confeſſarium, qui non eſt ſpecialiter approbatus? & an hæreſis poſſit à quolibet abſolvi?

498 PRænot. 1. Jubilæum quoad *nomen* derivari à voce *Jobel*; quæ præter buccinam apud Hebræos ſignificabat quoque *annum remiſſionis*, qui erat annus quinquageſimus, ut videre eſt *Levit. 25.* quoad *rem* Jubilæum *eſt indulgentia plenaria à S. Pontifice conceſſa cum quadam univerſalitate & appendice favorum ſpiritualium iis, qui perficiunt opera præſcripta.* Eſt triplex, vid. jubilæum *Anni Sancti*, jubilæum *ordinarium*, & jubilæum *extraordinarium.* Annus *ſanctus* ſeu jubilæus ex conceſſione Bonifacii VIII. *extrav. antiquorum. de pœnit. & remiſſ.* olim erat quilibet *centeſimus*: deinde

deinde ex conceſſione Clementis VI. *extrav. unigenitus. eod.* quilibet annus *quinquageſimus*: deſacto ex reductione Pauli II. *extrav. quemadmodum. eod.* quilibet annus *vigeſimus quintus.* Incipit à primis veſperis Nativitatis Domini, & in illis anno ſequenti iterum finitur. Jubilæum *ordinarium* eſt, quod *poſt* annum ſanctum conceditur provinciis extra Italiam, duratque per bimeſtre. Jubilæum *extraordinarium* eſt, quod vel *poſt* coronationem neo-electi S. Pontificis pro exorando à DEO felice regimine; vel in *gravi* Eccleſiæ *neceſſitate* concedi ſolet, duratque per duas ſeptimanas, hoc eſt, per *quindecim* dies, ita ut includat tres dominicas, & duodecim dies feriales. P. la Cr. *l. 6. p. 2. n. 1397.* Quoad primum

Prænot. 2. *Durante* anno ſancto, ut con- 499
curſus *Romam* (*ubi* duntaxat illa indulgentia obtineri poteſt) major fiat, ſuſpendi omnes indulgentias *plenarias* conceſſas *vivis extra* urbem Romam conſtitutis: interim tamen non ſuſpenduntur indulgentiæ *altarium* privilegiatorum pro *defunctis* (bene tamen illæ, quas vivi poſſunt lucrari ſibi *vel* etiam applicare defunctis ex declaratione Clementis X. apud la Cr. *n. 1401.*) nec indulgentiæ pro *articulo* mortis, ex declaratione ejuſdem Clementis X. nec indulgentiæ Portiunculæ Aſſiſii, nec domus Lauretanæ: nec Epiſcopales; & probabiliter nec partiales. Præterea in anno ſancto *non* ſuſpenditur facultas, quam habent

bent Epiſcopi ex Trid. *ſ. 24. c. 6.* nec *privilegia* Regularium ad abſolvendum &c. quia iſta facultas *non* eſt data *intuitu* lucrandi *indulgentias.* Cæterum quia non omnes pro lucrando jubilæo *hoc* Romam proficiſci poſſunt, ideo anno ſequente ad inſtantiam Epiſcoporum extendi ſolet quoque ad *alios* Epiſcopatus, fitque tunc jubilæum *ordinarium.* Jam quoad ea, quæ omni jubilæo fere communia ſunt,

500 Prænot. 3. Omnes & ſingulos poſſe lucrari jubilæum, qui *opera* præſcripta peragere, & conditiones requiſitas rite *adimplere* valent. Qui *hoc* nollent, non ſunt adſtricti: attamen veniale vix effugeret, qui ex mera negligentia illud lucrari omitteret. Ad illud lucrandum itaque inprimis ex parte *lucrantis* requiritur *executio* operum *præſcriptorum*, ita ut ſaltem *ultimum* fiat in ſtatu gratiæ: ſiquidem *tunc* primum obtineatur jubilæum; ideoque ſi ultimum opus fuerit *jejunium*, lucrans obtinebit jubilæum *media* nocte ultimi diei, etiamſi tunc dormiat. Debent autem opera *præſcripta* adeo *integre* adimpleri, ut ſi *aliquod* illorum vel etiam tantum pars *notabilis* omittatur (ſecluſa commutatione à confeſſario facta) nihil de indulgentia jubilæi obtineatur. Adhæc: debent opera illa peragi *perſonaliter* (ſiquidem exigatur induſtria & diſpoſitio *ipſius* perſonæ) Non tamen obſtabit, ſi eleemoſyna detur *per ſamulum*, etiam in mortali conſtitutum: bene tamen, ſi *hic*

eam

eam reſervet ſibi. Inſuper opera præſcripta ſunt peragenda *tempore* in Bulla *præfixo* : quia nemo lucratur jubilæum, niſi ſervatis *conditionibus*, ſub quibus conceditur. Quia igitur in jubilæis extraordinariis v. g. comuniter præſcribitur, ut opera illa peragantur *prima* vel ſecunda hebdomada: item ut feria *quarta*, ſexta, & Sabbatho *alterius* hebdomadis *jejunetur*, ideo non lucratur jubilæum, qui incipit opera *ante* tempus illud (niſi in caſu urgentis periculi & accedente commutatione confeſſarii) aut aliis diebus jejunat ſine *commutatione*. Circa *quam*

Prænot. 4. Quod ſi tempore jubilæi con- 502
feſſariis conceditur *facultas commutandi* opera præſcripta, requiritur ad *hoc* rationabilis cauſa, v. g. *infirmitas*, *labor*, *paupertas* &c. Inſuper quod commutatio illa deberet fieri in alia opera *æquivalentia* (alioquin enim non foret *mera* commutatio ſed *partialis* diſpenſatio) *quæ* tamen *ipſi pœnitentes efficere poterunt*; ut loquuntur Bullæ jubilæorum; adeoque *æqualitas* ſpectanda eſt non abſolute ſed *reſpective*, attendendo ad finem Papæ, & circumſtantias pœnitentis. La Cr. *num. 1444.* unde *ægrotis* loco jejunii poterit injungi *largior* eleemoſyna; pauperibus loco *eleemoſynæ*, oratio &c. Quæ commutatio poteſt fieri etiam extra confeſſionem, & à confeſſario, cui non cogitas confiteri; modo fiat *intra* tempus jubilæi, etſi foret ultimus dies. Kazenberger *n. 195.* La Cr. *1439.* Inſuper non potitur jubi-

jubilæo, qui *abſque* commutatione non jeju-
nat intra *unam* eamdemque hebdomadam
nam jejunium illud *trinum* eſt indictum, u
caro magis maceretur. Gob. *tr. 3. Quin. n*
503 *212.* Numquoque opera reſidua intra *eam-
dem* hebdomadam peragi debeant, diſputa-
tur utrinque: negativa eſt quidem probabi-
lior; at affirmativa multo ſecurior. Reiffenſt
n. 110. Nihilominus poſſunt opera illa im-
pleri in *diverſis* locis, utputa viſitando Eccle-
ſias in loco domicilii, & alibi jejunando, con-
fitendo &c. quia favor jubilæi perſonalis eſt
nec ullibi identitas *loci* præſcribitur. Hinc qu
tempore promulgati jubilæi cœpit aliqua ope-
ra præſcripta perficere, v. g. viſitationem
Eccleſiæ (quæ tamen alias debet fieri in loco
in- & pro quo jubilæum promulgatum & in-
dictum eſt; quia debent eſſe Eccleſiæ ab Or-
dinario loci deſignatæ, ut dici ſolet in Bull.
jubilæi) poteſt in itinere reliqua proficere
vel viciſſim, rediens, reliqua opera in patri
proſequi: vel ſi malit, ſequenti hebdomad
ſimul omnia peragere; nam in hunc finem
ſpatium duarum hebdomadarum conceditur
Reiffenſt. *n. 111. & ſeqq.* La Cr. *n. 1434.*
504 Prænot. 5. Quod opera ad lucrandum ju-
bilæum requiſita ſint ordinarie ſequentia 1
Viſitatio *Eccleſiarum*, aſſignatarum; pera-
genda ſecurius uno die; & cum devotione
ſaltem externa; etiam curru aut equo. La
Cr. *n. 1432.* 2. Oratio, ad præſcriptam *in-
tentionem* facienda in illis deſignatis Eccleſiis

qua

quæ debet conſtare ſaltem in ſex *Pater* & *Ave*, cum *Credo*, & fieri cum ea attentione, quæ ad *ſubſtantiam* orationis requiritur: poteſtque perſolvi ſub auditione Sacri alias debiti. Kazenb. *c. 3. n. 52.* 3. *Jejunium*, conſiſtens in abſtinentia à carnibus, & unica refectione, cum collatione veſpertina ſecundum conſuetudinem, ſufficit, etſi aliunde præceptum ſit. La Cr. *n. 1425.* Servari debet ab *omnibus*, qui lucrari volunt jubilæum: quia jubilæum eſt favor conditionatus, & voluntarius: poteſt tamen quoque commutari. 4. *Eleemoſyna*, quæ debet eſſe *corporalis*: ſufficit tamen, ſi quis unum ex ſeptem miſericordiæ corporalis operibus erga *indigentem* gratis exerceat. Non debet eſſe neceſſario *proportionata* facultatibus erogantis. *Superiores* Regulares dant pro *ſuis* 505
Religioſis: *parentes* pro filiis, *maritus* pro uxore, *Dominus* pro ſervo &c. eam eleemoſynam ratihabentibus. Nomine *pauperum* autem intelliguntur non tantum veri pauperes, ſed etiam illi, qui ſunt pauperes ſecundum *ſtatum*; aut etiam *ficti*. Kazenb. *n. 180. 181.* La Cr. *n. 1428.* 5. *Confeſſio* (ſi adſit conſcientia peccati *mortalis*; ſecus non) & S. *Communio*. quæ utraque debet fieri *digne*, & intra illam hebdomadam, qua peraguntur *cætera* opera, niſi prorogetur, aut commutetur, maxime pueris. Gobat *c. 26. n. 176.* De reliquo nil obſtat, etſi prædicta opera omnia ſint aliunde *debita*, ſolide probat P. Rreſslinger apud P. Reiffenſt. *hic ſub num. 113.*

Addit. 5. Nunc ut appropinquemus titulo articuli præſentis, adhuc

506 Prænot. 6. Gratias & *favores* jubilæo annexas eſſe ſequentes. 1. Illarum eſt indulgentia *plenaria*, quæ etiam dici ſolet *pleniſſima*, ob privilegia annexa: poteſtque pro ſemetipſo *ſolo* applicari; nec obtinetur quoad illud *veniale*, ad quod adhuc *affectus* adeſt; quia tunc pœna *tali* veniali (utpote quoad culpam nondum dimiſſo) correſpondens, non remitteretur; etſi remitteretur quoad alia; ad quæ tallis affectus ſe non extenderet, cum nihil obſtet. La Cr. *n.* 1406. 2. *Electio* confeſſarii, ita ut quilibet, etiam Regularis ex quovis Ordine, ſine licentia ſui ſuperioris poſſit ſibi eligere confeſſarium, modo ab Ordinario loci ſit approbatus. La Croix *n.* 1464. Ad dubium, an, qui non eſt *ſpecialiter* approbatus pro Monialibus poſſit eligi à moniali, reſponſionem dabit concluſio pri-

507 ma. 3. *Abſolutio* à *peccatis* omnibus *reſervatis* tam Epiſcopo quam S. Pontifici, etiam *publicis*, ſatisfacta tamen parte læſa; ubi in foro interno ſufficit *propoſitum* firmum ſatisfaciendi. Kaženb. *n.* 213. 214. Nam etiam ab hæreſi, reſolvet concluſio ſecunda. 5. Abſolutio ab omnibus *cenſuris* & *ſententiis* eccleſiaſticis (non tamen *diſpenſatio* in irregularitatibus) etiam in *Bulla cœnæ* contentis, ut ordinarie addi ſolet. Quæ abſolutio inſuper poteſt dari *extra* confeſſionem, adeoque ab illo, cui non cogitas confiteri; imo etiam ab abſente.

La

La Cr. *l. 7. n. 161.* Kazenb. *n. 215.* Præterea poſſunt imponi pœnitentiæ ſolito leviores: idem *n. 218.* 6. Denique *commutatio* votorum: de qua potiora jam in *Part. 2. n. 235.* & inſuper adhuc aliqua mox infra *num. 521.* Nunc ſit

CONCLUSIO I. Tempore jubilæi à Monialibus non poteſt eligi in confeſſarium, qui non eſt *ſpecialiter* approbatus ad Moniales. *Ita cum communiſſima* P. Viva *de jubil. q. 9. a. 2.* P. la Cr. *l. 6. p. 2. n. 1467.* P. Holzman *in expoſ. Jubil. p. 1. q. 5. cum ibi citatis.* 508

Probatur: Tempore jubilæi non poteſt eligi in confeſſarium, qui *nullatenus* eſt approbatus ab Ordinario loci: atqui confeſſarius, qui *pro* monialibus non eſt *ſpecialiter* approbatus ab Epiſcopo, nullatenus cenſetur approbatus ab Ordinario loci ſc. *relate* ad Moniales; ergo ab his non poteſt eligi. m. p. Confeſſarius, qui non eſt approbatus relate ad *fœminas*, ſed pro viris tantum, cenſetur *nullatenus* approbatus ab Ordinario loci pro *fœminis*; quia ſicut ſe habet *ſimpliciter* ad ſimpliciter, ita ſecundum quid ſe habet ad ſecundum quid: ergo etiam confeſſarius qui non eſt approbatus relate ad *Moniales* ſed ſolum pro aliis hominibus, cenſetur nullatenus approbatus ab Ordinario loci pro Monialibus; conſequenter ſicut nullo modo approbatus à *nullo* poteſt eligi, ita non approbatus *ſpecialiter* pro Monialibus, ab his eligi non poteſt. 509

510 Confirmatur: S. Congregatio Concilii Tridentini *declaravit* die 3. Octob. 1671. prout refert P. Caſſianus à S. Elia *tom. 4. verb. Jubilæum n. 21.* quod Moniales in jubilæo *non* poſſint eligere confeſſarium, etiam Regularem, qui ab Ordinario pro ipſis non ſit *ſpecialiter* approbatus: ergo ſtandum eſt huic declarationi. Præſertim: quia alioquin quicunque confeſſarii ad monaſteria Monialium convolare poſſent ad audiendas confeſſiones; ſicque plus deſtrueretur, quam ædificaretur; ergo.

511 CONCLUSIO II. Quando in Bulla jubilæi datur confeſſariis facultas abſolvendi pro foro conſcientiæ ab omnibus cenſuris & peccatis, *quantumvis gravibus & enormibus, etiam in litteris die cœnæ Domini legi ſolitis, & alias quomodocunque reſervatis*, probabilius eſt, etiam concedi facultatem abſolvendi ab *hæreſi*, niſi *hæc* expreſſe excipiatur. *Ita cum communiore.* P. Gobat *in Quin. tr. 3. n. 248.* Reiffenſt. *n. 125.* Kazenberg. *n. 213. &c.*

Probatur: Verba *generalia* ſunt intelligenda generaliter: ergo quoque de *hæreſi*, ſi hæc non excipiatur; id enim congruit *fini* confeſſionis, ut nempe *quilibet* poſſint *participes* fieri hujus pretioſiſſimi *theſauri* ſeu jubilæi.

512 Objicies 1. cont. 1. concl. Bulla jubilæi permittit omnibus *utriusque* ſexus fidelibus, etiam Regularibus, quod poſſint eligere confeſſarium approbatum ab Ordinario locorum *abſolute* (: R. d. a. reſpectu *eligentis* c. appro-

probatum reſpectu *aliorum* n. Hic autem reſpectu *Monialium* non eſt approbatus, eoipſo quod approbatio pro *his* debeat fieri *ſpecialiter* ex conſtit. Greg. XV. & Clementis X. Interim ſi Epiſcopus alicui approbato dat licentiam *audiendi* confeſſiones Monialium, in hac licentia continetur *ſpecialis* approbatio: item qui approbantur à Superioribus *Ordinum*, habentibus ab Epiſcopo poteſtatem approbandi etiam pro Monialibus, æquivalenter approbantur ab Epiſcopo. La Cr. *l. 6. p. 2. n. 1530. 1531.*:) ergo non eſt ratio, cur requiratur approbatio ſpecialis relate ad Moniales.

Ob. 2. Urbanus VIII. in Bulla *Pontificiæ ſollicitudo*, §. *5. tom. 4. Bullar. conſtit. 16.* expreſſe conceſſit Monialibus, quod poſſint in jubilæo eligere *quemcunque* ex approbatis ab Ordinario (: n. hoc; etenim expreſſe ibi dicitur, quod poſſint eligere confeſſarium *ad id probatum*, id eſt, ut DD. explicant, confeſſarium ad confeſſiones *Monialium* audiendas approbatum. Quod etiam habetur in Bulla Innoc. X. anno 1550. & Clementis X. anno 1675. qui pariter jubilæum largiti ſunt Monialibus, anachoretis, & aliis perſonis ab aceeſſu ad limina Apoſtolorum impeditis; ut ait P. Viva *q. 9. a. 2. n. 4.* .) Quod etiam præſtitit Innoc. X. ut refert Pasqualigus: unde colligunt, eam eſſe univerſim Pontificum mentem in conceſſione jubilæorum. 513

514 Ob. 3. Ex hoc ſequitur, quod Moniales ſint *deterioris* conditionis in jubilæo, quam alii (: n. hoc; quia ſi in jubilæo poſſunt confiteri cuicunque *ſpecialiter* pro monialibus approbato, habent reſpective ad ſtatum priorem, in quo poterant tantum *uni* vel *alteri* ſpecialiter approbato confiteri, idem privilegium, quod ſæculares. Deinde, ſaltem accedente licentia & *conſenſu* Epiſcoporum aut ſuorum *Superiorum* Regularium, ſi exemptæ ſunt, eligere poſſunt confeſſarium *quemcunque*: qui tunc, ſaltem tacite, eſt *ſpecialiter* approbatus. Quod autem ab *his plures* debeant concedi, affert Lantuſca *Verb. Jubilæum n. 20.* Decretum *S. Congreg. Epiſc. & Regular. datum 4. Martii 1643.* quo ordinatur, ut tempore jubilæi pro Monialibus *plures* confeſſarii Regulares vel ſæculares approbentur, *quos* ipſæ exoptaverint, ut pro majori ſolatio eos eligere valeant, ad effectum jubilæi lucrandi :) ergo. *Vid.* P. Holzman *p. 2. q. 5.*

515 Ob. 4. cont. 2. concl. In *generali* conceſſione non veniunt, quæ quis *in ſpecie* non eſſet veriſimiliter conceſſurus. *Reg. 81. Jur. in 6.* (: ſi in generali conceſſione nulla *prorſus* fiat mentio talis *ſpeciei* c. ſi fiat mentio ſaltem *implicita*, qualis mentio fit de hæreſi dum fit mentio *Bullæ cœnæ* n.:) atqui talis caſus eſt *hæreſis*; quia habet ſtrictiſſimam reſervationem & *ſpeciale* tribunal (: in *Germania* n. alibi c.:) ergo.

Ob. 5.

Ob. 5. Hæc ſententia eſt contra *declarationes* SS. Pontificum, apud Barboſ. *hic n. 31.* (: non ſunt authenticæ: in oppoſitum ſtat *reſolutio* S. Pœnitentiariæ, adducta à Filliucio *tr. 8. n. 265.* & praxis confeſſariorum Germanorum, *intrepide* abſolventium :) ergo non eſt tuta. *Vid.* P. Kazenb. *c. 3. ſ. 4. n. 213.* 516

Ob. ult. urg. Sub Alex. VII. die 15. Maji anno 1656. editum eſt à S. Congreg. hoc decretum; *Cum crimen hæreſis, præ cæteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum ſit, decrevit facultatem ab hæreſi in jubilæis vel aliis ſimilibus conceſſionibus non cenſeri comprehenſam, niſi præciſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi*: ergo in conceſſione caſuum Bullæ cœnæ non venit *hæreſis* (: quoad loca, ubi hæreres ſunt rariores, ac viget officium *inquiſitionis* c. in Germania, ubi hæreſes impunite graſſantur, n. Imo etſi hæreſis foret expreſſe excepta, non tamen idcirco excepti eſſent *alii* caſus, hæreſin ſapientes, ut eſt lectio, retentio librorum hæreticorum, una cum cæteris caſibus in primo articulo Bullæ cœnæ contentis: quia talia crimina cum verborum *proprietate* non poſſunt dici *hæreſis* :) *Vid.* P. Kreſslinger *hic ſub n. 129.* 517

Quæres 1. An jubilæum ad duas hebdomadas extenſum *bis* obtineri queat? ℞. Eſſe quidem *probabilius* quod *non* (quia Bullæ jubilæorum utuntur clauſula disjunctiva: *qui prima VEL ſecunda hebdomada*: & infra: *ALTERIUS ex duabus hebdomadis*) Probabile *tamen* 518

quoque eſſe, quod *ita*, ſi *opera* præſcripta *repetantur*: eoquod beneficium Principis *latiſſime* ſit interpretandum, quod non tendit in præjudicium tertii. P. Gobat *tr. 3. Quin. n. 92. & ſeqq.* citans plures alios: ac proinde inferens *n. 256.* quod *prima* hebdomada abſolutus à cenſuris, ſi reincidat in ilias, poſſit *ſecunda* hebdomada denuo abſolvi, repetitis operibus. Quod multo magis poterit fieri intra ſpatium *illius* ſeptimanæ, qua peragit opera præſcripta, ſaltem quoque *ultimum* opus necdum completum eſt. Reiffenſt. *tr. 12. diſt. 3. q. 10. ſub n. 118.*

519 Quæres 2. Utrum valida ſit abſolutio illius, qui ſerio *animo* implendi omnia requiſita (nam in *hujus* defectu foret certo invalida; quia S. Pontifex *illam* poteſtatem *abſolvendi* ſolum conceſſit in ordine ad conſequendum jubilæum) abſolutus eſt à cenſuris & peccatis reſervatis ad *initium* jubilæi; poſtea autem illa *non* perfecit, etiam ex mera *pigritia*? ℟. Utique eſt *valida*: quia data eſt abſolute, & nunc rite diſpoſito; nec dari poteſt ſub *conditione* de *futuro*. Interim ita *non-implendo* tamen peccat; ſed probabilius non mortaliter; cum nulli *gravem* injuriam inferat; ſibique potiſſimum noceat non lucrando jubilæum, ad quod nulla lege ſub mortali obligatur. P. Reiffenſt. *hic n. 121.* P. Kazenberg. *n. 215.* Gobat *t. 3. n. 262.*

520 Quæres 3. An qui confeſſus tempore jubilæi animo illud lucrandi, atque ex *oblivione* omiſit

omiſit confiteri peccatum *reſervatum* vel cenſuratum, poſſit ejus abſolutionem obtinere à *ſimplici* confeſſario *poſt* peractum jubilæum? ℞. Affirmative: quia per abſolutionem tempore jubilæi generaliter & abſolute datam, jam cenſetur *ablata* reſervatio pro *oblitis*, & conſequenter ab *his* poſtea abſolvere poteſt quilibet confeſſarius. Quod ipſum quoque extenditur ad *commutationem* votorum: nam qui ſemel lucratus eſt jubilæum, acquiſivit *jus* ad obtinendas *omnes* gratias jubilæi, etiam pro tempore *ſequenti*, ſi eas pro *tunc* petere fuit oblitus, vel etiam noluit; & conſequenter ſicut poſtea poteſt obtinere *abſolutionem* à reſervatis, ita & *commutationem* votorum. Gobat *n. 243.* Kazenberg. *c. 3. ſ. 4. n. 237.* cum ibi citatis. Quod nullus negat, ſi commutatio jam fuerit *inchoata* tempore jubilæi, v. g. dicendo: *commuto tua vota in ea opera, quæ poſtmodum deſignabo.* De reliquo cum in poteſtate commutandi vota tempore jubilæi conceſſa, excipiantur vota caſtitatis perpetuæ & Religionis, de his revideri debent, quæ dicta ſunt ſupra *Part. 2. n. 235.*

Quæres 4. Quid intelligatur per *prorogationem* operum? ℞. Intelligi facultatem à confeſſario factam *impedito*, ut præſcripta opera, intra tempus jubilæi non amplius poſſibilia, poſtea facto jubilæo peragat: adeoque confeſſario liberum eſt, *vel* commutare, *vel* prorogare illa opera; hæc tamen *melius* commutari, judicat P. la Cr. *n. 1443.* Quoad 521

itinerantes Bulla jubilæi ordinare ſolet ſequentia: *navigantes vero & iter agentes, ut cumprimum ad ſua domicilia ſe receperint, ſupra ſcriptis peractis, & viſitata Eccleſia cathedrali vel majori aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam conſequi poſſint & valeant.* Non ergo tenetur quis ratione jubilæi iter ſuum *differre* in aliud tempus, ſed poterit favore conceſſo absque diſtinctione uti. Gobat *n. 90.* La Cr. *num. 1434.* Religioſis, *infirmis*, & incarceratis opera præſcripta, quæ peragere nequeunt, pariter commutari aut prorogari poterunt, *Peregrini*, qui occaſionaliter exiſtunt in loco, ubi jubilæum actu celebratur, poſſunt illud æque lucrari ac cæteri incolæ: quia in favorabilibus gaudent privilegiis *locorum*, per quæ tranſeunt, præſertim *communibus*, poſſuntque ſe libere ſubjicere legibus & conſuetudinibus locorum, in quibus exiſtunt. Idem à potiori verificatur de vagabundis, nullibi domicilium habentibus. *Vid.* P. la Cr. *l. 6. p. 2. n. 1436.* Porro cum *ſuffragia* huc reducantur,

522 Quæres ult. Utrum *ſuffragia* pro *aliis* oblata reddantur inutilia *offerenti*? Ante reſolutionem ſciendum, ſuffragium hic accipi pro *auxilio*, quod unus fidelis alteri præbet ad conſequendam pœnæ *temporalis* remiſſionem; quod fit per ſacrificium Miſſæ; de quo in *Part. 4.* per indulgentias; de quibus hic à *n. 470.* & per propria *opera* bona, ut ſunt oratio, jejunium, & eleemoſyna. Dari talia ſuf-

ſuffragia conſtat ex illo Symboli articulo: *credo Sanctorum communionem.* Interim ex parte offerentis requiritur ſtatus *gratiæ*; intentio *offerendi* pro alio; & ut opus ejusmodi ſit *ſatisfactorium.* Ex parte illius autem, pro quo offertur, requiritur, quod *indigeat* ſuffragio; quod ſit in ſtatu *gratiæ*; & quod peccato, pro quibus exhibetur *ſatisfactio*, jam ſint remiſſa quoad *culpam*; quamquam conſtitutis in peccato *mortali* quid *impetrare* poſſimus. Nunc ad quæſtionem factam,

℞. Suffragia illa non redduntur *offerenti* inutilia, ſed potius adhuc multipliciter ei proſunt. Ratio eſt: quia tale opus inprimis prodeſt ipſi operanti in ratione *meriti*; quod alteri nequit donari: deinde ratione actus *charitatis*; quo quis proximo ſubvenit: denique ratione valoris *ſpecialiſſimi*, qui iterum non eſt applicabilis alteri. Ex quibus colligitur, offerentem *alteri* (præſertim *animabus* in purgatorio) ſua bona opera *nil* perdere, ſed potius valde multa lucrari: ex eo præſertim, quia promiſſum eſt *Matth.* 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequuntur*: & inſuper ipſæ animæ illæ *tanti* beneficii nunquam ſint *immemores* futuræ. Quid concedant Prælati Regulares, dum quosdam *ſæculares*, præſertim *Benefactores*, admittunt ad communionem *ſpecialem* bonorum operum & ſuffragiorum Ordinis? videri poterunt P. Reiff. *tr.* 12. *diſt.* 3. *q.* 11. *n.* 143. P. Kazenb. *Suppl. Theol. Sacr. c.* 3. *ſ.* 4. *n.* 2551. &c. 523

DISPUTA-

DISPUTATIO II.

DE CENSURIS, IRREGULARITATE, ALIISQUE POENIS CANONICIS.

IN priore Diſputatione actum eſt de *favoribus*; in præſenti nunc, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, agendum eſt de *pœnis* eccleſiaſticis. De *his* itaque, ceu genere, aliquid præliminariter præmittetur: poſtmodum ad *Cenſuras*, & irregularitates, tanquam *ſpecies*, deſcendetur per duas Quæſtiones; è quibus ſit

QUÆSTIO I.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

ARTICULUS I.

Quinam ſint excommunicationis majoris effectus?

524 PRænotandum 1. *Pœnam canonicam* communiter definiri, quod ſit pœna inflicta *per canones* vel *ſecundum canones*, *prohibens* vel arcens punitum ab aliquo *gradu eccleſiaſtico*, qui alias ſibi *liceret*. Tales pœnæ canonicæ ſunt ſeptem, vid.]1. *Depoſitio*, quæ eſt privatio perpetua clericalis muneris per canoni-

canonicam ſententiam, cum debita ſolemnitate prolatam. 2. *Degradatio*; quæ eſt iterum talis privatio muneris clericalis & inſuper *privilegii* fori & canonici ſed cum adjuncta *reali* actione & *cæremonia* per canones inſtituta: dum nempe degradandus veſtibus ſacris exuitur, tonſurâ privatur, & tunc curiæ ſæculari traditur. 3. *Infamia*, quæ idem eſt ac *privatio* ſeu diminutio *bonæ famæ*. Alia eſt *infamia juris*, quæ ipſo jure infligitur, idque vel *ipſo facto*, vel primum per *ſententiam* judicis: alia *infamia facti*; quando quis tale factum perpetrat, propter *quod* ipſius bona fama deperditur apud probos, absque expreſſione juris. 4. *Irregularitas*: de qua in quæſtione ſequenti. 5. *Excommunicatio*, de qua ſtatim. 6. *Suſpenſio*: & 7. *Interdictum*: de quibus à *n.* 557. Quæ *tres* ultimæ pœnæ communi nomine quoque vocantur *cenſuræ*. Itaque

Prænot. 2. Cenſuram eccleſiaſticam in genere definiri, quod ſit *pœna ſpiritualis*, *ac medicinalis* (id eſt, intendens deliquentem *emendare* à contumacia) *pro culpa inflicta*, *privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium*, *per eccleſiaſticam poteſtatem impoſita*, *ut fidelis à contumacia deſiſtat.* Ut juſte feratur *cenſura*, requiritur *peccatum* & quidem (excepta excommunicatione *minore*, & ſuſpenſione ac interdicto *improprie* dictis) *mortale* (quia cenſura eſt pœna gravis) *externum* (quia Eccleſia non ſolet judicare de *internis*) & in genere 528

genere ſuo *completum*: quia leges *pœnales* ſunt ſtricte interpretandæ; ſimulque earum verba cum *effectu* accipienda ſunt. *arg. c. hac autem de pœnit. & remiſſ.* Inſuper peccatum illud debet habere annexam inobedientiam & *contumaciam* delinquentis, per quam reus Eccleſiæ monentis ac præcipientis authoritatem *ſpernere* cenſeatur ſaltem virtualiter, ita ut dicta contumatia ſemper ſit cauſa *immediata*, quamquam & alia *mediata* poſſit præcedere. Hinc

526 Prænot. 3. Cenſuram *proprie* talem nunquam incurri ob peccatum *ſolo* jure naturali, aut *Divine* prohibitum (quia ibi non datur *contumacia* verſus Eccleſiam) nec inelligi ob peccatum mere *præteritum*: quia finis cenſuræ eſt, ut delinquens *corrigatur*, & à *contumacia* deſiſtat. Quare ſi feratur ſuſpenſio v. g. ob culpam mere præteritam, cenſura *proprie* dicta non eſt, ſed *pœna* ſpiritualis, *vindicativa* peccati jam facti; cum tantum imponatur in pœnam admiſſi ſceleris. Et quamvis, ſi cenſura, *ipſo jure* decreta, eſt *latæ ſententiæ*, alia monitio neceſſaria non ſit (quia tunc lex ſeu commune præceptum ſemper monet) nihilominus, quando cenſura fertur *ab homine* ut ſit valida, debet præcedere *trina* monitio (vel una *peremptoria*, ſeu tribus in tempore *æquivalens*) cum intervalo dierum aliquot (quia ad *contumaciam* requiritur, ut monitus obedire detrectet.) niſi urgens neceſſitas minus tempus exegerit

c. ſtatui

. ſtatuimus. c. conſtitutionem. de ſent. excom. in 6. Inſuper *citatio* debet fieri in *ſcriptis*, propter qum intentetur cenſura; imo quoque ipſa *ſententia* feratur in ſcriptis, & cum expreſſione cauſæ. *c. 1. & c. 48. citatis.* P. Pichler *l. 5. t. 39. n. 5.* Ulterius jam

Prænot. 4. Cenſuram *excommunicationis majoris* ob peccatum *alienum* nunquam incurri; ideoque nunquam deberi totam aliquam *communitatem* excommunicari (ne innocentes cum nocentibus gravi adeo pœna involvantur) quamvis *ſinguli*, qui de tali communitate nocentes ſunt, excommunicari queant: quia *peccatum*, cum conſiſtat in actu, non eſt communitatis ſed *ſingularium* perſonarum. Nec obſtat, quod propter peccatum alterius v. g. Superioris, tota communitas poſſit ſubdi *interdicto*; ſicque puniri quoque innocentes. Nam per *interdictum* per ſe non puniuntur ſubditi innocentes, ſed potius *Superiores* in *ſuis* ſubditis, ut ſic publica coërcitione confuſi, citius reſipiſcant. Præterea *interdictum* non eſt tam gravis pœna, neque tam *multis* bonis privat velut excommunicatio major; hæc enim eſt ſeparatio non ſolum à Divinis, ſed etiam à communione fidelium, ideoque pœna graviſſima. *c. ſi habes. 24. q. 3. c. Romana de ſent. excom.* Interim ſententia excommunicationis in totam communitatem lata etſi ſit *illicita* (utpote in *cit. c. Romana.* prohibita) attamen probabilius adhuc eſt *valida*; quia nullibi invenitur 527

irritata

irritata: & inſuper *ſententia paſtoris* juſta ſive *injuſta fuerit* : *timenda* ſit c. *ſententia. 11. q. 3.* Similiter *ſuſpenſio* ſtricte ſpectata non incurritur, niſi ob culpam *propriam*: quia eſt pœna proprie dicta, & adimit *uſum* Eccleſiaſticæ *poteſtatis* ubique: non ſic *interdictum* locale; ſi quidem innocentes *extra* locum *interdictum* poſſint *intereſſe Divinis*, atque in loco ſacro ſepeliri, ſi moriantur. P. Reiffenſt. *tr. 13. diſt. 1. n. 26.* Rurſum

528 Prænot. 5. Ad incurrendam cenſuram requiri non tantum peccatum mortale, ſed quoque *ſcientiam* cenſuræ. Hinc ab *ejus* incurſione excuſat non ſolum *ignorantia facti* (dum percutiens v. g. invincibiliter, aut ſaltem probabiliter *ignorat*, percuſſum eſſe Clericum) ſed etiam ignorantia invincibilis vel probabilis *juris* eccleſiaſtici, præcipientis vel prohibentis aliquid ſub cenſura; imo & ſola ignorantia ipſius cenſuræ; dummodo non ſit *craſſa* ſeu ſupina. c. *2. de conſtit. in 6.* Nam ad incurrendam cenſuram requiritur *contumacia*, qua quis recuſat obedire legi quid ſub cenſura recipienti; *quæ* contumacia in *ignorante* cenſuram, eſſe non poteſt. Adhæc, qui ex *gravi* metu transgreditur legem eccleſiaſticam ſub pœna cenſuræ impoſitam, is non incurrit *cenſuram* annexam; quia lex eccleſiaſtica non obligat cum tanta ſeveritate. Inſuper *cenſura* eccleſiaſtica poteſt reddi *invalida* 1. Ob defectum *jurisdictionis c. audivimus. 24. q. 1.* 2. Ob defectum ſubſtantialis *ordinis* in judicio; ut ſi nulla præmittatur

mittatur admonitio ; ſi omittatur citatio ; aut deſit legitima probatio. 3. Ob *defectum* cauſæ ſufficientis. De quibus videatur P. Reiffenſt. *hic n. 38.* Quodſi cenſura feratur contra *innocentem* (qui tamen ſecundum allegata & probata cenſetur nocens) talis in foro *externo* debebit ſe gerere probabiliter tanquam excommunicatum : hoc enim exigit bonum publicum, & authoritas judicis tuenda ; & certe alioquin *malevolis* lata porta aperiretur quaslibet cenſuras contemnendi ; cum dicere poſſent ſe *coram Deo* eſſe innocentes. Interim ſi talis eſſet *Clericus* & exerceret actum Ordinis , non fierit irregularis (quia revera excommunicatio fuit nulla) nihilominus ſi *monitus* non deſiſteret, poſſet vere excommunicari propter ſuam contumaciam. Nunc veniendo ad cenſuras in ſpecie,

Prænot. 6. Primam & graviſſimam inter cenſuras eſſe *excommunicationem* ; quæ definitur, quod ſit cenſura eccleſiaſtica, *qua homo Chriſtianus à communione fidelium ſeparatur.* Differt ab anathemate ſeu *anathematizatione* ſolum *accidentaliter*, quatenus *hæc* ſuperaddit aliquam *ſolemnitatem* ac ſpecialem execrationem, dum fit coram 12. presbyteris, ardentes lucernas in terram projectas conculcantibus cum maledictionibus. *c. 106. cauſ. 11. q. 3.* Dividitur in *majorem* (qua quis à *communione fidelium* ſimpliciter & *totaliter* removetur, dum nempe privaur uſu acti- 529

vo & paſſivo Sacramentorum, omnibusque Eccleſiæ bonis communibus, ac inſuper communione fidelium etiam civili ac politica) ac in *minorem*; qua quis ſolum removetur *ſecundum quid*, & tantum privatur *uſu paſſivo* ſeu receptione Sacramentorum Eccleſiæ. c. *fin. de cler. exc. miniſt.* Et iſta hodie propter unicam cauſam incurritur, ſi quis nimirum *communicet* cum excommunicato excommunicatione *majore* non tolerato: qualis defacto ſolummodo eſt notorius *percuſſor Clerici* & nominatim publiceque *denuntiatus* tanquam excommunicatus: reliqui omnes ſunt & vocantur *tolerati* ſeu *non-vitandi*; ex famoſa conſtitione extravagante, quæ incipit, *Ad evitanda*: ubi tamen ipſis excommunicatis nullus favor directe conceditur; quapropter hodiedum adhuc licite ſe non poſſunt ingerere in communionem fidelium, ſed ſolum ipſis permittitur, ſi fideles cum ipſis communicare velint. Denique quoad præcipuos effectus excommunicationis majoris ſit

CONCLUSIO I. Excommunicatio major privat excommunicatum inprimis *communibus* Eccleſiæ ſuffragiis: *uſu* tam activo quam paſſivo Sacramentorum: uſu Divinorum *officiorum* & eccleſiaſtica ſepultura. *Ita quoad rem omnes ex c. 28. 32. 33. de ſent. excom. c. 24. eod. in 6. c. 12. Clem. 1. de ſepultur.*

530 Prob. 1. pars: Per *communia* Eccleſiæ *ſuffragia* intelliguntur quædam *ſubſidia* ſpiritualia

tualia authoritate Eccleſiæ facta, quibus ſuos fideles, præſertim in *neceſſitate* ſpirituali conſtitutos juvare intendit : & revocantur ad tria capita, nempe ad ſacrificium Miſſæ (quod nomine Eccleſiæ offertur) ad *indulgentias* (utpote quæ proveniunt ex communi theſauro Eccleſiæ) & ad *orationes publicas*, in proceſſionibus, choro, vel alias nomine Eccleſiæ peragi ſolitas : atqui iſtis omnibus Eccleſia excommunicatum privare *poteſt* (utpote ſuo nomine factis) & *vult in c. à nobis. 2. ſacris. de ſent. exc.* ergo.

Prob. 2. pars : Excommunicatus eſt *contumax* erga Eccleſiam, ejusque præcepta : ergo merito repellitur ab ipſius *maximorum* bonorum *participatione*, nempe ab *uſu* activo & paſſivo *Sacramentorum* extra articulum mortis, ita ut *Sacramenta* nec adminiſtrare nec ſuſcipere *licite* poſſit, & Sacramentum pœnitentiæ nec *valide*, ob defectum *jurisdictionis* in abſolvente & ob defectum *diſpoſitionis* in recipiente. *c. 32. 38. h. t.* Cæterum hæc prohibitio afficit quoque excommunicatos *non-toleratos*; nam hæc afficit excommunicatos excommunicatione *minore*; qui utique ſunt tolerati. Razenb. *n.* 74. Videatur tamen *n. 536. 546.* 531

Prob. 3. pars: Nomine *Divinorum officiorum* intelligitur non ſolum *Miſſa*, ſed quoque *publica* oratio, proceſſio, benedictio &c. ergo excommunicatus his omnibus privatur; *privatim* tamen adire templum ibique orare, 532

aut *concionem* audire non prohibetur P. Pichl *l. 5. t. 39. n. 10.*

533 Prob. 4. pars: Excommunicatis *non communicavimus vivis*: ergo *nec debemus communicare defunctis. c. ſacris. & Clem. 1. de ſepult* ubi & ſepelientes dicuntur incurrere excommunicationem & locum ſacrum fieri *incapacem* ad Divina celebranda, & ad ſepulturam fidelium, usque dum reconcilietur. *c. conſuluiſti de conſecr. eccl.*

534 CONCLUSIO II. Excommunicatio major ulterius privat capacitate ad accipiendum *Beneficium* eccleſiaſticum, & ad conſequenda Reſcripta: item uſu & exercitio *juriſdictionis* ſpiritualis ſeu eccleſiaſticæ tam voluntariæ quam contentioſæ, *proprie* dictæ: uti & communione *forenſi*: ac denique etiam communicatione fidelium civili & politica. *Iterum omnes ex c. 7. & fin. de Cler. exc. c. 1. de reſcript. in 6. c. 24. de ſent. & re jud. c. 1. de off. jud. in 6. c. 16. ſeqq. cauſ. 11. q. 3. c. 29 de ſent. exc. &c.*

535 Prob. 1. pars: Ex c. *poſtulaſti. de cler exc. miniſt.* cum concordantiis, ubi præſentatio vel electio *excommunicati*, item & *inſtitutio* ac confimatio ipſius in Beneficio dicuntur ipſo jure irrita: ergo. Et hoc quoque *probabilius* verum eſt tunc, dum excommunicatus, etiam toleratus, *ignoravit* ſuam excommunicationem: quia ignorantia liberat quidem à *pœnis*, ſed non ab *inhabilitate*. Reſcriptum ſedis Apoſtolicæ, ab excommuni-

cate

ato impetratum, eſſe nullum, ac ipſo ju-
e irritum, eſt clarus textus in *c. 1. de re-
ſcript. in 6.* unde impetrantes Reſcriptum ho-
die communiter pro cautela à cenſuris abſol-
vuntur.

Prob. 2. pars: Actus *jurisdictionis* eccle- 536
ſiaſticæ proprie dictæ ſunt, præcipere, legem
ferre, ſententiam facere, *abſolvere*, diſpen-
ſare, *conferre* Beneficia, eligere, indulgen-
tias concedere &c. ergo ſimilia ab excom-
munieato *non-tolerato* facta ſunt prorſus inva-
lida. Facta tamen ab excommunicato *tole-
rato valida* ſunt, quamdiu per oppoſitam
exceptionem non repelluntur: quia Eccleſia
talem excommunicatum tolerat, fidelibus-
que permittit communicare cum ipſo in hu-
manis & *Divinis*; ergo reliquit *jurisdictionem*
in ipſo: *quæ* tamen elidi poteſt per exceptio-
nem; quia Concilium Conſtantienſe ipſis ex-
communicatis nullo modo ſuffragari voluit.
P. Razenberger *c. 3. ſ. 2. n. 91.*

Prob. 3. pars: Actus *judicii* forenſis ſeu 537
ad judicium forenſe *ſæculare* ſpectantes ſunt,
judicare, agere, *procurare*, ſcribere, *teſtifi-
cari*, &c. ergo quoque ſimilia peragere ne-
quit; ſiquidem careat *jurisdictione* & *conſortio*
etiam civili cum fidelibus: quæ ambo tamen
huc neceſſaria ſunt. *c. 8. de ſent exc. in 6.*

Prob. ult. pars: Jus canonicum ſæpius 538
expreſſe ſtatuit, ut excommunicatus *omni*
communicatione cum aliis, ſive *politica*, ſive
ſocietatis, ſive converſationis, privatus ſit,

S 3 *c. nuper.*

c. nuper. c. ſi aliquando. de ſent. exc. &c. ergo tali excommunicationi ſine peccato ſe non poteſt *ingerere* excomunicatus, etiam *toleratus*. Imo *non toleratus* inſuper *vitandus* eſt, ſub excommunicatione minore: quamquam hac excommunicatione minore excommunicati haud vitandi ſint; utpote quæ ſolum ſeparat excommunicatum à perceptione Sacramentorum. *c. ſiquidem. eod.* ergo. De quibus etſi jam aliquid dictum ſit, explicationis gratia tamen ſit

539 CONCLUSIO III. Hodie excommunicati non-tolerari ſunt duo tantum, ſc. notorius *percuſſor* Clerici, & *nominatim* ac ſpecialiter *denuntiatus*: qui proinde vitari debent: niſi cauſa excuſans interveniat. *Rurſum communis.*

540 Prob. 1. pars: Imo jam probata eſt ſupra *n.* 527. ex conſtitutione Martini V. In Concilio Conſtantienſi edita. Dicitur autem *notorius percuſſor* Clerici, quando factum adeo notorie conſtat, *ut non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari*; prout ibi loquitur S. Pontifex.

541 Prob. 2. pars: Qui communicat ſcienter cum excommunicato *non-tolerato*, incurrit excommunicationem ſaltem *minorem* (quia per hoc committit ſaltem peccatum *veniale*; ob quod poteſt contrahi excommunicatio *minor*; nulli tamen reſervata) imo quandoque & *majorem*; ſi communicet in crimine: ergo taliter excommunicatus debet vitari.

Et

Et quidem in caſibus, qui hoc verſu exprimuntur: *os* (id eſt, colloquium, etiam per litteras aut ſigna) *orare* (communio *in ſacris*; hinc tali præſente, ſi nequeat expelli, debent omitti Divina officia; etiam ipſa Miſſa; niſi canon jam inchoatus ſit) *vale* (ſalutatio; licet tamen *reſalutare* ſalutantem) *communio* (communicatio in *habitatione*, contractibus &c.) *menſa* (communicatio in cibo & potu) *negatur*

Prob. 3. pars: Sunt plures cauſæ, excuſantes ab omni cenſura & culpa *communicantis* cum excommunicato non-tolerato, quæ referuntur *can. quoniam. 11. q. 3.* & hoc verſiculo continentur. *Utile* (id eſt, utilitas ſive propria ſive aliena) *lex* (matrimonium) *humile* (ſubjecti, liberi, famuli &c.) *res ignorata* (ignorantia juris, & facti) *neceſſe*: id eſt, quæcunque *neceſſitas* notabilis. Hinc excommunicatus poteſt recipi hoſpitio, ei dari eleemoſyna, hæc ab eo peti &c. *Vid.* P. Reiffenſt. *tr. 13. diſt. n. 47.* 542

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Sacerdos catholicus poteſt celebrare Miſſam pro *hæretico*, etiam pro ſtipendio, etiam ad *intentionem* bonam, v. g. in honorem S. Antonii de Padua pro *inveniendis* rebus deperditis, pro recuperanda ſanitate &c. ut docet P. Kazenberger *Theol. Decal.* *c. 3. ſ. 2. n. 73.* ergo excommunicatio major non privat communibus Eccleſiæ ſuffragiis *excommunicatum* (: ℞. d. c. *toleratum* c. non-toleratum ſeu *vitan-* 543

dum n. Nam ex conceſſione Concilii Conſtantienſis fideles poſſunt communicare cum excommunicatis toleratis in rebus *Divinis* & humanis; conſequenter etiam offerre communia ſuffragia. *Privatim* licitum eſt orare etiam pro *non-toleratis*: quia oratio privata, ſub qua quoque comprehenditur *Memento* in Miſſa, non eſt *commune* ſuffragium. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 5. t. 39. n. 138. & ibi citati.*

544 Inſtabis: Ipſa excommunicatione excluduntur excommunicati à communibus Eccleſiæ ſuffragiis, oblationibus, & ſacrificio: ergo neque excommunicati *tolerati* gaudent ſuffragiis Eccleſiæ (: quamdiu fideles nolunt cum ipſis communicare c. ſecus vero, non ob favorem excommunicati, ſed ſuum n. :) P. Schmalzgr. *l. c. n. 139.*

545 Ob. 2. cont. 2. part: Excommunicatus ſe poteſt in ſtatum gratiæ reponere per *contritionem*: ergo ſaltem *tunc* non privabitur *uſu* paſſivo *Sacramentorum* (: n. c. ageret enim contra præceptum Eccleſiæ & expreſſam illius prohibitionem in materia gravi; conſequenter peccaret graviter :) P. Reiffenſtuel *num. 18.*

546 Urgebis: *Poſt* Concilium *Conſtantienſe*, eſt probabile, quod ſacerdos excommunicatus *ſaltem toleratus*, adhuc valide abſolvat, etſi illicite, prout docent P. Kazenberger *hic c. 3. ſ. 2. n. 75.* P. Schmalzg. *l. c. 1. 65* cum plurimis ibi citatis: ergo non eſt verum quod Sacramentum pœnitentiæ ſit invalidum ſi ad-

ſi adminiſtratur ab excommunicato (: ſi ſit toleratus c. ſi *non-toleratus*, de quo loquitur concluſio, n. :)

Ob. 3. cont. 3. part. Excommunicatus toleratus abſolute poteſt adire & audire *concionem*: ergo non privatur uſu officiorum Divinorum (: quoad *concionem*, ut ſic magis & citius ad pœnitentiam excitetur prout in *c. reſponſo. h. t.* dicitur c. quoad *alia* n. :) 547

Ob. 4. cont. 4. part. Excommunicatis, *toleratis* ſaltem, communicavimus in *vita* licite; ergo & in ſepultura (: n. c. Quia ſic ipſis *excommunicatis* favor fieret, quod Concilium Conſtantienſe non vult:) *Vid. cit.* P. Reiffenſtuel *n. 26.* 548

Ob. 5. cont. 2. concl, part. 1. Excommunicatus manet capax ad *retinendum* Beneficium *antea* habitum, nec fructus ejus ante ſententiam tenetur reſtituere: ergo quoque manet capax ad *accipiendum* (: n. c. Quippe nullo jure conſtat, excommunicatum eſſe inhabilem ad Beneficia *recepta*: bene tamen ad *recipienda* :) Kazenberger *n. 85.* 549

Ob. 6. cont. 2. part. *Aſſiſtentia* Parochi in contractu matrimoniali eſt *valida*, etiamſi parochus talis ſit excommunicatus *non-toleratus*: ergo non privatur omni uſu *jurisdictionis* (: proprie dictæ n. *improprie* c. Etenim aſſiſtentia hæc, quamvis fiat *authoritate* publica, non tamen eſt actus jurisdictionis proprie; cum etiam ab *invito* ſufficienter præſtetur; ſed eſt executio cujusdam *conditionis* à 550

Trid. requiſitæ pro valore matrimonii :) P. Schmalzgr. *n. 17.*

551 Ob. 7. cont. 3. part. Excommunicatus etiam toleratus poteſt ſtare *judicio* ut reus: ergo quoque ut actor &c. (: n. 5. Nam in judicio *conveniri*, ibique accuſari & citari poteſt, ne alioquin ex ſua malitia videretur reportare commodum. *c. intelleximus de jud.* :) Ex quibus omnibus

552 Deduces 1. Excommunicationes aliquas eſſe *latæ* ſententiæ (quæ *ipſo jure* imponuntur, ideoque ipſo facto incurruntur) alias primum *ferendæ ſententiæ*: quæ non incurruntur niſi *poſt* ſententiam judicis; ut ſi dicatur: qui *tale crimen commiſerit, excommunicetur*, aut hujusmodi. Inſuper excommunicationes aliquæ ſunt *reſervatæ* (quarum abſolutionem Superior ſibi reſervat) aliquæ *non* reſervatæ, à quibus quilibet abſolvit. Inter excommunicationes *latæ* ſententiæ, & S. Pontifici reſervatas imprimis ſunt caſus *Bullæ Cœnæ* Domini: quæ Bulla ſic dicta eſt, quia ſingulis annis in die cœnæ Domini publicari ac renovari ſolet.

553 Conſtat caſibus viginti: è quibus in Germania frequentius occurrere poteſt ſtatim primus, ita ſonans: I. *Excommunicantur hæretici; apoſtatæ à fide; receptores, fautores, & defenſores hæreticorum; legentes eorum libros de religione tractantes, imprimentes, defendentes, & Schismatici.* Reliquos exhibet P. Reiffenſt. *hic n. 56.* P. Kazenberger *n. 102.* P. la Cr. *l. 6. p. 2. n. 2054.* qui *l. 7. n. 298.* quoque recen-

ceenſet excommunicationes *alias* S. Pontifici extra Bullam cœnæ reſervatas: inter quas frequentior, ideoque ſcitu magis neceſſaria eſt, quæ ipſo jure lata eſt contra *percuſſores* Clericorum. Circa hanc proinde

Deduces 2. Mox dictam excommunicationem communiter vocari *canonis*; quod nomen obtinuit à canone 29, *cauſ.* 17. *q.* 4. ita ſtatuente: *ſi quis ſuadente diabolo* (ſc. prava affectione interna & animo *graviter* lædendi in corpore, vel conore) *hujus ſacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum* (quemcunque etiam tantum prima tonſura inſignitum) vel *monachum* (ſeu Religioſum utriusque ſexus, etiam converſum aut novitium; item tertiarium ſub habitu, regula, & obedientia viventem; imo & Canoniſſam ſæcularem, vulgo *Stüfft-Fräulein*, quamdiu Præbendam retinet, & in habitu eccleſiaſtico incedit) *violentas manus injecerit* (percutiendo, vulnerando, conſpurcando, crines evellendo &c. vel res tali perſonæ *adhærentes* per vim auferendo, lacerando, equum aut currum ſiſtendo, in cuſtodia detinendo &c.) *anathematis vinculo ſubjaceat*: ſi nempe talia fiant per actionem *graviter* injurioſam & *mortaliter* peccaminoſam: quia Eccleſia non punit graviter niſi delicta *interne* & *externe* gravia. P. Pichler *l.* 5. *t.* 39. *n.* 13. P. la Cr. *l.* 7. *n.* 301. Circa quæ ulterius 554

Deduces 3. Etſi ex textu *citati canonis* comprehendantur ſoli *phyſice* offendentes, tamen 555

men ex *aliis* canonibus hanc excommunicationem extendi etiam ad *mandantes*, conſulentes, *juvantes* vel ſuadentes *effectu ſecuto*; item ad eos, qui ratam habent, *antecedenter* & cum effectu, offenſionem clerici ſuo nomine factam. *c. quantæ. de ſent. exc. Clem. ſi quis. de pœn. c. cum quis. de ſent. exc.* Excommunicationem hanc econtra non incurrit, qui dilacerat, percutit veſtimenta Clerico *non* adhærentia: qui quid ei adhærens fraudulenter ſurripit: qui *verbis* contumelioſis afficit: qui tantum leviter, aut ex joco, aut ex ſubita cholera percutit: qui in die paraſceves Clericum perſonam Chriſti agentem *gravius* percutit, etiamſi faceret ex odio, adeoque peccaret (quia hæc injuria *externe* gravis non eſt) qui percutit cauſa *correctionis*, ſi legitimam facultatem habeat: qui in ſui defenſionem aggreſſorem detinet, repellit, domo ejicit, ſi alia via non ſuppetit. P. Kreſslinger ſub *n. 70.* P. Kazenb. *n. 115.*

556 Deduces 4. Aliquem poſſe *ſæpius* excommunicari, prout colligitur ex *c. cum pro cauſa. de ſent. exc.* Nam excommunicatio habet duos effectus; unum *ejiciendi* extra Eccleſiam, & alterum detinendi *extra*: jam licet excommunicatio *ſecunda* non poſſit in jam excommunicato conſequi primum effectum, poteſt tamen conſequi *ſecundum*. Hinc ligatus pluribus excommunicationibus, poteſt abſolvi ab una, & non ab altera. Nec obſtat, quod unum *peccatum* non dimittatur ſine

ne *altero* : etenim abſolutio à *peccatis* eſt actus *Divinus* , qui non debet eſſe absque perfectione : ſecus eſt de abſolutione ab *excommunicatione* , qui eſt actus humanus *Eccleſiæ*, utpote per *quam* introducta eſt excommunicatio. P. Reiffenſt. *n. 75.* De abſolutione ab 557 excommunicationibus afferemus neceſſaria infra in Parte 4. & interim videri poteſt mox cit. P. Kreſslinger *apud* P. Reiffenſt. *ſub cit. n. 75. addit. 3. 4. 5. & 6.* ubi reſolvit, quod à privilegiatis poſſit abſolvi etiam *publicus* percuſſor Clerici, ſi percuſſio necdum deducta eſt ad forum contentioſum : item quod pariter ab illis abſolvi queat habens caſum in Bulla cœnæ *dubie tantum* comprehenſum : denique quod Superiores Regulares poſſint ſuos ſubditos religioſos abſolvere vel per ſe vel etiam per ſuum delegatum ab omnibus caſibus Bullæ cœnæ.

ARTICULUS II.

Quid ſit ſuſpenſio, & interdictum? ubi concluſive de utriusque effectibus.

PRænot. 1. Alteram ſpeciem ex cenſuris 558 eſſe *ſuſpenſionem* , quæ definitur : eſt cenſura eccleſiaſtica, *qua Clericus privatur uſu poteſtatis eccleſiaſticæ ſibi competentis* ; & hoc ad tempus. Nam ſuſpenſio ſine ſpe reſtitutionis non foret cenſura ſed *pæna vindicativa*,

va, ſicut ſi infligeretur ob peccatum mere præteritum. Eſt triplex: una ab *officio* tantum (qua clerico executio ſuorum Ordinum & juriſdictionis eccleſiaſticæ interdicitur) altera à *Beneficio* (qua clericus prohibetur percipere fructus Beneficii) tertia *ab utroque*, qua tam ab officio quam Beneficio ſuſpenditur; ideoque *totalis* appellatur. De quibus adhuc aliqua in concluſione prima & infra *à n. 574.* Interim

259 Prænot. 2. Tertiam ſpeciem ex cenſuris eſſe *interdictum*, quæ recte definitur, quod ſit cenſura eccleſiaſtica, *per quam prohibetur uſus tam activus quam paſſivus Divinorum officiorum, certorum Sacramentorum, & ſepulturæ eccleſiaſticæ.* Eſt quoque triplex; nempe *locale*; quod directe fertur, in *locum* idque vel *generaliter* in totum regnum, provinciam &c. vel *particulariter*, in aliquam particularem Eccleſiam) *perſonale* (quod directe fertur in perſonam) & *mixtum*, quo locus & perſonæ *ſimul* interdicuntur. Porro interdictum *locale* indirecte tantum afficit perſonas, dum ſc. ſunt in *tali* loco vel Eccleſia; econtra *perſona-*
560 *le* ſequitur perſonam quocunque jerit. Præterea interdicta *civitate*, caſtro, aut villa, etiam *ſuburbia* & continentia ipſorum ædificia intelliguntur interdicta: ſimiliter interdicta aliqua *Eccleſia* cenſetur quoque interdicta ejus *capella* & cœmeterium contiguum, non tamen viciſſim. In interdicto *perſonali*, interdicto clero, non cenſetur interdictus populus

populus, & viciſſim: item in neutro comprehenduntur Religioſi utriusque ſexus, niſi exprimantur *Clem.* 1. *de ſuppl. neglig prælat.* De effectu aliquid dicet concluſio altera: Modo ſit

CONCLUSIO I. Cenſura ſuſpenſionis eſt ſtrictæ interpretationis, ac proinde ſuſpenſio *ab officio* per ſe non includit ſuſpenſionem *à Beneficio*, aut econtra: nihilominus ſi abſolute & ſine limitatione imponitur, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi poſſit, cenſetur ea ſimpliciter totalis. *Ita communis DD.* 561

Prob. 1. pars: Suſpenſio eſt pœna ob commiſſum delictum inflicta: atqui pœnæ ſunt ſtrictæ interpretationis; nam in pœnis benignior interpretatio eſt facienda. *Reg.* 48. *jur. in* 6. ergo. Ob hanc ipſam rationem quoque ſuſpenſus ab *Ordine* non cenſetur ſuſpenſus à *jurisdictione* eccleſiaſtica, aut econtra. Hinc Epiſcopus ſuſpenſus ab ordine, licet confeſſiones *audire* non poſſit, alteri tamen poteſtatem ad *id* dare poteſt. 562

Prob. 2. pars: Ex vi ſermonis, propoſitio indefinita æquivalet *univerſali*, ſimulque tunc non eſt ratio cur potius ſuſpenſio de *uno* quam de altero lata intelligatur: ergo ſuſpenſus abſolute cenſetur ſuſpenſus tam ab officio quam à Beneficio: & ſuſpenſus ſpecialiter ab *officio* cenſetur ſuſpenſus tam ab Ordine quam jurisdictione, quia *officium* includit *utrumque*. Poſſunt autem ſuſpendi 563

omnes

omnes & ſoli Clerici, præter Papam: qui ſi in ſuſpenſione exerceant actum *Ordinis*, contrahunt *irregularitatem*; & ſi ſe ingerant in adminiſtrationem Beneficii, & fructus percipiant, non efficiuntur quidem irregulares, perdunt tamen Beneficium ipſo jure. *c. 1. de ſent. exc.* c. *cupientes. de elect. in 6.*

564 CONCLUSIO II. Effectus interdicti eſt triplex, nimirum privatio aliquorum *Sacramentorum*, prohibitio Divinorum *officiorum*, & carentia ſepulturæ eccleſiaſticæ. *Ita communis ex c. alma mater, de ſent. exc. in 6. &c.* Nunc explicatur &

565 Prob. 1. pars: Primus effectus eſt privatio *Sacramentorum* & non omnium ſed *aliquorum* tantum nempe *Eucharistiæ* (extra articulum mortis; nam tunc *ejus* ſumptio eſt neceſſaria jure Divino) extremæ *unctionis*, *Ordinis*, & *matrimonii* quoad benedictionem nuptialem; quia pertinet ad officium Divinum, & ad actum Ordinis. *Baptiſmus* (utpote maxime neceſſarius) *Confirmatio* (ceu complementum baptiſmi) & *Pœnitentia* (quia ob pronitatem ad peccandum quoque eſt valde neceſſaria) etiam ſanis (dummodo non fuerint *cauſa* interdicti, aut alias non excommunicati) licite adminiſtrantur & ſuſcipiuntur. *cit. c. alma. arg. c. quod in tunc. de pœnit. & remiſſ.* ergo vera eſt prima pars. Pariter

566 Prob. 2. pars: Secundus effectus eſt prohibitio *Divinorum officiorum*, tam activa quam

quam paſſiva: *quorum* nomine quid veniat, jam dictum eſt *n. 368.* Ex privilegio tamen tempore *interdicti* localis generalis conceditur Clericis & Religioſis perſonaliter non interdictis in *c. alma.* facultas quotidie Divina officia peragendi & eidem aſſiſtendi in ſuis Ecclſiies, ſi hoc fiat *januis* clauſis, voce *ſubmiſſa*, campanis *non* pulſatis, & *excluſis*, qui excommunicati aut interdicti ſunt. Inſuper in feſtivitatibus *nativitatis* Domini, *paſcha*, *pentecoſtes*, *aſſumptionis* B. V. ac feſto *Corporis* Chriſti, poſſunt dicta officia etiam *ſolemniter*, ut alias, celebrari, modo iterum excludantur excommunicati & interdicti. *cit. c. alma. Martinus V. & Eugenius IV.* Reiffenſt. n. 104. ergo. Eodem modo etiam

Prob. 3. pars: Tertius effectus eſt privatio *ſepulturæ* eccleſiaſticæ in loco ſacro; ob loci incapacitatem. *c. quod in te. de pœnit. & remiſſ.* Excipiuntur tamen perſonæ eccleſiaſticæ, quæ perſonaliter non fuerunt interdictæ, nec cauſam interdicti dedere (hæ enim habentur pro perſonalirer interdictis) nec interdictum violavere. *cit. c. quod in te.* Nec refert, ſitne interdictum *locale* generale vel *ſpeciale*: quia perſonæ hæ nullibi inveniuntur excluſæ à ſepultura loci *ſpecialiter* interdicti: ergo. Secus dicendum eſt de perſonaliter interdictis, ſaltem ſi nominatim *denuntiati* ſint: de quibus P. Kazenberger *Theol. Dec. c. 3. ſeſſ. 3. n. 148.* 568

569 Objicies 1. cont. 1. concl, part. 1. Si ſuſpenſio eſt *perpetua*, tunc ſuſpenſus ab officio per ſententiam Judicis merito privatur beneficio; cum beneficium detur propter *officium*, *quod* tamen in perpetuum ſuſpenſus exercere non poteſt: ergo ſuſpenſio ab officio ſuſpenſionem à Beneficio poteſt includere (: ℞. d. ç. *per ſe* n. poteſt includere *per accidens* ratione illius perpetuitatis c. Imo talis ſuſpenſio in effectu non amplius eſt cenſura ſed depoſitio :)

570 Ob. 2. cont. 2. part. Suſpenſus *à confeſſionibus* audiendis, licite adhuc celebrat Miſſam, licite exercet officium Diaconi: ergo non omnis ſuſpenſio cenſetur eſſe ſimpliciter talis (: ſi feratur determinate ad *certam* materiam c. nam tunc pœnæ non ſunt extendendæ ultra verborum proprietatem: ſi imponatur abſolute & *ſine* limitatione n. :) Deinde: etiam Abbatiſſa poteſt ſuſpendi à ſuo *officio* œconomico ejusque actibus c. Ab actu aliquo *eccleſiaſtico* n. quia eſt incapax omnis Ordinis :) ergo non ſoli Clerici poſſunt ſuſpendi.

571 Ob. 3. cont. 2. concl. part. 1. In c. *quod in te de pœnit. & remiſſ.* ſolis *moribundis* permittitur miniſtrari Sacramentum *pœnitentiæ*: ergo non eſt verum, quod poſſit miniſtrari quoque *aliis* (: n. c. Quia hoc jus antiquum fuit correctum per jus recentius, nempe per *cit. c. alma.* :) *Vid. cit.* P. Kazenberger *à n. 142.*

Ob. 4.

Ob. 4. cont. 3. part. Tempore interdicti 572
localis ſaltem generalis, poſſunt homines il-
lius loci, qui perſonaliter interdicti non
ſunt, *extra* illum locum, efferri, & in alio
loco ſacro ſepeliri; imo & ibi intereſſe Di-
vinis *c. ſi ſententia. de ſent. exc.* Item, ſi quis
ſepultus eſt *extra* locum ſacrum tempore in-
terdicti, ceſſante interdicto poteſt *in* locum
ſacrum transferri. *arg. c. à nobis. 28. de ſent.
exc.* Imo ſi interdictus *contra* prohibitionem
fuiſſet ſepultus in loco ſacro, non erit *extra-
hendus*; quia *hoc* non habetur in jure ſtatu-
tum; ergo interdictum non privat ſepultura
eccleſiaſtica (: in his caſibus *particularibus* c.
abſolute n. :)

Ob. ult. Clerici tam regulares quam ſæ- 573
culares, ſi violent interdictum *perſonale* per
actum *Ordinis*, aut *locale* per celebrationem
Miſſæ, efficiuntur irregulares. *c. 18. 20. de
ſent. exc. in 6.* privantur jure electionis activæ
& paſſivæ. *c. 18. cit.* incurrunt ſuſpenſionem
ab officio, Beneficio, & juriſdictione. *c. 18.
de exceſſ. prælat. &c.* ergo ſunt plures effectus
interdicti quam tantum tres, in concluſione
aſſignati (: ſi velimus loqui etiam de *indire-
ctis*, quales ſunt mox enumerati c. ſecus
n. :) *Vid.* P. Pichler *l. 5. t. 39. n. 19.* P. Ka-
tenberg. *n. 150.*

Deduces 1. *Violationem* ſuſpenſionis & 574
interdicti eſſe peccatum *mortale*: quia eſt
tranſgreſſio præcepti eccleſiaſtici in re gravi.
Poteſt tamen dari *parvitas* materiæ? ut ſi

 ſuſpen-

ſuſpenſus ab ordine miniſtraret in Minoribus. De abſolutione & ſublatione harum duarum cenſurarum videri poterit *cit.* P. Kazenberg. *num.* 133. & 150. De utrisque, quales ſunt mox enumerati, apud P. Reiffenſtuel *tr.* 13. *diſt.* 2. *q.* 5. *ſub n.* 89. & 97. ubi etiam de illarum ſublatione *à num.* 107. Porro quia huc quoque reduci ſolet *ceſſatio à Divinis*, ideo

575 Deduces 2. Ceſſationem à Divinis (quæ & *ſuſpenſio organorum*, id eſt, laudis Divinæ, dicitur) eſſe *Eccleſiaſticam prohibitionem*, ob quam clerici ceſſare debent in *certo loco à Divinorum officiorum* celebratione, & Sacramentorum *adminiſtratione*, niſi quatenus eam neceſſitas poſtulat: ob grave alicujus delictum, cedens in enormem injuriam Divini honoris vel Eccleſiæ. *c.* 11. *de ſponſ. c.* 2. 8. *de off. ord. in* 6. Differt ab *interdicto*, quia non eſt cenſura; quia violans illam non fit irregularis; quia nunquam afficit perſonas; & quia non privat ſepultura eccleſiaſtica, dummodo fiat ſine officio funebri. *Vid.* P. Reiffenſt. *n.* 110.

QUÆSTIO II.

DE IRREGULARITATE.

ARTI-

ARTICULUS I.

Propter quas cauſas contrahatur irregularitas tam ex delicto, quam ex defectu?

PRænotandum 1. *Irregularitatem* eſſe unam 576
ex ſeptem pœnis canonicis: & definiri, quod ſit impedimentum canonicum, *impediens ſuſceptionem Ordinum, aut ſuſceptorum uſum.* Ubi ly *ordo* late ſumitur, prout etiam primam *tonſuram* includit: quæ tamen ſi ſuſcipiatur ab irregulari, adhuc valide ſuſcipitur etſi *illicite*: idem de aliis Ordinibus. Dividitur in irregularitatem *ex delicto* (quæ contrahitur ob aliquod delictum; & manet, donec in ea diſpenſetur) & in irregularitatem *ex defectu*; quæ ſine omni culpa, ex mero defectu naturali, incurritur.

Prænot. 2. Irregularitatem non eſſe *cen-* 577
ſuram eccleſiaſticam: quia inprimis adæquate non eſt pœna (cum ſubinde contrahatur ſine culpa) ſed potius quædam inhabilitas. Deinde etſi quandoque imponatur ob delictum, primario tamen non imponitur per modum pœnæ *medicinalis* ſed per modum impedimenti duntaxat ex motivo conſervandi exinde *decentiam* ſtatus clericalis. Denique violans irregularitatem, celebrando v. g. non incurrit novam *irregularitatem* (cum id nullo jure ex-

primatur) quam tamen incurrit violans *cenſuram.*

578 Prænot. 3. Irregularitatem nunquam incurri niſi ea in jure ſit ſpecialiter expreſſa; ut dicitur in *c. 13. qui de ſent. exc. in 6.* Imponitur non ab *homine* (id eſt per ſententiam Judicis, velut cenſura) ſed ſolo *jure*, & quidem jure duntaxat *univerſali* Pontificio, non autem Epiſcopali: nam novas irregularitates conſtituere, Epiſcopis nullibi in jure conceſſum eſt. Non obſtante tamen, quod omnis irregularitas jure eccleſiaſtico tantum conſtituta ſit, nihilominus multæ traxerunt originem ex lege veteri & naturali: ſiquidem pleræque vel ob naturalem *indecentiam* vel ad exemplum *veteris* legis Divinæ ſint conſtitutæ; prout patet in irregularitate ex *homicidio* ſeu defectu perfectæ *lenitatis* proveniente, quam Eccleſia conſtituit, quia David ob effuſum multum ſanguinem fuit impeditus ab ædificatione templi. *2. Reg. c. 17.*

579 CONCLUSIO I. Irregularitas ex delicto contrahitur 1. Ob *iterationem* Baptiſmi 2. Ex *violatione* cenſuræ eccleſiaſticæ. 3. Ob indebitam *ſuſceptionem* Sacramenti Ordinis. 4. Ob *hæreſin*, apoſtaſiam &c. 5. Ob *infamiam*: & denique ob homicidium vel mutilationem injuſtum. *Ita quoad rem DD. omnes.*

680 Prob. 1. pars: Irregularitas in iterantes Baptiſmum expreſſe ſtatuta eſt in *c. ex litterarum. de apoſt.* & alibi: ergo illam incurrunt omnes (& quidem tam rebaptizans quam re-

bapti-

baptizatus) qui illum iterant *abſolute*. Quippe ſi iteretur ſub *conditione* (etiam *temerarie*, & non præmiſſa ſufficienti inquiſitione de collatione prioris Baptismi) irregularitas non contrahitur: quia leges pœnales debent intelligi cum *effectu*; *qualis* non eſt Baptismus *conditionatus*; eo quod conditione *non* ſubſiſtente ſit nullus. P. Reiffenſt. *n. 11.*

Prob. 2. pars: In jure canonico per totum titulum de *clerico excommunicato*, *depoſito*, *vel interdicto miniſtrante*, decernitur, ut ſi clericus exerceat actum *proprium* Ordinis (qui nempe ab alio, non habente talem Ordinem, exerceri non poteſt) conſtitutus in excommunicatione, vel ſuſpenſus ab Ordine, vel ligatus interdicto *perſonali*, vel in loco interdicto; ipſo facto *irregularis* ſit: ergo. 581

Prob. 3. pars: Ex diſpoſitione ejusdem Juris canonici fiunt irregulares inprimis qui in cenſura conſtituti ſuſcipiunt Ordines: Deinde qui illos ſuſcipiunt ab Epiſcopo cenſurato, ſimoniaco, ſchismatico, hæretico, depoſito vel degradato: Ordines tamen illi ſunt validi. *arg. c. quod quidam. & c. ſtatuimus. 1. q. 1.* Denique qui Ordinem *ſacrum* ſuſcipiunt *ante* legitimam *ætatem*, vel *extra* tempora legitima, aut absque litteris dimiſſorialibus; item qui per *ſaltum* ordinati (quandoque ſuſpenſi) ante abſolutionem à ſuſpenſione miniſtrant: ergo. 582

583 Prob. 4. pars: In eodem Jure canonico *c. quicunque de hæret. in 6. c. ſaluberrimum 1. q. 7. &c.* dicuntur irregulares etiam hæretici, apoſtatæ à fide, ſchismatici, eorumque fautores ac receptatores: ſi tamen hæreſis fuerit *externa*, ſeu ſigno quodam ſufficienter manifeſtata, juxta dicta in *Part. 1. n. 514.*

584 Prob. 5. pars: Vi ejus Juris *c. infames. 6. q. 1.* crimina inducentia infamiam juris, etiam inducunt irregularitatem; quia haud convenit, *ſceleratos* & infames cooptare in ſortem Domini & in ſacrum ejus miniſterium: ergo. Interim ob crimina *occulta* (excepto homicidio) nunquam incurritur irregularitas ratione infamiæ; *quidquid alii* in contrarium dixerint; ut conſtabit ex ſolutione objectionum, *n. 595.* De homicidio agetur in articulo ſequenti.

585 CONCLUSIO II. Irregularitas ex defectu contrahitur 1. Ex defectu *animi.* 2. Ex defectu *corporis.* 3. Ex defectu *natalium.* 4. Ex defectu *ætatis* & *libertatis.* 5. Ex defectu Sacramenti, ſive ex *bigamia*: & denique ex defectu lenitatis; de qua in ſequenti articulo. *Rurſum communis.*

586 Explicatur 1. pars: Ex *defectu animi* cenſentur vel maxime irregulares, qui penitus carent *uſu* rationis; quales ſunt *amentes*, phrenetici, infantes, quamvis characterem recipiant, ſi ordinentur. Item penitus *ignorantes* (à quibus tamen irregularitas tollitur per acquiſitionem debitæ ſcientiæ, absque diſpen-

diſpenſatione) & *neophyti*, qui primum nuper à Judaismo, Machometismo, aut Ethnicismo converſi, recenter baptizati ſunt. *arg. can.* 1. *diſt.* 48. ergo.

Explicatur 2. pars: Ex defectu *corporis*, irregulares ſunt, qui *abſolute* non poſſunt obire miniſteria Ordinis; vel non *ſine* aliorum *horrore*: quales ſunt, quibus deeſt manus, pollex, oculus &c. item leproſi, paralytici, phrenetici, arreptitii, morbo caduco infecti: econtra irregulares non ſunt mediocriter gibboſi, ſine baculo & magna deformitate claudi &c. ergo. 587

Explicatur 3. pars: Ex defectu *natalium* reputantur irregulares, qui ſunt *illegitime* nati; interim hi per *ſubſequens* matrimonium inter parentes contractum quoad *omnia* legitimantur, ſi tempore *conceptionis* inter illos potuiſſet ſubſiſtere matrimonium; quia *fictione juris* matrimonium ſubſequens *retrotrahitur* ad tempus conceptionis vel nativitatis. *c. conqueſtus. c. tanta, qui fil. ſint legit.* & §. *final. inſtit. de nupt.* Inſuper illegitimi per *profeſſionem* religioſam habilitantur ad Ordines, non tamen ad Prælaturas Ordinis. *c.* 1. *de fil. presbyt.* In dubio præſumitur quis *legitimus*, *qualis* etiam cenſetur *expoſitus*, cujus parentes ignorantur. *Vid.* P. Reiff. in *Jur. can. l.* 4. *t.* 17. *n.* 14. & *l.* 5. *t.* 11. *n.* 20. 588

Explicatur 4. pars: Ex defectu *ætatis*, irregulares ſunt, qui non habent *annos requiſitos* ad Ordinem ſuſcipiendum (de *quibus* 589

Part. 4. *n.* 764.) quæ irregularitas tamen, adveniente termino legitimæ ætatis, quoque ceſſat *absque* omni alia diſpenſatione, *c. ult. de temp. ordinat.*

590 Explicatur 5. pars: Ex defectu *libertatis* ſunt irregulares inprimis *mancipia*, proprie dicta. *c. conſuluit. de ſerv. non ordin.* Deinde ſervi quoque *adſcriptitii* atque *originarii*, qui ſine conſenſu *Domini* ordinari non poſſunt. *can. generalis. & c. admittuntur. diſt.* 54. uti nec *conjugati* ſine licentia conjugis, votum continentiæ emittentis. *c. uxoratus. de converſ. conjugat.* Demum, obligati ad *ratiocinia*, quamdiu onus non depoſuerunt, & rationem reddiderunt. *c. un. de oblig. ad ratio c.* ergo.

591 Explicatur ult. pars: Ex defectu *Sacramenti* denique, ſeu ex bigamia irregularis eſt 1. Qui cum *duabus* contraxit matrimonium & conſummavit, quo caſu eſt bigamia *vera*. 2. Qui duxit *viduam*, aut ab alio *corruptam*, aut cognoſcit propriam *poſt* adulterium ab ipſa commiſſum: quo caſu dicitur bigamia *interpretativa*. 3. Qui poſt profeſſionem religioſam vel ſuſceptionem Ordinis majoris attentat matrimonium carnale contrahere & conſummare, quo caſu foret bigamia *ſimilitudinaria. arg. c. quotquot & c. monacho.* 27. *q.* 1. ergo.

592 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Ille, qui iterat Sacramentum *confirmationis* non fit irregularis: ergo neque qui iterat Baptiſmum

mum

mum (: R. n. c & c. Quia irregularitas non incurritur, niſi in caſibus à Jure *expreſſis*; inter *quos* tamen non eſt iteratio confirmationis ſed ſolius Baptismi :) c. p. Confirmatio eſt complementum Baptismi: ergo.

Ob. 2. cont. 1. part. *Minoriſta* eſt vere clericus (: ita tamen ut *ejus* miniſteria etiam ſolemniter ex conſuetudine poſſint peragi à *laicis* c. ſecus n. :) atqui Minoriſta in cenſura exercens actum ſui *Ordinis* non fit irregularis; ergo per violationem *cenſuræ* non contrahitur irregularitas. Præterea: Epiſcopus, in *cenſura* conſtitutus, poteſt excommunicare, & ab excommunicatione abſolvere, absque periculo irregularitatis: ſimiliter parochus in *eadem* conſtitutus poteſt *aſſiſtere* matrimonio absque dicto periculo: ergo non incurritur irregularitas per exercitium actus (: *Ordinis* n. *jurisdictionis*, ſi tamen fiat ex parte Epiſcopi ſine ſolemnitate benedictionis, c. :) *Vid.* P. Reiffenſt. *n. 14.* 593

Ob. 3. cont. 3. part. Si conſtitutus in excommunicatione *minore* ſuſcipiat Ordines, non fit irregularis, ex *c. ſi celebrat. de cler. exc. miniſt.* ergo ſuſceptio Ordinis in cenſura (: ſi ſolummodo ſit excommunicatio minor c. ſecus n. :) non inducit irregularitatem. Deinde: Ordines ſuſcepti in cenſura non ſunt validi; ergo. a. p. Ordines illi dicuntur *nulli* & irriti (: quantum ad *valorem* Sacramenti n. quantum ad *executionem* Ordinis, niſi fue- 594

fuerit legitime diſpenſatum, c. :) in *c. 1. & 2. de ſchiſma.* ergo.

595 Ob. 4. cont. 5. part. Certis criminibus, v. g. inceſtui, adulterio, annexa eſt infamia ipſo jure (: ſi crimina illa ſint *publica* c. quamdiu ſunt occulta n. Nam infamia conſiſtit in diminutione *bonæ* famæ, quæ ſine *publica* notitia uti comparari nequit; ita nec deperdi poteſt ſine publicitate illa :) ergo non requiritur publicitas.

596 Ob. 5. urg. Homicidium, quamvis ſit *occultum*, attamen inducit irregularitatem (: ratione contractæ *infamiæ* n. ex *ſpeciali* juris conſtitutione c. Sic *violans* cenſuram eccleſiaſticam etiam in *occulto*, contrahit irregularitatem :) ex *c. ult. de temp. ordinat. &c.* ergo etiam ob crimen *occultum* poteſt incurri irregularitas.

597 Ob. 6. cont. 2. concl. part. 1. Qui ad fidem catholicam convertuntur à *Lutheraniſmo*, aut Calviniſmo, communiter non reputantur irregulares: ergo nec qui convertuntur à Machometiſmo, Ethniciſmo &c. (: n. c. Nam hi, ob majorem diſtantiam, ſpecialiter nominati ſunt, non *illi* :)

598 Ob. 7. cont. 2. part. Qui caret ſolo lumine ſeu *viſu* dextri oculi, non eſt irregularis: ergo neque qui caret *ipſo* oculo, utpote *eruto* (: n. c. Eo quod tali modo inducatur *notabilis* deformitas. Utrum irregularis ſit, qui caret viſu *oculi ſiniſtri*, quem ſtylus Romanus

ocu-

oculum canonicum appellat, diſceptatur utrinque: de quo videatur P. Reiffenſt. *n. 30.* :)

Ob. 8. cont. ult. part. Si quis *extra* matrimonium conſtitutus cum pluribus fornicetur, non fit bigamus aut irregularis, etiamſi foret presbyter, ut expreſſe deciſum in *c. quia circa. de bigam. non ord.* ergo neque qui per *matrimonium* duxit plures (: n. c. Siquidem hic interveniat defectus *Sacramenti*; non ibi, cum nullum matrimonium præceſſerit, ſignificans conjunctionem *Chriſti* cum *Eccleſia* :) c. p. Duxit illas *abſque* peccato; ergo. 599

Quæres 1. Quale delictum debeat eſſe *illud*, ob quod incurritur irregularitas *ex delicto*? ℟. Debet eſſe actus *externus*, *conſummatus*, & *mortaliter* peccaminoſus: quia irregularitas eſt pœna valde *gravis*; ergo quoque ſupponit peccatum *grave*, conſummatum & *externum*; ſiquidem Eccleſia de internis non judicet, ex dictis Part. 1. *num. 517.* Inſuper illud delictum non tantum debet eſſe peccatum grave, ſed inſuper debet *ſciri*, huic à jure *annexam* eſſe irregularitatem. Ratio eſt; quia licet irregularitas non ſit pœna *medicinalis*, eſt tamen pœna *extraordinaria* (utpote quæ obligat delinquentem, ut illam in ſe ipſo exequatur) inſtar *cenſuræ*; ergo requirit ſui ſcientiam non minus ac cenſura. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 5. t. 37. n. 108.* Item idem ſupra *n. 113.* 600

Quæ-

601 Quæres 2. An ob cauſam *dubiam* cenſeatur contrahi irregularitas, ita ut talis dubitans teneatur ſe genere tanquam irregularem? ℞. Negative, ſive deinde ſit dubium juris, ſive facti; modo excipiatur homicidium dubium. Ratio eſt: quin in tali caſu dubio *libertas* & immunitas ab irregularitate exiſtit in *poſſeſſione*: ergo nemini adimenda eſt, niſi efficax aliqua *lex* ſtet in oppoſitum; *qualis* tamen aſſignari nequit extra dubium facti circa *homicidium*. Nam quod in *hoc* dubio (ſuppoſito, quod ex una parte *ſciatur*, aliquem fuiſſe occiſum, ex altera autem præciſe dubitetur, num per *ſuam* vel alterius actionem) talis dubitans habeatur pro irregulari (ſed ſolum in ordine ad abſtinendum à ſacrorum Ordinum exercitio, & celebratione Miſſæ) expreſſe deciſum eſt *in c. 12. & 18. de homicidio. Vid.* P. Schmalzgr. *l. 5. t. 37. n. 84. 86. & ſeqq.* P. Kreſslinger *hic ſub n. 21. addit. 6.* P. Pichler *l. 5. t. 12. n. 8.*

ARTICULUS II.

Qualiter irregularitas contrahatur ex homicidio & mutilatione?

602 PRænotandum: Cum irregularitas ex homicidio quandoque proveniat ex *delicto* nempe ex homicidio aut mutilatione injuſta: quandoque ex *defectu* lenitatis perfectæ, nimirum ex homicidio licito & juſto; ideo

ideo expediens viſum, ut de *utraque* hac irregularitate ageretur in hoc ſeparato articulo Statuerunt autem *hanc* SS. Canones, quia *indecens* videbatur, ut qui alienum *ſanguinem* fudiſſet, repræſentet in altari *perſonam* mitiſſimam *chriſti*, proprium ſanguinem pro nobis effundentis. Quam ob cauſam nec David templum Deo ædificare dignus fuit. Itaque ſit

603 CONCLUSIO I. Quicunque baptizatus, ſi alium hominem injuſte *occidat*, aut etiam ſolumodo *proprie* mutilet, eſt ipſo facto *irregularis*: uti & *mandantes*, favorem vel *auxilium* præſtantes: dummodo effectus fuerit actualiter ſubſecutus. *Ita communis ex toto tit. de homicid.*

604 Prob. 1. pars: *Necdum* baptizati non arctantur conſtitutionibus canonicis. *c. gaudemus, de divort.* ergo non *hi* ſed ſoli baptizati incurrunt irregularitatem, ſi *injuſte* occidant, & cum peccato *gravi* (quia irregularitas eſt pœna gravis) aut *mutilent*: id eſt, *abſcindant* membrum ſeu partem principalem, quæ peculiarem in corpore functionem habet, ut eſt manus, pes, auris &c. *can. 4. ſeqq. & fin. d. 55. c. 5. ne cler. vel mon. c. fin. de homicid. in 6. & clem. un. eod.* ubi multilatio in ordine ad contrahendam irregularitatem æquiparatur *homicidio*: ergo.

605 Prob. 2. pars: Facientes & *conſentientes* conſtringit par pœna. *c. ſi quis viduam. diſt. 50. c. ſicut. de homicid.* ergo non tantum ipſe

occi-

occidens aut mutilans, ſed quoque mandans, conſulens, conſentiens, *non-impediens*, ſi ad hoc ex *juſtitia* tenebatur, fiunt irregulares. *Vid.* P. Schmalzgr. *l. 5. t. 12. n. 159.*

606 Prob. 3. pars: Ad incurrendam irregularitatem non ſufficit ſola *intentio* mutilandi vel occidendi, ſed requiritur *actualis* occiſio vel mutilatio hominis, *qualiscunque* deinde hic ſit; nam jura hic loquuntur *generaliter*, illinc vero accipienda ſunt cum *effectu*: ergo requiritur, ut occiſio ſeu mutilatio actu ſequatur, publice vel occulte *c. ult. de temp. ordinat.* Hinc etiam fit irregularis, qui procurat abortum fœtus animati. *c. ſicut. de homicid.*

607 CONCLUSIO II. Etiam ex homicidio juſto & licito uti & ex tali mutilatione) contrahitur irregularitas, ſi fiat *authoritate publica*, nempe in judicio *criminali*; & in *bello* juſto: ſecus ſi *non* fiat authoritate publica. Eſt communior ex c. ſi quis viduam. *c. aliquantos &c. Clem. un. de homicid.*

608 Prob. 1. pars: Ita jus canonicum *c. ſi quis viduam. diſt. 50. c. aliquantos. diſt. 51. &c.* expreſſe ſtatuit ob defectum lenitatis Chriſtianæ; ſiquidem indecens videbatur, ut qui *voluntarie* humanum ſanguinem fudit, Chriſti manſuitiſſimi perſonam in altari ſuſtineat, ut jam dictum *n. 602.* ergo. Hinc in *judicio* criminali irregulares fiunt *judex*, aſſeſſores, conſiliarii, *accuſator*, denuntiator (ſi iſte egit criminaliter) *advocatus* & teſtes, contra

reum

eum ſtantes; *notarius* ſcribens, ſubſcribens, dictans, recitans *ſententiam*; *miniſtri juſtitiæ* ſententiam exequentes; & omnes alii directe, *propinque*, efficaciter & proprie *cooperantes* vel ad ſententiam vel ad executionem, modo mors vel mutilatio actu ſecuta fuerit. In bello juſto autem offenſivo illi, qui pugnantes per *ſeipſos* occidunt, vel mutilant. *can. 1. diſt. 51. c. 24. de homicid. c. 3. de clar. percuſſ.*

Prob. 2. pars: Si quis occidat vel mutilat non ex authoritate publica ſed *caſu* vel *neceſſitate* ad defenſionem vitæ, vel bonorum fortunæ magni momenti &c. irregularitas non poteſt oriri *ex delicto*, cum *tale* ſupponatur abeſſe, ſaltem grave & injuſtitiæ: nec ex *defectu lenitatis*, quia iſte defectus, juxta comunem, ſupponit *voluntariam* occiſionem; *qualis* illa non eſt, ergo. Hinc DD. communiter tradunt hanc regulam, bene notandam: *quincunque privata authoritate licite occidit, irregularis non eſt.* P. Pichler *l. 5. t. 12. n. 11.* P. Schmalzgr. *cit. l. 5. t. 12. n. 65. cum plurimis ibi citatis* 609

Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Etſi quis in gravi rixa alteri præſcindat *digitum*, excutiat *dentes*, evellat *capillos* &c. per hoc tamen non fit irregularis, ut fatentur omnes: ergo non omnis injuſte mutilans ipſo *facto* eſt irregularis (: ℟. n. c. & ſupp. quod enumerata ſint mutilatio *proprie* dicta: quia dicta non ſunt proprie *membra*, ſed tantum 610

pars membri. Hinc multo minus irregularis eſt, qui alterum ſolummodo *vulnerat*, etiam cum copioſa ſanguinis effuſione; qui eidem reddit membrum inutile &c. quia non eſt mutilatio:)

611 Ob. 2. cont. 2. part. Eſt doctrina ſatis tuta, quod ſi plures alteri inflixerunt vulnera lethalia, illi *ſoli* irregulares ſint, quos conſtat inflixiſſe vulnus *lethale*; non item alios, etſi præſentes (: ſi id fiat *extra* commune conſilium c. ſecus n. Nam quando plures *communi conſilio* aliquem aggrediuntur, *omnes* fiunt irregulares, etſi unus tantum occidat, vel mutilet: quia cæteri *moraliter* concurrunt:) ergo *ſoli* occidentes aut mutilantes, & non alii, fiunt irregulares.

612 Ob. 3. cont. 2. concl. part. 1. Ex communi ſenſu DD. apud P. Pichler *cit. l. 5. t. 11. n. 9.* in judicio criminali non contrahit irregularitatem *Prælatus* eccleſiaſticus, qui cauſas ſanguinis delegat alteri, cum ſimili clauſula, ut *cognita cauſa, adminiſtret juſtitiam*: nec *clericus*, vel alius, denuntians reum, capitalis delicti *civiliter* tantum, proteſtando quod id ad vindictam ſanguinis non faciat: nec clericus *educens* reum, ſi moneat ad procedendum, ut ſcalas aſcendat, caput ſupponat &c. nec *Profeſſor* aut *Juriſperitus*, qui *privatim* interrogatus de aliquo *reo* in particulari, an promeritus ſit mortem? *generatim* reſpondet, quid leges in *tali* caſu ſtatuant: nec *opifices*, qui funes, gladios, furcam confecerunt &c. ergo in judicio criminali non

contra-

contrahitur irregularitas ab *omnibus* coope-
rantibus (: *remote* tantum, quales ſunt mox
dicti c. à cooperantibus *proxime* n.:)

Ob. 4. In bello *juſto* etiam offenſivo, non ſunt irregulares, qui hortantur ad pugnam, qui conſilium, arma, ſubſidia miniſtrant: ergo neque qui *propriis* manibus mutilant aut occidunt (: n. c. Quia *hos* jura voluere irregulares, non illos. In bello mere *defenſivo*, nullus incurrit irregularitatem: etiamſi foret clericus, ſi neceſſitas id exigeret :) *Vid.* P. Reiffenſt. *n. 66.* P. Pichler *l. c. n. 10.* 613

Ob. 5. cont. 2. part. Concilium *Trid.* 614
ſ. 14. c. 7. de ref r. dicit; *ſi vero homicidium non ex propoſito ſed CASU, vel vim vi repellendo, ut quis ſe à MORTE defenderet, fuiſſe commiſſum narretur: quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum & Altaris miniſterium &c. jure quodammodo diſpenſatio debeatur &c. Epiſcopus DISPENSARE poſſit:* ergo ex homicidio *caſuali*, & *neceſſario* ad defenſionem incurritur irregularitas (: ſi *nulla* culpa interveniat n. ſi culpa *gravis* pro foro interno, & pro foro externo ſaltem præſumptive gravis interveniat c. de hoc autem locutum eſt Tridentinum, & ejus diſpenſationem reliquit Epiſcopo, utpote contractam ob homicidium non perfecte voluntarium :) P. Pichler *n. 11.*

Ob. 6. urg. Irregularitas ex homicidio caſuali poteſt contrahi *absque* peccato gravi; ergo. a. p. Monachus etiam peritiſſimus in arte chirurgica, & nullam committens cul- 615

pam in curando, adhuc incurrit irregularitatem, ſi patiens ex ejus *aduſtione*, *inciſione*, vel *abſciſſione* moriatur *c. 19. de homicid*, atqui talis monachus *non* peccavit graviter (: n. hoc; nam *Monachis* curatio per *aduſtionem*, inciſionem aut abſciſſionem ſub *gravi* interdicta eſt, ſi adſint *alii* periti ſæculares; non tamen curatio per alias medicinas minus periculoſas:) ergo. m. p. Alius chirurgus ſæcularis non peccat graviter: ergo nec *Monachus* (: n. c. Huic enim talis curatio graviter interdicta eſt:) *Vid.* P. Kazenberger *apud* P. Reiffenſt. *ſub. n. 23. addit. 3.*

616 Ob. 7. juſt. Si monachus, inſiſtens venationi prohibitæ, occidat hominem, putans eſſe feram, non fit irregularis: ergo nec curans per *aduſtionem*, *inciſionem*, aut *abſciſſionem*, ſi patiens inde moriatur præter intentionem, & commiſſam aliquam negligentiam (: n. c. Quia *hæc* curatio monachis eſt *ſpecialiter* prohibita, & inſuper eſt ex ſe *periculoſa*, mortisque facile inductiva; conſequenter *hanc* exercenti, homicidium eſt aliqualiter voluntarium, ſc. in cauſa: contrarium eſt de venatione &c.:) *Vid.* P. Reiffenſt. *hic n. 55.* P. Schmalzgr. *l. 5. t. 12. n. 218. & ibi citati.*

617 Ob. 8. *In c. 8. & 12. de homicid.* clerici declarantur eſſe irregulares, licet valde probabiliter culpa non fuerit *mortaliter* peccaminoſa (: coram Deo t. in foro eccleſiaſtico *externo*, propter datam rei *illicitæ* operam, & ſimul non adhibitam ſufficientem diligentiam

tiam n. :) quorumunus non removit falcem in luſu, alter autem percuſſit aliquem cingulo tantum : ergo non requiritur culpa mortaliter peccaminoſa.

Ob. ult. Irregularitas *abſolute* poteſt contrahi absque *omni* peccato (:*cum* gravi tamen ratione c. *ſine* hac n. :) ergo quoque irregularitas ex delicto absque *gravi* peccato (: n. 5. Quippe ſic ut ad irregularitatem ex *defectu* incurrendam requiritur gravis *ratio* ; ita ad irregularitatem ex delicto requiritur grave *peccatum* :) P. Kreſslinger *ſub n. 23.* 618

Deduces 1. Illum incurrere nullam irregularitatem , qui dat operam *rei licitæ* , & ſufficienter præcavet periculum, ne ex tali actu mors alterius vel mutilatio ſequatur. Et propterea reprobandus eſt quorumdam ſcrupulus, qui vulnerato vel *ægro* ſubvenire recuſant illum *levando*, ne fortaſſis ſi inter illorum manus *exſpiret*, ipſi mortem *acceleraſſe*, & propterea irregularitatem incurriſſe cenſeantur. Nam caſu , quo adhibuerint cautelam debitam neque *ex delicto* quod in tali caſu nullum eſt) neque *ex defectu* lenitatis (quia hæc ſolum incurritur ex homicidio vel mutilatione , facta authoritate publica) irregulares effici poterunt. Nec eſt veriſimile, quod Pontifices voluerint per *irregularitatem* tollere *charitatem*. Imo ſi ex defectu *lenitatis* irregularitas oritur, ſane ex ejus *contrario*, ſc. ipſa lenitate actus miſericordiæ & charitatis chriſtianæ oriri non poteſt. P. Schmalzg. *cit. l. 5. t. 12. n. 214.* 619

 De-

620 Deduces 2. Nec etiam incurrere irregularitatem *ſpectatores* feralis executionis, etſi clerici ſint. Ratio eſt: quia præciſe ſpectando vel intereſſendo executioni ad hanc neque *remote* neque proxime cooperantur. Nec obſtat quod in jure prohibeatur clericis, ne interſint, ubi exercetur vindicta ſanguinis; & quidem eo modo, quo ipſis prohibetur *ſententiam* ferre. Nam textus c. 9. intelligendus eſt de præſentia *authoritativa* ad executionem aliquo modo cooperante. Deinde ibi non exprimitur irregularitas ſed mera *prohibitio*; quæ vel eſt abrogata, vel ſecluſo ſcandalo gravi *non* eſt *gravis*, ut notant DD. P. Pichler *l. 5. t. 12. n. 32. in ſol.*

621 Deduces 3. Irregularitatem tamen incurrere illum, qui per peccatum *ſeipſum* mutilat: imo ſi quis ſibi ipſi *vim* inferat per culpam gravem, licet *proprie* ſe non mutilet, ſed ſolum digitum v. g. aut partem digiti, naſum promicantem, cartilaginem auris &c. ſibi abſcindat, vel ab alio abſcindi faciat, nempe propter ſingularem ſævitiam in ſeipſum, & contumeliam Creatori illatam; ut ſtatuitur *can. 4. 5. 6. d. 55. c. 3. de corp. vitiat.* Nec obſtat, quod *ſeipſum* percutiens probabiliter non incurat excommunicationem *canonis*: Nam jura *hoc* clare non exprimunt; bene tamen illud, nimirum de irregularitate. *Vid. cit.* P. Pichler *l. c. n. 26.*

622 Deduces 4. Irregularitatem tolli non per abſolutionem, ſed per *diſpenſationem*: quippe irre-

irregularitas eſt mera *inhabilitas*, & contrahitur quandoque absque *ullo* delicto; conſequenter in eam proprie cadit diſpenſatio, & *non* abſolutio, quæ eſt actus juſtitiæ, in quo terminatur cauſa & judicium. Poteſtatem autem diſpenſandi in omni irregularitate *ordinariam* habet S. Pontifex: eo quod omnis irregularitas ſit de jure duntaxat humano eccleſiaſtico. Epiſcopus quoque poteſtate *ordinaria* poteſt diſpenſare in omnibus irregularibus, ex *delicto* occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex *homicidio* voluntario, directe intento, & exceptis aliis ad forum *contentioſum* deductis, Trid. *ſ. 24. de reform. c. 6.*

Deduces ult. Idem poſſe *Prælatos Regulares* cum *ſuis* ſubditis, quam poteſtatem poſ- 623
ſunt delegare *alicui* Confeſſario, & cenſentur delegaſſe, quoties illi dant facultatem abſolvendi à peccato: Imo hi (prout docent P. Kazenberger *in Decal. c. 3. ſ. 4. n. 164.* P. Kreſslinger *ſub n. 74.* ibique citati) vi conceſſionis Martini V. & aliorum Pontificum poſſunt non quidem ſemper ſed *certo* tantum tempore nempe *die lunæ* poſt *primam* dominicam *quadrageſimæ* ſingulis annis per ſe vel
per alios à ſe deputatos etiam *extra* Sacra- 624
mentum pœnitentiæ diſpenſare in foro *conſcientiæ* cum ſuis ſubditis in omnibus omnino irregularitatibus, publicis & occultis, etiam voluntarii homicidii, bigamiæ, & mutilationis, ob indefinitam conceſſionem Pauli III.

in

in Bulla, *Exponi nobis*, invenienda in Bullario Roderici. Denique Regulares *privilegiati* ex conceſſione Pauli III. in Bulla, *cum inter cunctas*, poſſunt *pro foro conſcientiæ* cum ſæcularibus diſpenſare ſuper omnibus irregularitatibus, ſuper quibus poteſtate ordinaria poſſunt Epiſcopi. Ita illi: ita ego; ſicque Partem hanc III. finio.,

Ut in omnibus glorificetur DEUS.

RIGGS LIBRARY,
GEORGETOWN UNIVERSITY,
WASHINGTON, D. C.

62638